

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EVANGELIVM LV-
cæ Paraphrasis Erasmi Roterodami, per
autorem recognita.

17810
Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Prov. Cast. Orient. S.I.



Basileæ in ædibus Ioan. Frobenij
Anno M. D. xxiij.
CVM PRIVILEGIO CAESAREO.

INVICTISSIMO ANGLIAE ET
Franciæ regi, domino Hyberniæ, Catholicæ fidei
defensori, Henrico eius nominis octauo,
Erasmus Rotrodamus S. D.



ITTO tibi Lucam medicum generosissime Rex, non alium quàm antehac habebas, sed Latinis auribus explanatius fusiusq; loquẽtem. Nec hic mihi puto sumendam operam, ut placem istos, qui nobis occinere solent, recte proditam à doctissimis uiris sententiam, in muneribus dandis illud in primis esse spectandum, ut apta sint quæ donamus. Factum est hoc nuper à nobis, quum Carolo Cæsari dicaremus Matthæũ, & ante nos ab eruditissimis hominibus demonstratum est ex præscriptione uetustæ consuetudinis, quoduis argumentum recte dicari principibus, quos etiam si sciamus nũquam lecturos, tamen hinc ea capitur utilitas, quod illorum titulis opus studiosorum affectibus cõmendatur, quemadmodũ non inscite scripsit Plinius: Quædam ob hoc ipsum summo haberi in

Universidad de Deusto
Biblioteca

precio, quod sint templis dicata. Est autem quorũdam erga nuper natos libros tanta morositas, ut prius reijciant quàm deguſtent. Itaque perit & ſcriptori ſperatus fructus, & lectori ſua utilitas. Ab his illud ſaltem impetrabit præfixus in frõtiſpicio uoluminis ſummorum principum titulus, ne damnẽt, ne faſtidiant, ne conſpuant, prius quàm legerint. Quanquam & alioqui quorundam principum pietas facit, ne uideatur abſurde facere, qui regi dono mittit Euangeliũ. Quandoquidem mihi retulerunt homines minime uani, & Carolum Cæſarem, ſi quid in tantis rerum tumultibus datur ocij, id in Euangelico codice libenter conſumere: & illuſtriſſimum principem Ferdinandum huius fratrem, paraphraſim in Ioannem, quam ipſi nuper dedicaui, frequenter habere in manibus: atq; inclytum etiam Danorum regem Chriſtiernũ, id quod tibi quoque notum eſſe poteſt, Chriſtianos libellos frequenter habere in manibus, noſtramq; in Matthæũ paraphraſim cupide legere. Quur igitur uideatur inepte mitti Euangelium ijs, qui tractant & amant Euangelium, quod certe ab omnibus tractandum eſt, qui ſe meminerunt eſſe Chriſtianos? Quanquam autem iuxta rationem humanam hoc potiſſimum donandum eſt, quo maxime eget cui mittitur, tamen iuxta regulam Euangelicam, habenti donandũ eſt, ut exuberet. Proinde uidebar mihi facturus congruentiſſime, ſi tibi medicum hunc Euangelicum mitterem, qui ſacras literas adeo non

adeo non faſtidias, ut quod tua ſcripta teſtantur, in his etiam ultra mediocritatem profeceris: ut qui tibi donet aliquid huius generis, non tam munus dare uideatur, quàm officium reponere. Quid quod & coniunx tua nobiliſſima, unicum hoc æuo ueræ pietatis exemplar, faſtiditis nugis muliebribus, bonam dici partem collocat in ſacris libris, cum alias principes fœminas, quæ maximam temporis partem in fucando, in alea ſimilibúsque luſibus conterunt, admonens quid ipſas decear: tũ nobis noſtram exprobrans ignauiam, uel impietatem potius, qui maximam uitæ partem in profanis literis abſumimus. Iam ſi hoc in primis curæ eſt, ut in monarcharum aulis ſemper adſint exacte docti perſpectæq; fidei medici, qui curã agant regij corporis: quanto magis conuenit illic uerſari Lucam medicum, qui non ſcammonio aut elleboro tueatur corporis bonam ualetudinem, ſed cœleſti pharmaco liberet animum à morbis ad æternam mortem pertrahentibus, qui ſunt, ignoratio ueri, diffidentia erga deum, amor huius mundi, ambitio, auaricia, luxus, odium, inuidia. Nam his morbis obnoxia eſt omnis uita mortalium, quemadmodũ ait Ioannes apoſtolus, deplorans totum mundum in malo poſitum eſſe, nec aliud in eo regnare, quàm concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam uitæ. Ab his morbis hoc plus eſt periculi ſummis principibus, quo maior eſt indulgentia fortunæ, & quod libet faciendi licentia.

Videor autem mihi non inanem operam sumpturus, si tibi primum Lucam medicum, deinde pharmacum quod adfert paucis commendaro, tametsi non dubito, quin utrunq; sit, ut esse debet, tuæ pietati commendatissimum. Nimirum hic est ille Lucas patria Antiochensis. Est autem Antiochia ciuitas, olim adeo celebris ac potens, ut ei parti Syriæ, quæ Ciliciam attingit, nomen dederit, hoc ipsa quoq; Roma felicior, quod hic primum sedem habuerit apostolorum princeps Petrus, quodq; in hac Paulus & Barnabas apostolici muneris dignitatem acceperint. Fuit autem familiaris apostolorum omnium, sed præcipuus assectator Pauli, atque etiam peregrinationis illius indiuiduus comes. Ex conuictu apostolorum scripsit Euangelium, ex his quæ Paulus ipso teste gessit, scripsit uolumen cui titulum fecit, Acta apostolorum. Eam historiam produxit usq; ad secundum annum Pauli Romæ commorantis, hoc est, usq; ad quartum Neronis Cæsaris. Vnde conijciũt eadem in urbe librum esse scriptum. Satisq; constat inter eruditos, hunc esse, cuius toties in epistolis meminit Paulus apostolus, uelut in epistola ad Corinthios secunda: Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias. Rursum scribens ad Colossenses: Salutat, inquit, uos Lucas medicus charissimus. Rursum in epistola ad Timotheum secunda: Demas enim, inquit, me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam, Crescens in

Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus. Quin & illud proditum est à ueteribus, quoties Paulus uocat Euangelium suum, uelut ad Timotheum: Memor esto dominum Iesum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid secundum Euangelium meum: eum sentire de Euangelio Lucæ, quod quemadmodum Marcus ex autoritate Petri, ita Lucas ex autoritate Pauli conscripserit historiam Euangelicam. Hieronymus arbitratur eum Græcæ literaturæ cæteris fuisse peritiorem, & ob id exactius contexuit narrationem historicam, ab ipsa Ioannis baptistæ conceptione exorsus, permulta referens de natiuitate, deq; infantia, quædam etiam de pueritia Iesu, multas etiam parabolas ac miracula, quæ cæteri breuitatis studio prætermiserant. Quumq; cæterorum nullus egressus sit tempus domini assumpti in cœlum, hic solus altero uolumine, nascentis & gliscentis ecclesiæ prosequutus est historiam. Addunt & illud, quemadmodum Matthæus Euangelium, Petrus epistolas scribit Iudæis potissimum, ita Lucam Euangeliũ potissimum scripsisse gentibus, nimirum discipulum Pauli, qui ut doctor erat gentium, ita ad gentes scripsit omnes epistolas, præter unam ad Hebræos, de cuius autore semper est dubitatum. Scripsit post Marcum, sed ante Ioannem, unde & discipulus præfertur apostolo. Denique quod medico congruit, traditur fuisse longæuus. Nam sequutus consilium Pauli, qui

li, qui scripsit, bonum est uxorem non attingere, uixit cœlebs octoginta quatuor annos. Ossa defuncti ex Achaia translata sunt Constantinopolim unà cum reliquijs Andreæ apostoli, anno Constantij uicesimo. Habes medicum ex medico, apostolorum familiaritate commendatum, Pauli apostoli non uno testimonio laudatum, denique ecclesiarum omnium consensu comprobatum. Quum enim multorum Euangelia reiecta sint, hic consentientibus omnium suffragijs receptus est, ut expleret sacram illam ac mysticam tetrada, quam olim designauit Moses, exponens nobis quatuor fluuios ex uno paradisi fonte scatentes, qui irrigant uniuersam terram: post uidit Ezechiel, quum nobis depingeret animalia mystica quatuor, & quatuor rotas in una. Nunc de pharmaco quod nobis dedit, paucis si uidetur, dicamus. Ex Hippocrate sumere consueuerat remedia, quibus corporum morbos leuaret, cæterũ ex apostolis qui Christum uiderant ac audierant, imò ex ipso spiritu sancto hausit hoc pharmacum, quo nostris animis mederetur. Apud priscos medicos erat quoddam medicinæ genus efficacissimum, ex uarijs & exquisitis rebus arte commixtum, quod illi uocabant Θεῶν χεῖρας, hoc est, deorum manus. Verum nullum adhuc pharmacum repertum est à medicis, quod omnibus corporum morbis medeatur, quantumuis iactent efficacem illam, sed nulli notam, panaccam. Certe senectus morbus nulli

bus nulli cedit medicinæ. Sed hæc uere manus est dei, quæ per synceram fidem semel aufert omnes animorum morbos, & quod solius est dei, confert immortalitatem. Nec inscite dictum est Græcorum prouerbijs: animi laborantis medicum esse sermonem. Neque defuerunt qui crederent, & corporum morbos conceptis uerbis, magicam uim habentibus, propelli posse. Dominus Iesus medicus erat, qui dum uiueret in terris, sermone pellebat morbos corporum quamlibet atroces aut inueteratos, sermone mortuos excitabat ad uitam. Non enim erat sermo magicus, sed omnipotens sermo patris omnipotentis. Idem sermone profligat morbos animorum, quum ait: Fili remittuntur tibi peccata. Et, uade, fides tua te saluam fecit. Proinde & prophetia Christum medicum promiserat. Dicit enim in libro sapientiæ: Etenim neque herba, neq; malagma sanauit eos, sed tuus domine sermo qui sanat omnia. Hæc nimirum est illa uera panacea. Psalmus item mysticus sic habet: Misit sermonem suum & sanauit eos ab interitionibus eorum. Sermo patris uiuus, Christus est. Miserat Mosen & prophetas, per hos curata est Iudæorum natio, sed non est sanata. Solus sermo patris efficax fuit sanandis hominum morbis, non solum leuioribus, uerum etiam lœtalibus. Lœtales morbos agnoscis, quum addit propheta: ab interitionibus eorum. Quum ita collapsus est stomachus, ut fastidiat ac reijciat omnem cibum, ægrotus ad mortem tendit.

Tali morbo laborabat uniuersus mundus ante medici cœlestis aduentum. Id quod paulo superius dixerat: Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquauerunt usque ad portas mortis. Miscuerant uaria pharmaca philosophi, Pythagorici, Academici, Stoici, Epicurei, Peripatetici, promittentes animi sanitatem ac felicitatem etiam. Multa miscuit Moses, præscribens uarias religionis ceremonias, multa prophetæ: sed inualescentibus morbis nihil profuit medicina, nisi quod auxit morbum & prodidit. Animi stomachus prauis cupiditatibus, uelut humoribus noxijs corruptus, & auersabatur philosophorum elaborata præcepta, & Mosi præscriptis superstitiosiores reddebantur non meliores, non sapiebat amara prophetarum obiurgatio, & horum promissis non est habita fides. Id uidens pater cœlestis nihil uolens perire eorum quæ condidit, emisit sermonem suum, qui cœlesti medicina liberaret uniuersos ab omnibus animorum morbis, tantum ut morbum agnoscamus & fidamus medico. Quemadmodum aũt amici medici, si quando non licet semper adesse ægrotis, relinquere solent pharmacum aliquod, quo sibi possint esse medici qui laborant, si res ita postulet: ita dominus Iesus in cœlum reuersus, reliquit nobis per apostolos suos pharmacum Euangelicum, facile quidem & cuiuis expositum, sed efficax, si quis ut oportet sumpserit: ut autem utiliter sumas, præcipue præstat fiducia erga

cia erga medicum. Nec satis est gustasse, traijciendum est in uiscera, ut stomacho receptum, per omnes uenas uis illius diffundatur. Tum demum incipit concutere totum hominem odio pristinæ uitæ, sed hanc perturbationem sequitur magna animi tranquillitas. Habent corporum medici, empiricos & pharmacopolas artis suæ ministros, ipsi præscribunt quid dandum sit ægrotis. Ita Christus unus est qui præscripsit salutis æternæ remedium, apostoli & horum successores episcopi tantum ministri sunt, miscent, terunt, admouent, non sua pharmaca, sed Christi: tingunt aqua, sed Christus abluit animum: docent quæ Christus ipsis tradidit, sed Christus ipse facit, ut sermo illorum sit efficax. Corporum medici frequenter uariant & in morborũ iudicijs, & in præscribendis remedijs, nonnunquam & pro remedijs præscribunt uenena: Iuxta dictum Græci poëtæ: φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Vnicum autem Euangelicæ medicinæ præscriptũ est, quod à nullo mortalium corrumpi debeat, aut mutari. Deniq; simplex est, ut si cessent hij, quos oportebat huius pharmaci ministros esse, sibi quisq; possit sumere, modo adsit animus fidens, syncerus, & salutis auidus. Nam & summus ille medicus, qui solus totum hominem sanare potest, aliquando per se conferebat sanitatem, nonnunquam & per apostolos ac

stolos ac discipulos. Iam tota medicorum ars duos potissimum scopos habet, primum ut morbis, & ab his quæ gignunt morbos, corpora liberet, hanc partem Therapeuticam uocant. Deinde ut bonam ualetudinem tueantur, ac robur addant: eam in ratione uictus collocant. Neq; enim medici semper urunt aut secant, non semper infundunt scammonium quo corpus exhauriant, propemodum occidentes ut uiuificent, sed aliquando ministrant quæ cor exhilarent, quin & pascunt benigniter. Ita nobis primum administratur potio fidei, quæ pœnitentia perturbat animum, & inaniens nos exonerat peccatis. Mox additur pharmacum consolationis, exhortationis, ac doctrinæ perfectioris. Etenim si medicus postea quàm corpus inanijt, subito destituat ægrotum, periculum est ne uacuum ac uiribus defectum, maior aliqua morbi uis inuadat, uelut paralysis, apoplexis, aut phthisis. Ita postea quàm pœnitentia nos prostrauit exagitato morbo, baptismus nos uacuos reddidit ab omnibus peccatis, adhibentur ea quæ iam bene uacuum animum salubriter impleant. Exhausta est iracundia, infunditur lenitas & mansuetudo. Exhausta est inuidia, subijcitur candor. Exhausta est rapacitas, succedit liberalitas. Exhaustus est ardor bellandi, succedit studium pacis. Exhaustus est amor uoluptatum carnis, succedit amor rerum cœlestium. Vis audire scammonium

nium Euangelicum? Pœnitentiam agite. Iam securis ad radicem arboris posita est. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur. Itidem Paulus: Mortificate membra uestra quæ sunt super terram: scortationem, immunditiem, libidinem, cõcupiscentiam malam & auariciam. Ac mox: Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis. Exhausit, quomodo rursus implet? Induite uos, inquit, sicut sancti dei & electi, uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & condonantes uobis inter uos, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & dominus donauit uobis. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est uinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus uestris. Huiusmodi domum mundatam scopis, & talibus ornamentis undiq; plenam, non rursus occupabit spiritus malus, reuersus cum alijs septem ipso peioribus. Habet igitur Euangelica medicina suum uinum, quod emordeat saniem uulnerũ nostrorum: Abi post me satana, non sapis ea quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum. Vinum est. Nunc uide oleum. Confidite quia ego uici mundum. Capillus capitis uestri non peribit. Nolite timere pusille grex, quoniam uestrum est regnum cœlorum. Paulus habet cibum quo fouet nuper conuersos ad Christum, ne relabantur in morbos adhuc imbecilles: habet & solidum cibum, qui corroboret eos

Universidad de Deusto
Biblioteca

boret eos semper proficientes usque ad mensuram plenitudinis Christi. Robur collegerant, de quibus scriptum est in Actis Apostolicis: Ibant gaudentes à cõspectu consilij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Robur collegerat qui dixit: Omnia possum in eo qui me fortem reddit. Proinde dominus Iesus in Euangelio hortatur ad esum panis è cœlo profecti, cuius esus præstat immortalitatem. Hortatur ad esum carnis suæ, ad potum sanguinis sui, nimirum de doctrina sua sentiens, quæ ut panis uegetum ac robustum reddit animum, ut ninum efficax inebriat usque ad huius uitæ contemptum, ut caro solidam habet alimoniam, ut sanguis uitalem habet uim. Quanquam autem omnis diuina scriptura uim habet medicam, tamen nullum pharmacum habet efficacius quàm Euangelicum. Idem in omnibus est spiritus, sed in his esse uoluit, in quo præcipue uim suam exereret, ne nullum esset discrimen inter ministros & dominum, inter lacunas & fontem. Operæprecium est autem considerare, quanta sit uis huius pharmaci. Res publica corpus quoddam est. Huius pestes ac morbi sunt mali mores. Quibus diuersis regionibus præcellentes sapientia uiri, leges ceu remedia quædam opposuerunt, uelut apud Athenienses Solon, apud Lacedæmonios Lycurgus, apud Cretenses Minos, apud

nos, apud Romanos decemuiri. Nullus tamen horum potuit efficere, ut leges quas condidisset, aliæ quoque nationes amplecterentur. Ac ne tentauit quidem hoc illorum quisquam, ne præter inanem operam, impudentiæ quoque lucrifaceret opinionem. Solon decenni exilio leges suas obtrusit uni ciuitati. Plato uir tam doctus ac perinde facundus nunquam persuasit, ut Athenienses reciperent ipsius leges. Neque dubitandum tamen est, quin omnes sibi persuaserint leges quas condidissent esse ueras, & optasse si fieri potuisset, ut totus terrarum orbis eas amplecteretur. Ac ne Mosi quidem leges ultra nationem unam propagatæ sunt, quanquam pharisæi magna ambitione proselytos aliquot uenarentur. Denique ne Cæsarum quidem uiolenta autoritas extorquere potuit, ut ipsorum leges apud omnes gentes haberent pondus. Et quod hij conati sunt proditis legibus, idem conati sunt philosophi præceptis suis, magno iudicio summáque cura proditis. Quorum nemo tam eloquens fuit aut tam eruditus, ut unicuipiam nationi persuadere potuerit. Adeo pharmacum quod adferebant uim habebat dilutam & inefficacem. Sola ueritas Euangelica, intra paucos annos cunctas totius orbis regiones occupauit, persuasit, ac uicit: Græcos ac barbaros, doctos & indoctos, plebeios ac reges ad se pertrahens.

Tam efficax

Tam efficax erat huius ueritatis pharmacum, ut tot hominum milia relictis patrijs legibus, relicta maiorum religione, relictis uoluptatibus ac uitijs, quibus ab incunabulis assuuerant, nouam ac peregrinam doctrinam amplecterentur, & ex diuersis linguis, diuersis institutis, in humilem quandam philosophiam consentirent: præsertim quum nulla ætas magis fuerit instructa, uel eruditionis facundiæq; præsidijs, uel monarcharum potentia: quúmque mundus omnibus suis præsidijs pugnaret aduersus inermem Euangelij ueritatem, tamen efficere non potuit, quin ea primum occupata Græcia, Neronis urbem & aulam inuaderet, móxque per omnes Romani imperij prouincias sese spargeret, usque ad Gades & Indos, usque ad Afros ac Scythas, & penitus toto diuisos orbe Britannos. Hæ gentes linguis, legibus, ritibus, moribus, institutis, dijs, religione, forma, plurimum inter se dissidebant. Mox ex tanta discordia facti concordes, eandem cantionem canere cœperunt, Iesum Christum unicum orbis dominum seruatorem laudibus uehentes. Interim direptio bonorum, exilia, carceres, cruciatus, mortes, nihil aliud erant, quàm profectus Euangelij. Quis unquam inuentus est, qui pro Solonis legibus, aut Zenonis decretis mortem oppetere sustinuerit? Pro simplici Christi doctrina quot senum ac iuuenum,

num, quot matronarum ac uirginũ milia suas cerui ces præbuere secandas? Et tamen quanto sunt admirabiliora magisq; à sensu communi abhorrentia, quæ docet Euangelium, quàm paradoxa philosophorum? Et illorum doctrinam nemo principum oppugnauit, & tamen sua sponte euanuit, quemadmodum & leges & magia, & ritus sacrificiorum. Quis enim nũc sacrificat dijs ethnicorum, aut mactat Iudaicas uictimas? Quis nunc nouit Zoroasten? Quis Pythagoræ ænigmata pili facit? Quis Apollonij Tyanei uitam non ueluti somnium quoddam legit? imò quis legere dignatur? Nam quod Aristoteles hodie celebris est in scholis, non suis debet, sed Christianis: periisset & ille, nisi Christo fuisset admixtus. Aduersus Euangelicam philosophiam adhuc teneram ac nascentem statim coortus est mundus omnibus suis præsidijs, per Iudæos prætextu religionis aduersus omnis religionis fontem pugnantes, per philosophos omni doctrinæ genere pollentes, per sophistas disputãdi pertinacia inuictos, per rhetores eloquentiæ uiribus admirabiles, per tyrannos omni genere sæuitiarum armatos, per reges, præsides, magistratus, per magos ac præstigiarum artifices, per dæmones huius mũdi dominos. Hos omnes tumultus, uelut inundans malorum pelagus, Euangelicæ ueritatis uis excepit, sustinuit, perrupit, deuicit. Ad luccm enim Euangelicam æquum erat omnia humanæ poten-

næ potentiæ simulachra euanescere. Emicuit Euangelium illud simplex & humile, quod omnes molibantur obruere. Libri eorum qui summo ingenio, mirabili eruditione, exquisita facundia scripserunt aduersus Euangelium, ceu somnia quædam ultro euanuerunt, adeo ut ne extent quidem, nisi si qua fragmenta seruata sunt à Christianis. Reges quod prius impugnabant, adorant: magica uis euanuit, dæmones eiulantes eiiciuntur: philosophia confessa est suam insciitiam, & relicta stulta hominum sapientia, amplexa est sapientem stulticiam crucis: rhetores scribunt encomia Iesu Christi: poëtæ deos ueteres exibilant, & pro innumeris unum Iesum Christum decantant. Hæc tanta mundi mutatio paucis annis à Christo occiso, per totum orbem fieri cœpta est, ac nullis præsidijs humanis semper increuit in maius, donec fermentum admixtum farinæ satis tribus, totam afficeret conspersionem: donec granum sinapis terræ infossum, per Asiam, per Africam, & Europam late panderet ramos suos. Accedit huc, quod qui ueritatem Euangelicam oppugnabant, non solum habebant uaria terriculamenta, quibus mascula quoque pectora possent labefactari, edicta, tribunalia, confiscationes, proscriptiones, exilia, carceres, ecculeos, uirgas, secures, cruces, ignes, bestias, mortes, uerumetiam illecebras uarias, quibus animus quàmuis continens posset corrumpi.

rumpi. Dicebat Cæsar: abnega Christum, & esto interproceres meos primus: ni facis, cõfiscabũtur omnes tuæ facultates, sæuiam in uxorem ac liberos, ipse bestijs obijcieris. Quis hic persuasit tot hominum milibus, ut cum gaudio acciperent honores ademptos, facultates direptas, ut conspicientes eos quibus nihil habebant secundum deum charius, rapi ad immania supplicia, gratias agerent: ut ipsi demum quum liceret effugere, quum liceret tantis potiri commodis, ultro se præberent excarnificandos? Nulla uis humanæ facundiæ id potuisset, sed diuina ueri uis potuit, quæ latebat in grano sinapis. Nec philosophorum doctrina caruit lenocinio. Stoici libertatem, ueras diuitias, sanitates, regnum, aliaq; dictu magnifica pollicebantur, Epicurei uoluptatem auribus hominum cõmendabãt, Peripatetici corporis bona cum uirtute copulabant. At Euangelica doctrina, ut nullis terroribus humanis quenquàm pertrahebat, ita quàm nihil habebat in speciem plausibile, imò quàm multa prorsus incredibilia. Annunciat quendam Iesum suffixum cruci, qui morte sua liberasset genus humanum, hunc esse deum & hominem, natum ex uirgine, qui reuixisset à morte, sederetq; ad dextram dei patris, qui docuisset esse beatos qui hic ob nominis ipsius professionem lugerent, sitirent, esurirẽt, affligerentur, male audirent & occiderentur, olim reuicturos omnes: tum ipso iudicepios

ce pios sortituros immortalitatem, impios perhennes gehennæ cruciatus. Quis philosophus ausus fuisset hæc tam paradoxa, tam non plausibilia proponere? Et tamen hæc ita persuasit humilis Euangelij sermo, ut insanus habeatur, qui non credat, ut tot hominum milia uitam citius deserant, quàm ueritatis Euangelicæ professionem. Et per quos tandem hæc tanta mundi mutatio nata est? per paucos discipulos ignotos, humiles, tenues, idiotas. Quid attinet de reliquis dicere, quum Petrus horum princeps piscator fuerit, & idiota, Paulus sutor coriarius, nullus omnium diues, aut potens, aut nobilis? Aut nihil habebãt huius mundi, aut si quid habuerant, relinquebant. Et quomodo tales rem tantam præstare potuerunt? nimirum adferebant pharmacum in uili pyxide, sed diuina ui potens & efficax. Simplex & inconditus est Euangelij sermo, quẽ si quis expendat ad Thucydidis, aut Titi Liuij historiam, multa desiderabit, multis offendetur. Quàm multa prætermittũt Euangelistæ, quàm multa tribus uerbis attingunt, q̃ multis locis nõ conuenit ordo, quàm multis locis inter se uidentur pugnare? Hæc poterant lectoris animum alienare, ac fidem abrogare lectioni. Contra qui scripserũt humanas historias, quàm soliciti sunt unde rem exordiantur, quàm curant, ne quid præter decorum, ne quid parum probabile, ne quid inconsistens aut absurdum narrent. Tum qua

qua euidentia rem subijciunt oculis, quibus delicijs deliniunt ac retinẽt animum lectoris, ne quid obrepat tædij? Atqui horum elaborata monumẽta magna ex parte interciderunt, & quæ supersunt, nec ab omnibus, & sine fide leguntur. Quis est enim usque adeo credulus, qui cõfirmet in Tito Liuio nihil esse falsæ narrationis? Verum tot hominum milia reperta sunt, quæ mallent decies mortem oppetere, quàm admittere, in Euangelicis literis unicam esse falsam sententiam. Ex his an non palàm agnoscimus, rem non esse potestatis aut prudentiæ humanæ, sed uirtutis diuinæ? Latens uis est in pharmaco, quod semel infusum corpori, se sparsit per uniuersas orbis nationes ueluti per omnia membra. Habemus causam quur Euangelica ueritas intra tam paucos annos per homines humiles, omni sæuitiæ genere rebellante mundo, sese sparserit per uniuersum orbem. Nunc uero subierit alicui demirari, qua ratione factũ sit, ut propioribus seculis quum mundus haberet principes Christianos, episcopos, doctos, opulentos, magnáque autoritate præditos, sic in angustum contracta sit ditio Christi. Nam huius rei comperta causa, fortasse citius inueniretur remediũ. Sed ego iamdudum oblitus mei, præfationis excedo limites. Redeo nunc ad nostrum medicum Lucam, quẽ ut tibi non dubito fore commendatissimum, ita uelim per te omnibus reddi commendatiorem. Ait sapiens

Ecclesiasticus: Honora medicũ propter necessitatem. Quanto magis huic medico suus habendus est honos, qui tam efficax pharmacum exhibuit, quod nulli non est necessarium, nisi si quis est qui uacat omni crimine, nec opus habet, ut seipso melior euadat? Erit autem & efficax, si pertæsi morbos nostros, pharmacum hoc frequenter arrodemus, si assidue commandemus, si traijciemus in stomachum, in intima pectoris, si non reuomemus quod sumptum est, sed in animi stomacho cõtinuerimus, donec explicet uim suam, nosq; totos in se transformet. Expertus sum hoc in meipso, parum esse fructus ex Euangelio, si quis oscitanter ac perfũctorie legat. Sed si quis iugi et accurata meditatione in eo uersetur, uim quandam sentiet, qualem in nullis alijs libris. Iam ut hominum suspicionibus occurramus, quod singulas Euangeliorum Paraphrases singulis principibus dicauimus, casus est, non ambitio. Si quidem idem nobis hic euenit, quod in epistolis apostolicis. Quum scriberemus in Matthæum, nihil minus expectabamus, quàm ut flagitaretur Ioannes, ac mox Lucas. Nunc ne qua lacuna uacua uideatur inter Euãgelistas, addemus & Marcum. Quanquàm qui diuersa Euangelia diuersis dicat, nihilo uideatur facere absurdius, quàm diuus fecit Hieronymus, qui prophetas etiam minores diuersis attribuit. Admonuimus aliâs, ac rursus admonemus lectorem, ne plus

plus tribuat nostræ paraphrasi, quàm tribueret aliorum commentarijs. Non enim in hoc scribimus Paraphrases, ut Euangelium excutiamus è manibus hominum, sed ut commodius & maiore cum fructu legatur: quemadmodum condiuntur cibi, quo libentius ac iucundius sumantur. Quin & illud mihi monendus est lector crassior, me nusquàm in Paraphrasi loqui, ne, quod sub Euangelistæ persona modeste uerèque dicitur, sub mea uideatur arroganter dici. Impartiat tibi dominus Iesus spiritum suum rex inclyte, ut sub principe uere Christiano indies magis ac magis regnet floreatq; ueritas Euangelica. Basileæ, decimo Calen. Septembris. Anno M. D. XXIII.

IN EVANGELIVM LVCAE PARAPHRASIS PER ERASMVM ROTERODAMVM.



IN humanis hiſtorijs, quoniam ex cognitione rerũ non mediocris capitur uel uoluptas uel utilitas, in primis requiri ſolet narrationis fides. Sed hanc multo magis eſſe oportet in Euangelica narratione, quæ non ſolum adfert oblectationem animi uacui, aut utilitatem ad uitam hanc temporariam, uerum etiam neceſſaria eſt ad ueram pietatem, ſine qua nemo conſequitur æternam ſalutem, uitæq; immortalis nunquam interituram felicitatem. Nec enim magnum periculum ſit, ſi quis ignoret, quis fuerit Hannibal aut Alexander: quid rerum geſſerit Epaminundas, aut Scipio: quid ſcripſerit Solon, Lycurgus, aut Draco: quid docuerit Socrates, Plato, uel Ariſtoteles: quanquam harum quoque rerum cognitio

Quoniam quidē multi conati ſunt.

gnitio, iuxta modum humanæ conditionis suum habet fructum. Cæterum quisquis ignorarit patrem, filium & spiritum sanctum: quisquis non didicerit quid pro salute generis humani gesserit in terris dei filius Iesus Christus, quid docuerit, quid promiserit constanter adhærentibus Euangelicæ doctrinæ, quid comminatus sit hanc negligentibus, aut etiam aspernantibus, is uitare non poterit, quin exclusus à sodalitate piorum, exclusus à gaudijs uitæ cœlestis, cum impijs, gehennæ supplicijs nunquam finiendis addicatur. Ac primum quidem Euangelium per apostolos ad hoc ab ipso domino delectos, reliquosq; discipulos spiritu sancto afflatos, uiua tantum uoce, sed optima fide, propagari cœptum est, per omnes mundi regiones, atq; indies latius latiúsque diffunditur. Quoniam autem facilius uitiatur narrationis synceritas, quæ uoce ceu per manus tradita permanat ad plurimos, quàm quæ scriptis proditur, idcirco Matthæus apostolus, unus è numero duodecim, quos in hoc munus peculiariter designarat ac delegerat dominus Iesus, quum adhuc ageret in terris, & Marcus Petri Apostoli discipulus, afflatu diuini spiritus commoniti sunt, ut summam Euangelicæ narrationis in literas mitterent, non hoc agentes, ut alijs præriperent ijsdem de rebus scribendi facultatem, sed ne per pseudapostolos quisquam circunuentus, Iudaismum aut ineptas fabulas pro Euangelio sequeretur. Porrò quemadmodum non omnes

omnes pari synceritate prædicabant Euangelium, ita nec pari fide qui scribunt tractant historiam Euangelicam. Complures enim ita conati sunt contexere seriem Euangelicæ narrationis, quemadmodum alij scriptores rerum ab hominibus gestarum solent, sæpe falsa ueris admiscentes, quæq; ex incertis uulgi rumoribus hauserant pro compertis narrantes, nonnunquam & ex sese comminiscentes, quod memorent, siue mentiendi libidine, siue alio quopiã affectu corrupti. Atque ut sunt res humanæ natura procliues ad corruptelam, fortassis & in posterum exorientur, qui mentiendo de gestis, doctrinaq; Christi ac discipulorum eius efficiant, ut nec ueris habeatur fides. Proinde spiritus Iesu, uellicauit & meum animum, ut post Matthæum & Marcum, qui summa quidem fide, quod tum satis esse iudicabant, prodiderunt: sed certo consilio quædam alijs scribenda reliquerunt, interim uiuæ uocis officio supplentes quod scripto decrat, post alios, qui idem non simili fide conati sunt, quorum alij multa permiscuerunt, magnopere pugnantia cum Euangelica doctrina, nonnulli magis hoc spectarunt, ut indignis Euangelica grauitate fabulis explerent hiantes historiæ rimas, quàm ut ea narrarent, quæ spiritus sanctus iudicauit ad æternam conducere felicitatem, contexa serie quadam narrationis Euangelicæ, simul & ea supplerem, quæ sunt ab alijs prætermissa, & excluderem

autoritatem cæterorum, qui uel ſua commenta, uel populari rumore, non optimo rerum autore cognita, pro certis & compertis prodiderunt, aut prodituri ſunt. Neque enim nos ſic teximus hiſtoriæ ſeriem, ut nihil omnino prætermittamus eorum quæ geſta ſunt, ſed ea dũtaxat referimus, quæ cognouimus ad euangelicam pietatem & æternæ uitæ fructum pertinere. Nam infinitũ ſit omnia perſcribere, quæ Ieſus uel fecit uel docuit. Sũt autem quæ citra ſalutis diſpendium ignorari non poſſint: ſunt rurſum quorum cognitio plurimum adfert utilitatis ad ſtudium pietatis: ſunt deniq; quæ citra periculum ſalutis, citra graue diſpendium pietatis neſciri poſſunt: quemadmodũ in rebus diuinis quæ ſcimus, minima portio eſt ad ea quæ neſcimus. Ergo nec omnia perſequemur, nec inærta cõmemorabimus, ſed ea duntaxat, quorum certiſſima fides nobis eſt facta ab indubitatis apoſtolis ac diſcipulis, qui nõ ſolum ipſi pleraq; ſuis oculis uiderant, ſuis auribus hauſerant, manibus contrectarant, quæ nobis narrabant, uerum etiam aliqua pars fuerant eorum quæ geſta narrabant, utpote qui multa fecerint domini iuſſu, & illius cauſa permulta paſſi ſint, nimirum omnibus in rebus indiuidui comites Ieſu Chriſti. Nec ideo mihi debet eſſe leuior fides, quod ea ſcribam, nõ quæ uiderim ipſe, ſed quæ ab alijs didicerim. Rei tam inuſitatæ, tam nouæ atq; incredibili conueniebat, primum fidem ab omnibus corporis ſenſibus conciliari, deinde

In nobis cõpletæ ſunt.

prodigijs

prodigijs ac miraculis euidentibus confirmari. Atqui hæc argumenta non poſſunt eſſe perpetua. Neq; enim Chriſtus diu ſe conſpiciendum præbuit, & miracula pro tempore dantur hominum incredulitati, quõdam & ipſa deſitura. Satis eſt ab his initijs eſſe profecta fidei rudimenta. Vidit, audiuit, contrectauit Thomas, & credidit, ſed dominus eos beatos pronunciat, qui quum res geſtas non uiderint, tamen Euangelico ſermoni non minus fidant, quàm ſi rebus gerendis interfuiſſent. Alioqui ſi ſolis oculis habetur fides, ipſi quoque, qui cum domino corporalem egere conſuetudinem, multa narrant, quibus non interfuerunt, ſed ab alijs bonæ fidei didicerunt, ueluti de natiuitate & de Genealogia Chriſti, de Magis, de fuga in Aegyptum, de tentatione ſatanæ. Nos tametſi rerum initia non uidimus, tamen rerum exitus uidimus. Vidimus in apoſtolis, quicquid dominus in Euangelio promiſerat. Vidimus illos afflatos cœleſti ſpiritu per impoſitionẽ manuum impartire ſpiritum ſanctum & alijs baptizatis: quin etiam in nobisipſis ſancti ſpiritus uim experti ſumus. Vidimus ad nomen Ieſu fugari dæmones, pelli morbos: uidimus innoxia uenena. Vidimus Euangelij maieſtatem, per homines tenues, humiles & idiotas paucis annis per uniuerſum orbem inclareſcere, fruſtra repugnantibus mundi principibus. Nimirum & hoc prædixerat dominus: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Tales autores, ta-

 les rerum

les rerum exitus, non sinunt nos dubitare, neq; de ijs, quæ nostram ætatem præcesserunt, neq; de his, quæ in postera secula promissa sunt. Quicquid prophetarum oraculis fuerat olim prædictum Iesus aduenies præstitit: quicquid hinc abiturus prædixit euenturum apostolis, euenit: nec dubitandum, quin cætera simili fide præstaturus sit, quæ præstanda distulit in alterũ ipsius aduentum: de resurrectione corporum, de præmijs piorum, & impiorum. A certissimis igitur autoribus, totam Euangelicæ rei seriem studiose perquisitiuimus, atq; ex his delegimus, quæ maxime uidebantur ad fidem & pietatem euangelicam conducere, nõ sparsim & carptim attingentes, ut quæq; inciderint, sed temporis ordinem ac rerum seriem sequuti, diligenter historiã digessimus: altius etiam rem repetentes, uidelicet ab eius cõceptione, qui seruatoris aduentũ, ut natiuitate, ita prædicatione, morteq; præcurrit. Tum de noua conceptione uirginis, de natiuitate pueri, de circunciſione, de purificatione, de prophetijs in puerum æditis, de quibusdam diuinæ indolis indicijs, quæ iam tum in puero ueluti scintillulæ quædam emicuerunt, de quibus cæteri, qui cum fide scripserunt ante nos penè nihil attigerant. Post hæc de baptismo, & prædicatione Ioannis, deinde de baptismo Iesu, de tentatione, de doctrina, de prodigijs, de morte, de sepultura, de resurrectione, de reditu in cœlum. His ordine dẽ gestis, altero uolumine addemus, quomodo miserit spiritum

Assequuto à principio omnia.

ritum sanctum, quæq; fuerint ecclesiæ nascentis, ac semper in maius gliscentis rudimenta, quid gesserint, quid docuerint apostoli præcipui, Petrus, Iacobus, Paulus, & Barnabas, quibus miraculis, quibus afflictionibus nomen domini Iesu glorificarint, non quod arbitrer hæc tibi noua futura, optime Theophile, sed partim ut ordine recognoscas, quæ carptim ab alijs didiciſti, partim ut certiore fide percipias scripto nostro, quæ uiua uoce pridem ab alijs audieras, repudiatis complurium fabulis, quæ se nunc falsò euangelij nomine uenditant, neq; tu solum (neque enim hæc uni scribimus) uerum etiam omnes uel huius ætatis uel posteri, qui hoc sunt aut futuri sunt, quod tu nomine dicceris, hoc est, omnes Theophili, qui satanæ renunciantes, prompta credulitate, pijsq; studijs ambiunt amicitiam dei, quiq; spretis huius mundi malis ac bonis, inhiant ad ea, quæ perennia sunt ac cœlestia.

Vt cognoscas eorum uerborum.

Finis præfationis.

CAPVT PRIMVM.

CVm iam adesset tempus illud diuino consilio præfinitum, uarijsq; prophetarũ oraculis prædictum, ac tot iam seculis à sanctis ac pijs hominibus exoptatum, ut dei filius humanã naturam assumeret, sua morte redempturus humanum genus, sua doctrina, suisq; factis nos ad ueri cognitionem ac Euangelicæ pietatis studium instructurus, deniq; suis promissis nos erecturus ad spem uitæ cœlestis, quoniam totum

hoc quod erat gerendum, nouũ erat, nec ullis auditum seculis, nihil præteritum est argumentorum, diuina sapientia rationibus arcanis omnia moderante, quæ rei per se incredibili fidem apud homines conciliarent. Quis enim unquam audiuit hominem ex homine fuisse natum in terris, qui semper deus regnaret in cœlis? Prodigiorum plenæ sunt etiam ethnicorum historiæ. In ueteris instrumẽti uoluminibus diſamus ignem è cœlo missum, mare diuisum in duas partes, aquam ictu uirgæ prolicitam è petra, mortuos deniq; reuixisse. Quis unquam audiuit uirginem citra uirilem operam peperisse? Erat autem nostræ salutis caput, illud esse persuasum omnibus Iesum esse Messiam, cuius aduentum omnia prophetarum uaticinia promiserant, quem tota Mosi lex adumbrarat, à quo uno salus esset omnibus
Fuit in diebus. speranda. Proinde diuino consilio paratus est, qui cœlestem uirginis partum, & ipse mirabili modo natus præcurreret, qui nobilitate generis, qui inaudita uitæ sanctimonia, quiq; raris dotibus parta apud omnes autoritate, Iesu nondum noto, primam noticiam ac fidem conciliaret apud incredulos Iudæos, quemadmodum Euãgelica philosophia, cuius princeps & autor erat Christus, uetustæ legis, cuius typũ gerebat Zacharias & Ioannes, testiminio primũ orbi cõmendata est. Mox uersis rerum uicibus, ut Christus proditis suis uirtutibus obscurauit Ioannis gloriam, ita fulgor Euangelicæ maiestatis, ubi sese prodidit mundo, Mosaicæ legis

autoritatem

autoritatem uelut antiquauit. Iacob autem patriarcha morti uicinus, quum fatidico afflatus spiritu plurima prædicaret, quæ multis post seculis essent euentura, iamq; uentum esset ad Iudam, è cuius tribu proditurus erat dominus Iesus iuxta carnem, uaticinium huiusmodi deprompsit: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec ueniat qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium. Hæc prophetia satis euidenter significabat tum uenturum Messiam, quum Iudaica natio, quæ semper à suæ gentis ducibus, iudicibus, regibus ac sacerdotibus fuerat gubernata, parêret alienigenæ principi: simul & illud indicans, euangelicam gratiam, à Iudæis spretam, ad gentes demigraturam. Sed primus omnium Herodes Antipatri filius, quum non esset Iudaici generis, & alioqui uir impius, non solum in gentis honorem cooptatus est, uerum etiam fauore Cæsaris regnum in Iudæos obtinuit. Proinde uel hoc indicio conijcere poterant scribæ & pharisæi, qui legis exactam scientiã profitebantur, iam adesse tempus quo nasceretur ille, qui regnis terrenis abolitis inueheret regnum cœleste, quiq; pro tyrannis faceret pastores, pro dominis patres. Porrò quum Iudaici sacerdotij summa quædã & admirabilis esset apud omnes dignitas, prædixerat spiritus sanctus per prophetas & hoc abrogandum, posteaquàm uenisset ille, q non oleo corporali unctus ab hominibus, sed oleo cœlesti iuxta spiritum unctus à deo, unico, sed efficacissimo

Herodis regis.

Sacerdos quidam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ãssimo sacrificio tolleret omnia peccata mundi, ac per fidem euangelicam, diuiniq; spiritus largitatem sanctificaret uniuersa. Prædixerat enim Daniël post
Daniël. 9. hebdomadas annorũ à deo præfixas, futurũ ut ungeretur sanctus sanctorũ, ac deinde cessarent hostiæ ac sacrificia ueteris legis. Quum uenerint æterna, cessabunt temporaria, quum uenerint spiritualia, ceßabũt carnalia, quum uenerit ueritas, cedent simulacra, quũ uenerit lux, euanescent umbræ, quum cœperit loqui Christus, obmutescet uox crassæ legis, donec & ipsa palàm profiteatur eum, quem ante hac typis quibusdam ueluti nutibus innuit magis quàm eloquuta est. Hoc igitur tempore, quum Herodes, primum alienigena, deinde uir impius, ac multis homicidijs & parricidijs funestus, rerũ summa potiretur apud Iudæos, non ex autoritate dei, sed ex fauore Cæsaris Augusti, cũq; Iudaici templi religio, quæ figuris ac ceremonijs corporalibus maxime floreret apud homines, quũ apud deum sub falso religionis prætextu, inter scribas, phariſæos, seniores & pontifices, extrema regnaret impietas, domini Iesu aduentus his initijs primum cœpit innotescere mundo. Erat sub impio rege sacerdos pius, uidelicet reliquiæ uetusti ordinis, nondum tot uitijs corrupti, huic nomen erat Zacharias, quem id tẽporis sortes ac uices in orbem recurrentes, ad sacrorum administrationem uocabant. Sic enim Dauid uniuersum sacerdotum genus in duas principales familias

milias digesserat, Eleazar & Ithamar. His subiectas familias reliquas distinxit in sortes uiginti quatuor, ut ordine singulæ per suas uices sacris operarentur dies octonos, abstinentes interim ab omnibus, quæ iuxta Mosaicos ritus uidebantur hominem impurum reddere, tẽperantes & à congressu coniugum, nec attingentes priuatas ædes, sed assidue uersantes in templo, quo castius ac purius tractarent rem diuinam: cæteris interea fas erat, uxoribus, liberis cæterisq; rebus profanis, sed necessarijs uacare. Porrò dum hic ordo sortibus digeritur, inter uiginti quatuor familias, octauus locus obtigit Abiæ, unde Zacharias ducebat originẽ, & in cuius uices succesſerat. Hæc tametsi casu geri uidebantur, tamen nihil nõ dispensatum est diuino cõsilio, ne numero quidem ordinis ocioso. Siquidem ut hebdomas multis de causis uetustæ legis typum habet, ita ogdoas euangelicæ gratiæ congruit, quum nõ iam per opera legis, sed per fidẽ gratis donatur æterna felicitas. Erat autem & uxor Zachariæ Elizabet, Et uxor illi.
non tam generis nobilitate commendabilis (ducebat enim genus è primo gentis Israëliticæ sacerdote Aaron) quàm morum integritate uenerabilis, ne non esset tali marito digna cõiunx. Erat enim uere sanctũ coniugiũ, non tam cõiunctione corporum, quàm animorum similitudine, ac pietatis societate confœderatum, propterea quod essent ambo uere iusti, nõ iusticia phariſæorum, qui se falsa quadam specie sanctimoniæ Iusti ante deum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

moniæ uenditabant oculis hominum ad quæstum & gloriam, obscurantes facies suas, prænente tuba dantes eleemosynas suas: prolixis precibus in angulis platearum uenantes opinionem pietatis, cum animus maderet omni spurcitie scelerum, sed synceris animis sic seruabant omnia, quæ dominus per legem præceperat, ut nec hominibus darent ullam ansam reprehensionis, & quod est difficillimum, oculis etiam dei semet totius uitæ puritate commendarent, procurante nimirum & hoc diuino consilio, ut is qui Christo uenienti perhibiturus esset testimonium, esset ipse numeris omnibus populo Iudæorum cõmendatus, primum generis paterni simul ac materni sacerdotali nobilitate, parentis utriusq; inculpata uita, tum suis ipsius raris & admirandis uirtutibus, postremo glorioſa morte pro ueritate obita. Talis nimirum præco decebat eum, qui uenerat uniuersum mundum odore bonæ opinionis ad se pellecturus. Quin & illud diuina prouidentia procuratum est, ut natiuitatis nouitas excitaret hominum animos in admirationem Ioannis, nihilq; plebeium expectarent ab eo, qui non iuxta uulgarem naturæ cursum, sed cœlesti beneficio natus esset. Quanquam enim probatissima esset apud omnes Zachariæ & Elizabet sanctimonia, tamen in hoc parum felix uidebatur illorum pietas, quod ambo cõsenuissent orbi. Nam apud Iudæos ut magnifica quædam res habebatur matrimonij fœcunditas, ita sterilitas cum primis

Et non erat illis filius.

erat in

erat in probro, & inter præcipua uitæ mala numerabatur. Vulgus enim interpretabatur à deo reiectos esse, quibus non obtigisset, populum deo sacrum aliqua prole locupletare. Nondum enim didicerant carnales Iudæi, spiritualem esse populum, quem deus uellet cœlesti generatione semper in maius propagari: nondum audierant esse beatos, qui se castrassent propter regnum dei. Ea res grauiter discruciabat animos amborum, sed præcipue Elizabet, quæ iam probroso cognomine uulgo sterilis uocabatur: & ut deploratæ sterilitatis mulier, inter infelices matronas numerabatur, quæ plurimis annis in mariti consortio peractis, nullum matrimonij fructum ædidisset. Etenim sterilitatis probrum potissimum in fœminas cadere solet. Auxerat prolis desperationem utriusq; senectus, sed quod naturæ uirtus nõ dabat corporũ congressui, hoc pijs animorum uotis indulsit diuina benignitas. Itaque quum Zacharias sacerdotij munere fungeretur in ordine uicis suæ, quæ erat, ut dixmus, Abiæ, & in tẽplo uersans in conspectu dei, purus & castus sacris operaretur, iamq; ex more, sorte deligendus esset, quis introiret secretissimum templi secessum, quod dicitur sanctum sanctorum, sorte delectus est ille, ut ingressus sancta sanctorũ, quò nemini fas erat ingredi præter Pontificem aut huius loco designatum, ex præscriptis odoribus, stacte, onyche, galbano, ac thure pellucido sacrum suffitum poneret in altari, quod erat in

Eo quod esset Elizabet sterilis.

secreto

secreto templi recessu. Habebatur enim hoc sacrificij genus apud Iudæos omnium sanctissimum, nec ad huius conspectum admittebatur profana multitudo, ac ne Leuitarum quidem quisquam. Sed reliqui manebant foris, secluſi uelo, deprecantes interim, ut quod pro totius populi salute offerebatur, deus ratum habere dignaretur, donec sacerdos peracto intus sacrificio prodiret ad populum, reliquaq; perageret, quæ ad sacrificij legitimos ritus pertinebant. Porrò sacerdos nõ solum orabat pro populo, uerum etiam pro se iuxta legis præscriptum, nimirum mortalis & ipse, & erroribus ac uitijs humanis obnoxius. Quum igitur Zacharias olim crebro uotis deum fatigasset, ut uxorem ipsius sterilitatis probro, se orbitatis molestia liberaret, tamen desperatione prolis iam pridem concepta, tum publicam populi redemptionem, multis iam seculis expectatam, uotis ardentißimis, uelut à deo præsente postulabat. Ac suffitus quidem insurgens, ab ara per aërem diffundebatur. Cæterum pij Pontificis uotum ad deum usq; penetrabat, angelis nimirum perferentibus, quorum illæ partes sunt, piorum preces ad cœleſte numen perferre, & rursus illius munificentiam ad nos deferre. Angelus igitur è cœlo missus astabat ad dextrum latus altaris, in quo odores adolebantur, ueluti læta nunciaturus, quod, quæ dextra sunt, felicitatis habeant omen. Hunc ubi cœlesti luce fulgentem subito uidisset Zacharias, nec enim hominum more in-

Apparuit aũt illi angelus.

gressus est, sed repente sese conspicuum exhibuit, sanè conturbatus est animo, ac pauore correptus est: non quod quicquam formidabile præ se ferret angelus, sed quod humani corporis infirmitas non sustinet cœlestium spirituum maiestatem. Verum ut humanæ imbecillitatis est, ad subitum angeli conspectum inhorrescere: ita illorum benignitatis est, nostrum pauorem blando alloquio tollere. Itaque blando uultu, blandaq; uoce compellans Zachariam Angelus, ait: Non est quod expauescas Zacharia, sed est quod gaudeas. Nam adfero tibi, totiq; populo, pro quo intercedis, lætum nuncium. Annuit deus pijs uotis tuis. Venturus est ille iam olim promissus, multisq; iam seculis expectatus Messias, liberator ac seruator populi sui. Nec solum hoc impetratum est, quod petisti, uerum etiam illud ad cumulum uotorũ adijcit diuina bonitas, quod tu petere non audebas, quoniam fieri posse desperabas. Petisti redemptorem, accipies & redemptoris præconem. Elizabet uxoris tuæ diuino consilio dilata fœcunditas, ingens gaudiorum fœnus adferet tibi: ac publica totius populi lætitia, cum priuata tuæ domus gratulatione copulabitur. In hoc proficiet desperata fœcunditas, ut omnes intelligant non esse partum uulgarem, sed autore deo nasci quod nascetur. Pariet quidem uxor tibi, sed non tibi soli pariet, pariet uniuerso populo, pariet deo, cuius prouidentia totũ hoc negociũ temperatur. Hoc mirabilius pariet, quo seri-

us: hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

us,hoc plausibilius, quod præter spem: hoc felicius, quod filium pariet,non quemlibet, sed magnum maximi Messiæ præconem ac præcursorem,& uelut antecambulonem ac uiatorem. Ad tam eximium munus gratuito dei fauore delectus est,et ideo uocabis nomen eius Ioannes,ut uel hinc admoneatur populus,illum fore deo gratissimum,ac diuinis dotibus affatim cumulatum.Itaq; mœror,quem hactenus attulit tibi coniugis sterilitas, ubere gaudio multaq; exultatione pẽsabitur. Nec istud gaudium intra tuæ domus parietes continebitur. Gaudebunt tuo gaudio complures amici, qui prius tuo dolore dolebant. Gaudio gestient omnes in natiuitate filij tui, qui sitiunt aduentum Messiæ. Hunc ueluti solem,filius tuus ceu lucifer quidam præcurret,admirabili luce prænunciaturus illius imminentem exortum, qui totius mundi tenebras dispellet. Erit ille quidem incomparabiliter maximus,sed & filius tuus,quemadmodum hoc erit inferior, ita cæteros omnes prophetas,qui hactenus fuerunt, dignitate superabit.Futurus est enim uere magnus, non solum hominum opinione, uerum etiam in oculis domini, cui nemo magnus est, nisi dotibus quas ipse largitur.Nec enim opibus aut strepitu uitæ,aut regno mundano magnus erit,sed harum potius rerũ contemptu,quæ magnos reddunt quosdam in oculis hominum:quoq; minus appetet huius mundi commoda, hoc uberius cœlestibus bonis cumulabitur. Tantum autem aberit à luxu,cæteris

Et multi in natiuitate eius gaud.

Vinum & siceram.

xu,cæterisq; corporalibus oblectamentis,ut nec uinũ nec siceram sit unquã bibiturus,hoc est,quicquid sobrietatem adimere potest homini.Non enim habent locum hæ sordidæ uoluptates in eo,cuius pectus spiritus sanctus occuparit,qui filij tui mẽtem intra ipsos etiamnum uteri materni sinus latitantis replebit,ut gestu prophetam agat,priusquam effari liceat. Mox ubi cum ætate creuerint diuini spiritus munera,mira perficiet,uel exemplo uitæ sanctissimæ,uel admirabili prædicatione.Siquidem iuxta Malachiæ uaticinũ, multos ex filijs Israël alienatos à deo,dum freti carnali lege,negligunt ea quæ legis figuræ designant,conuertet ad dominum deum ipsorum, magna libertate prædicans instare regnũ cœlorum,ad uitæ prioris pœnitentiam adhortans,baptismo præludens abolitioni peccatorum,quæ per Messiam erit futura.Deniq; cõmonstras omnibus eum,quem deus in hoc missurus est,ut per unum salus æterna contingat uniuersis. Is Messias primum aduenier humilis,ut omnibus sibi fidentibus gratis conferat æternam salutẽ.Deinde rursus aduenier cũ maiestate,pro suis cuiq; factis præmium redditurus:pijs uitam æternam,incredulis & impijs mortem æternam.Quemadmodũ autem iuxta Malachiæ uaticinium,Helias præcursor erit aduentus secundi,sua prædicatione præparaturus animos hominũ,in diem illũ domini magnum ac terribilem, ita tuus filius præcursor erit prioris aduentus,quo de-

Parare domino plebẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

us per Messiam filium suum descendet in terras, per eius prædicationem uniuersos homines ad sui cognitionem & amorem inuitaturus. Et ob id à nonnullis Helias esse credetur. Nec immerito dicetur Helias, qui spiritu ac uirtute Heliæ præueniet aduentum domini: ut, quemadmodum scripsit Malachias, conuertat corda patrum ad filios, quo Iudæi qui tantopere degenerarunt à religiõe maiorum suorũ resipiscant, seseq; referant ad meliorem frugem, & credẽtes Messiæ sermonibus, per quem deus illis loquetur, uere promereantur dici filij Abrahæ, dum Abrahæ credulitatem imitantur: simulq; eos qui cortici legis inhærentes, non intelligunt mentem ac uim legis, cõuertat ad prudentiam iustorum, qui didicerunt altius quiddam & sanctius occultari legis tectorio, quod breui Messiæ, qui legem absoluet, prædicatione proferetur. Sed huius cœlesti prædicationi filius tuus præuius, præparabit animos hominum, ut aduenienti tradat populũ, non omnino rudem, sed iam agnitione peccatorũ suorum, expectatione regni cœlestis, ac desiderio uenturi Messiæ, præparatũ atq; instructũ. Sic enim uisum est deo, iactis primum initijs ac rudimentis, per gradus paulatim ad summa prouehere mortales, ad extremam ignorantiam & impietatem prolapsos. Hæc angelo loquente iam metum posuerat Zacharias, sed quoniã magnifica promittebat, ac iuxta naturæ cursum incredibilia, Iudæorũ more, atq; etiam synagogæ typum

Corda patrũ in filios.

Prudentiam iustorum.

typum gerẽs, postulat signo quopiam pondus astrui promissis, ut miraculum miraculo fidem impetraret. Respondit igitur hunc in modum angelo. Quonam argumento præsenti cognoscere queam, certum esse quod polliceris in posterum? Nam alioqui reclamat naturæ sensus. Siquidem ipse iam consenui, & uxor prouectioris ætatis est, quàm ut ex ea partus sperari debeat. Quomodo continget uetulis & effœtis, quod iuuenibus & corpore uigentibus non contigit? Tum angelus. Si hæc tibi promitteret homo missus ab homine, nõ iniuria de promisso dubitares. Fateor enim esse supra uires humanas, fateor esse præter cõmunẽ naturæ ordinem, quod promitto. Sed nec angelus potest adferre uanum nuncium: neq; quicquam est tam incredibile apud homines, quod deus nõ facile præstet ijs, qui credant ipsius promissis. Ego enim sum angelus ille Gabriel, olim missus ad Danielem prophetã, qui inter septem præcipuos cœli ministros, semper assisto in conspectu dei, paratus ad omne obsequiũ diuinæ uoluntatis. Nunc in hoc peculiariter à deo designatus, ut in hoc negocio, quo nõ aliud unquam actũ est maius, aut mirabilius, inter deum & homines internuncium agam. Huius igitur, ne quid diffidas, promissi deus autor est, ego nuncius, ab eo missus, ut hæc tibi referam, lætumq; nuncium adferam. Dabitur autem, quando id postulas, quod simul erit & in posterum præstandi promissi argumentum, & præsentis

Ego sum Gabriel.

Euangelizare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diffidentiæ pœna. Ecce subito ab hoc tẽpore fies mutus, nec poteris quicquã effari, donec filius natus meam fidẽ liberarit, de qua dubitari nõ oportuit. Instat enim tempus ut sileat incredula synagoga, neq; linguam habeant, nisi qui prompta credulitate paruerint Euangelicæ prædicationi. Dum hæc aguntur in intimo templi tabernaculo, inter Zachariam & angelum, populus uniuersus expectabat, ut prodiret ex more sacerdos, reliqua peracturus apud multitudinẽ. Admirabantur autem, quod solito diutius commoraretur in tabernaculo. Tandem Zacharias prodit ad populum, uultu quidem insolitam læticiam præ se ferente, sed elinguis. Quibus ex rebus populus intellexit illi uisum aliquod intus apparuisse. Solet enim numinum aut cœlestium spirituũ congressus habitũ humani corporis immutare, quemadmodum & olim accidit Mosi. Porrò quod lingua proloqui non potĕrat, nutibus indicabat, nimirum feliciter esse litatum, gratias agerent deo, qui uota suorum exaudisset. Permã sit autem Zacharias in templo fungens officio suo in administrandis sacris, usq; ad expletum dierum numerum. Habebat interea populus Iudaicus mutum sacerdotem, mox ceßaturæ legis indicium, eiq; ceßuræ, qui prolata ueritate, rerum umbras submoueret. Cæterum expleto legitimo tempore functionis, Zacharias recepit se domũ suam, ibi fretus angeli promissis, cõplexus est sterilem ac uetulam suam Elizabet, non

non enim hic libidini uacabatur, sed desiderabatur proles, quæ dei gloriã sua uita & prædicatione illustraret, quiq; præcursor esset futurus eius, qui diu expectatus, tandem perfectam salutẽ adferret omnibus. Casti coniugum complexus sunt, quos diuina promissio copulat, non libido. Sanctus est coitus, qui nihil nisi prolem ambit. Pius amor prolis, quæ non nobis gignitur, sed publicæ saluti. Porrò posteaquàm iuxta promissum angeli concepisset Elizabet, abdidit sese à conspectu populi mensibus quinq;, læta quidem de conceptu, sed ut est uerecũda probitas, suppudescens, quod his, qui nondum nouerant hæc autore deo geri, iam anus adhuc libidini uacasse posset uideri. Nec enim ignorabat, quàm sit pronum ad male suspicandum, simul & male loquendum uulgus hominũ. Spectabat & illud prudens mulieris animus, non esse iactandum dei donum apud populum, donec certũ esset, ne si quid fefellisset, sterilitatis probrũ, ob frustra speratam anui prolem, conduplicaretur. Verum ubi iam sese certis argumentis cognouisset grauidam, sic suæ felicitati gratulata est, ut hoc totum quicquid esset, ad dei bonitatem referret. Hactenus, inquit, steriliS & effœtæ probro traducta sum apud populum Israëliticum, cui turpior est corporis sterilitas, quàm animi improbitas. Sed ut uideo dominus in hoc fœcũditatem distulit, quo non solũ eximeret me à probro sterilitatis, uerumetiam cumulatius adferret gaudium

Quia sic fecit mihi dominus.

præter ſpem nata proles. Nã planè dei munus eſt, qui quo ipſi uiſum eſt tempore, dignatus eſt ancillã ſuam reſpicere, quod poſt hac unica ſeraq;, ſed inſigni prole, quam deo genui, prædicabor mater felicior multis, quæ numeroſo partu locupletant ſuos maritos. His ita geſtis reſtabat ut ſanctior ac maior huius myſterij pars per Angelum procuraretur, uidelicet, ut quod nunq; ab orbe condito fuiſſet auditũ, neq; poſteris ſeculis foret audiendum, filius dei, deus immortalis, ex homine uirgine naſceretur, homo mortalis. Ergo quum appeteret tempus illud ab æterno præfinitum, ut deus per filium ſuum mundum uniuerſum à mortis ac peccati tyrannide liberaret, miſit eundem angelum Gabrielem, ueluti Paranymphum ac diuini cum uirgine congreſſus conciliatorem. Id factum eſt, menſe ab Elizabet conceptu ſexto. Erat ad hoc cœleſte negocium delecta uirguncula, non opibus, non nominis claritate, non uitæ ſtrepitu, nõ alijs rebus, quas hic mundus admirari ſolet, commendata, ſed eximijs animi dotibus prædita, quæ cõmendant hominẽ oculis dei, puritate, modeſtia, pietate. Ea habitabat in humili ciuitatula Galilææ, gentis apud Iudæos contemptæ. Erat autem uirgo deſponſa uiro, nulla re nobili iuxta mundi æſtimationem, ſed animi uirtutibus deo commendabilis: arte faber, cui nomen erat Ioſeph, genus ducens è ſtirpe Dauid, è qua genus traxerat & ſponſa, ne res non congrueret prophetiæ, quæ Meſſiã promi-

In menſe autem ſexto.

promiſerat ex genere Dauid regis. Porrò nomen uirginis erat Maria. Humiles delegerat deus, ne quid in hoc cœleſti negocio, ſibi mundus uindicaret. Moribus inculpatißimis ac puriſſimis delegerat, ne quid in hos criminis poſſet impingi. Caſto coniugio iunctos delegerat, ut uirginei partus arcanum, in ſuum uſq; tempus cælaretur, ſimulq; ne teſtis idoneus deeſſet, rei alioqui incredibili, quod citra uirilem cõgreſſum uirgo peperiſſet. Hæc quum in ſuo conclaui uacaret rerum cœleſtium cõtemplationi, quemadmodum uirginitas amat ſecretum, Gabriel angelus multa luce conſpicuus ingreſſus ad eam, nouo genere ſalutationis illam affatus eſt. Aue, inquit, & gaude uirgo gratioſa & fauorabilis. Dominum habes tibi fauentem, ac propitium. Et ob hoc eris unice celebris, ac laudati nominis inter omnes mulieres. At uirgo ad ſubitum aſpectum angeli, ſimulq; ad nouam & inauditam ſalutationis formam auditam, quum ipſa nihil magnifice de ſe ſentiret, nonnihil animo turbata eſt. Nam quod expauit ad inexpectatum ingreſſum, uere uirginei cuiuſdam ac teneri pudoris erat: quod non illico reſpondit, ſed ſecum in animo uerſabat, quid ſibi uellet tam noua, tamq; magnifica ſalutatio, partim erat prudentiæ, partim modeſtiæ. Quum autem non lateret angelum, quid illa ſecum agitaret, non paſſus eſt eam diutius animo fluctuare, ſed & pauorem blando ademit alloquio, & nouæ ſalutationis cauſam expoſuit. Nõ

Deſponſatã uiro.

est, inquit, quod metuas Maria, in tuto est tibi quem unice diligis uirginitatis thesaurus. Nec te uana salutatione demulceo. Et letissimæ rei, & maximæ tibi nuncius adsum. Noli expendere merita tua. Diuini fauoris est, quod offertur, non meriti tui. Hoc ipso places domino, quod tibi non places. Sit illud tibi satis, quod nacta es gratiam, ac fauorem apud deum. Accipe rem inauditam, sed ueram. Concipies fœtum in utero tuo, paries q; filium, ac uocabis nomen eius Iesum, quoniam salutem adferet populo suo. Quanquã autem ex humili loco, ex humili puella natus, tamen diuinis uirtutibus erit modis omnibus maximus: adeo ut posteaquàm innotuerit mundo, uocandus sit non propheta, sed filius altissimi. Cognomen erit maius humano modo: quia quod nascetur, erit humana conditione sublimius. In hoc nimirum præstabit dominus deus, quod promisit uaticinium, tibi non ignotum: è stirpe Dauid natus, sedebit in progenitoris sui solio. Non occupabit sibi mundi præsidijs, regnum mundi temporariũ, sed pater cœlestis dabit illi regnum Dauid cœleste, ac regnaturus est super uiros Israëlitas in æternum. Nec huius regni uenturus est ullus finis, quemadmodum uaticinatus est Esaias propheta. Ex his tam magnificis angeli promissis, nihilo factus est insolentior uirginis animus, nec ex rerum sublimitate concepit diffidentiam, non præsumebat animo, se quoq; cum filio regnante regnaturam, nec ignorabat nihil

nihil esse tam arduum, quod solo nutu non posset deus. Tantũ de uirginitatis adamato thesauro sollicita est. Proinde non postulat ab angelo signum, quemadmodum fecerat Zacharias, tantum modum rei gerẽdæ, uerecunde simul & prudenter quærit ex angelo cognoscere, respondens hunc in modum. Qua nam, inquit, ratione fiet, ut pariam filium, quandoquidem ita desponsa sum uiro, qui cum nunc uiuo, ut mihi tamen cum eo non sit consuetudo connubialis? Placet enim utriq; castitas, & hanc felicitatem nobis, si liceret, cuperemus esse perpetuam. Docet igitur modum angelus, & de uirginitate scrupulum eximit uirgini. Nihil hic, inquit, ó uirgo geretur iuxta communem naturæ cursum. Cœlestis erit partus, ac cœlesti peragetur opifice. Castum sponsum tuum, amore casto perges prosequi. Continget tibi felicissima fœcunditas, absq; ullo uirginitatis detrimento. Non enim tibi in hoc additus est sponsus, ut is te matrem faciat, aut tu illum patrem, sed hac ratione diuina prouidentia, tuæ incolumitati, tuæ famæ ac uirginitati debitæ trãquillitati consultum esse uoluit. Voluit adesse certissimum testem noui partus. Noluit deesse, qui casto conuictu, qui fidis obsequijs tibi, puero q; q nascetur inseruiret. Deniq; hoc consilio uoluit hoc mysterium cælatum esse incredulis, cælatum etiam impijs spiritibus. Sanctus hic diuinæ naturæ cum humana coitus, nõ uiolabit pudicitiã tuam, sed cõsecrabit. Decreuit

pater cœlestis nouo modo rursus filium suum ex te gignere. Nec erit opus ad diuinum cõceptum ullo uiri mortalis semine, sed spiritus sanctus cœlitus illabetur in te, inq; tuo utero, uelut in officina cœlesti, sacri fœtus opificium peraget, ac pro mariti corporali complexu, obumbrabit tibi altissimus, sic immensam uirtutem suam ad humanæ naturæ modum attemperans, ut congressum sustinere possit. Vbi libido interQuod nascitur ex te sanctum. cedit in coitu, ibi quod nascitur, immũdum nascitur, & peccato obnoxium. Cæterum quod ex te nascetur, quoniam ex sanctissimo complexu concipietur altissimi: quoniam ex opificio sancti spiritus, qui sanctificat omnia: quoniam è purissima uirgine, quam unam in hoc deus delegit immunem ab omni labe uitiorum, mox sanctum erit ut conceptũ fuerit. Ac propter corpus humanum, de tui corporis substantia desumptũ,Vocabitur filius dei. recte dicetur filius uirginis ac filius hominis: cæterũ post intellectum huius natiuitatis mysterium, non dicetur filius Ioseph, sed filius dei: non quidem uulgari more quo iusti purgati à peccatis ac per gratiam dei iustificati, per adoptionem dicuntur filij dei, sed singulari ratione uocabitur filius dei, ex quo uere bis natus sit, semel absq; initio, ab æterno æternus: nũc in tempore ex matre mortali mortalis, homo ex homine. Sicut autem in hoc congressu, diuina natura cum humana conglutinabitur, ita partus utriusq; parentis naturam referet. Hoc diuini consilij mysterium, sublimius

limius est quàm ut uel ab angelis percipi queat. Tibi satis est mentem credulam, & ad obsequium promptam exhibere. Cætera pro suo arbitratu peraget is, qui quicquid uult, potest. Iam ut & gaudiũ tuum sit cumulatius, & certior fiducia, sume exemplum recens è proximo. Ecce Elizabet cognata tua, anus illa iam diu deploratæ sterilitatis, præter omnem spem, præter naturæ uires, me nuncio concepit filium, tui partus præconem futurum. Iamdudum certus conceptus est, tumet uterus, uiuit ac mouetur infans. Nam hic mensis illi sextus est, ex quo cõcepit illa uulgo dicta sterilis, & antequam senescere t: nunc etiam proiectioris ætatis, quàm ut sperari possit soboles, etiam si antea sterilis non fuisset. Hoc ita uisum est deo, ut intelligant omnes nihil esse tam incredibile apud homines, quod non præstet diuina uirtus, si uoluerit. Tam facile dabit conceptum uirgini, quàm dedit sterili, nisi quod tuum exemplum singulare uoluit esse, propterea quod partus sit futurus singularis. Peperere diuino munere steriles aliquot, sed nihil aliud q̃m homines peperere. Nulla antehac uirgo peperit, nec ulla post te paritura est, quia non nisi semel nascetur, qui diuinam & humanam naturam unus in se complectatur. Hæc ubi dixisset Gabriel, uirgo paucis uerbis respondit, sed quæ summam animi modestiam, cum summa fiducia pietateq; cõiunctam testarentur. Scio, inquit, promissum esse p os Esaiæ, ut uirgo cõciperet,

peret,& pareret filium,nec dubito,quin possit deus omnia quæ uelit,nec fallet in promissis suis. Quod si ita illi uisum est,me puellam omniũ infimam ,ad huius mysterij ministerium deligere,nihil est quod hinc mihi uindicem uel meriti,uel gratiæ. Totũ erit diuinæ bonitatis,totum erit diuinæ uirtutis,me tantũ offero ancillam domino ,cui semel dicata sum,paratam ad omne obsequium. Credo quod promittis, & opto ut quàm primum mihi contingat,quemadmodũ promittis. Simulq; cum dicto peractus est insensibiliter cœlestis ille conceptus,habebat in utero filium dei,repleta est spiritu sancto. Ac mox reliquit illam angelus. Ab hoc sancto uirginis cum angelo colloquio,deus auspicari uoluit restituendi generis humani negocium,quando primum illud pestiferum uirginis cum serpente colloquium,exitij seminariũ inuexerat mundo. Ac paucis post diebus Maria ex munere diuino facta modestior & officiosior,quoniam ex angeli sermone didicerat Elizabet cognatam suam sextũ iam mensem esse grauidam,relictis ædibus suis, profecta est in montana,magnaq; celeritate peruenit in ciuitatem Iudæ,ubi habitabat Zacharias,& ingressa domum illius,salutem & gratulationem obtulit cognatæ. Siquidem uera pietas,potius gaudet de felicitate aliena,quàm studet iactare suam. Amat secretum uirginitas,non euocatur ab ædium intimis, nisi prouocet officiũ: in publico properat,in officio lentior est.

Fiat mihi.

In toto

In toto itinere neminem salutauit Maria,donec uentum esset ad Elizabet. Neque uero uulgaris fuit ista salutatio. Creuit utrisq; ex mutua gratulatione felicitas,exuberauit spiritus diuini uis. Maria fontem omnem spiritualium dotium secum ferebat in utero, suiq; fœtus afflatu,iam tota spirabat deum. Itaque factum est,ut simul atq; uirginis salutatio tetigisset aures Elizabet,infans quem anus gestabat in utero ,ueluti gaudio gestiens exiliret. Sensit Ioannes nondũ natus domini sui modo concepti diuinam uirtutem ,& intra materni uteri sinus gestu prædicat eum, quem olim erat sua uoce prædicaturus. Nec sine fructu sensit sanctum infantis sui tripudiũ Elizabet. Per fœtum diuinitus afflatũ afflatur & mater,ac felici contagio corripiuntur omnia. Per Mariæ uocẽ cœlestis uirtus penetrat in fœtum Elizabet,per fœtum afflatu correptum,afflatur & mater,sic ut & ipsa repleta spiritu sancto,non iam continuerit animi sui gaudia,quæ prius tacita latitauerat ,conceptum pudore dissimulans:sed ingenti uoce,quam ingens affectus suppeditabat,exclamauerit ea promens afflatu spiritus , quæ nec ex uteri tumore suspicari potrat ,nec ex homine didicerat,& perinde quasi angelũ audisset cum Maria loquentem,ita uerbis angelicis suam gratulationem auspicatur. O felix,inquit,uirgo,tu primã laudem obtinebis inter omnes laudatas mulieres. Simúlque sacer fructus uirginei uentris tui,gentiũ omniũ

Benedictus fructus uentris.

uoce

uoce prædicabitur per uniuersum orbem, de quo iam olim uaticinati sunt prophetæ, unde prodibit flos ille mirabilis, ac primam laudem obtinebit inter omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terris. Agnosco, maius est homine, quod claudis uteri tui thalamo. Si tantum in nobis æstimetur ætas, nõ est incongruum puellam uenire ad anum: sin æstimetur fœtuũ dignitas, meum erat ad te properare. Ego quidem sat eram felix diuino beneficio, quod prolem gesto, magnum quiddam olim futuram: sed quonam meo merito tanta felicitas mihi contigit, ut mater futura domini mei ultro ueniat ad me? Siquidem argumento indubitato sensi domini mei aduentum. Ecce enim simul atq; uox salutationis tuæ personuit aures meas, sensi infantem subsultantem in utero meo, uelut occurrere gestienti domino suo, ac debitum honoris officium exhibere. Nimirum respondes mater tuo fœtui. Ille dominus dignatur inuisere famulũ suum, ut sanctificet, implet atq; spiritu sancto: tu tanto maior dignitate, non grauaris adire minorem, hoc submissius te gerens, quo magis præcellis diuinis dotibus, quas recte facis dum non ascribis tuis meritis, quum sint gratuitæ dei beneficentiæ. Hoc certe nomine felix es, quod non diffisa sis, quamlibet incredibilibus angeli promissis. Concepisti citra uirilem operam, nec dubium est quin eadem fide sint tibi præstanda cætera, quæ domini nomine pollicitus est angelus. Hæc quũ afflatu prophetico

tico dicta essent ab Elizabet: Maria quoq;, quæ hactenus uirginali pudore texerat animi sui gaudia, spiritu sacro correpta, quo iamdudum erat plena, nõ sibi temperat, quin hymno gratulabundo prorumpat in laudem dei, cuius bonitati tribuendum est, quicquid præclari cõtingit hominibus. Merito, inquit, mihi gratularis Elizabet, sed hoc totum diuini, gratuitiq; muneris est, unde nihil est quod meis arrogem meritis. Et ideo non lingua tantum, sed & ex intimis præcordijs anima mea suæ imbecillitatis sibi conscia, dominum extollit laudibus, tanto uehementius admirans diuini beneficij magnitudinem, quanto minus agnoscit in se meritorum. Est de quo illi gratias agam, est de quo illius benignitatem prædicẽ, nõ est de quo mihi plaudam. Et tamen gaudio ineffabili gestit & exultat spiritus meus, cœlesti afflatus spiritu, nõ in sese, sed in deo, qui mihi cunctisq; totius salutis est autor. Etenim quum essem omnium abiectissima, tamen ille, pro sua bonitate respexit humilem ancillam suam, tantoq; dignatus est munere, ut posthac iuxta tuum, & angeli sermonem, me felicissimam sint prædicaturi, non solum huius ætatis Iudæi, uerum etiam seculis omnibus, omnes totius orbis nationes, quibus contigerit ex me seruator. Siquidẽ hoc uere felices dici possumus, quod nobis non nostra industria, non nostris meritis, sed gratuito fauore numinis collatum sit. To ta igitur huius felicitatis laus, in illius laudem redundabit,

Magnificat anima mea.

Exultauit spi. meus.

dabit, qui gratis contulit. Prædicabor ego beata, sed illius munificentia. Quid autem de me prædicabunt posteris seculis totius mundi nationes? Nimirũ, quod in me humillima puella rem miram & inauditã perfecerit is, qui immensa uirtute sua nihil non potest. Et idcirco meum nomen inter felices numerabitur. Cæterum illius nomen erit ubiq; sanctum, & adorandum, ad quod sese flectet omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum, per quod unũ continget salus uniuerso mundo. Huius enim nominis professio salutem & sanctimoniam conferet uniuersis. Ad hoc nomen inuocatum, pellentur morbi, torpescent uenena, fugient dæmones, reuiuiscent mortui. Gratuitum & hoc erit, non debitum: misericordiæ erit, non meriti: quam largissime profundet, non solũ genti Iudaicæ, quæ peculiariter illũ expectauit, non solũ uni ætati, sed late propagabitur, à natione in nationem, usq; ad extremos orbis fines, à seculo in seculũ, usq; ad ultimum huius mundi diẽ. Soli quidem Israëlitæ salutem hanc expectarant à prophetis promissam, sed quisquis, in quacunq; gente, relictis uitijs, timere cœperit deũ, is in Israëlitico consortio censebitur. Ad eos pertinget hæc salus, qui sibi displicentes per fidem sese submiserint domino, siue Græci sint, siue Galli, siue Britanni, siue Scythæ. Contra qui suis fidentes factis, sese erexerint aduersus magnitudinem dei, repellentur ab huius beneficij cõsortio, etiam si ex ipso Abraham,

Et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius.

ham, aut Dauid fuerint prognati. Non enim hoc diuinum munus confertur, aut ex opum censu, aut ex generis æstimatione, aut ex operibus legalibus, alijsúe meritis aut præsidijs humanis, sed ex commendatione cordis modesti, suiq; pœnitentis, atque ex dei misericordia per synceram fiduciam pendẽtis. Deus enim uolens deijcere superciliũ sapientiæ potentiæq; mundanæ, per filium suum factum humilem, exeruit robur sui brachij, ac stultam fecit huius seculi sapientiam: dciecit ac fregit huius mundi potentiam, declarans se etiam quum maxime sese demittit, tamen esse potentiorem totius humanæ potentiæ fastigio: & quod in illo stultum uidetur, sapientius esse, quamlibet admirabili huius mundi sapientia. Cæterum qui freti sua sapientia, qui confisi suis uiribus, ceruices suas erexerunt aduersus deũ, hos mirabiliter dissipauit suis ipsorum cõsilijs, quemadmodum olim promiserat per prophetam: Comprehendam sapientes in sapientia sua. Dum enim astutia humana pugnant aduersus consilium diuinum, & suam prodiderunt stulticiam, & diuinam sapientiam imprudentes illustrarunt. Dumq; præsidijs huius mundi conantur opprimere institutũ dei, declararunt quàm nihil possit hic mundus aduersus uirtutem diuinam, quam sua rebellione confirmarunt. Ita uersis rerum uicibus, qui prius sublimes sedebant in thronis, humana sapientia turgidi, humana potentia & autoritate formidabiles, hos detraxit

Fecit potentiam in brachio suo.

Deposuit potentes de sede.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à rerum fastigio: & qui iuxta mundum erant humiles, hos diuina benignitas sustulit in altum. Qui religionis arcem tenere uidebantur, deprehensi sunt impij: qui uidebantur esse alieni à deo, subito facti sunt filij dei. Qui suam agnoscentes iniusticiam, esuriebant iusticiam dei, hos deus expleuit suis bonis: contrà qui sibi uidebantur prædiuites, ac bonis operibus abunda re, & ideo nõ esuriebant gratiam Euangelicã, hos reiecit à se famelicos. Circũcisio uersa est in præputiũ: præputiũ successit in gloriã circunci sionis. Israëlitæ sibi fidẽs, seclusus est à regno dei, et gẽtes ascitæ sunt in honorem filiorum Abrahæ. Superbus Pharisæus fastiditus est, meretrices & humilis publicanus receptus est. Stantes & erectos deiecit, iacentes ac periclitantes porrecta misericordiæ manu subleuauit. Qui uidebant, cæcos reddidit. Qui suam cæcitatẽ deplorabant, aperuit oculos. Qui morbum suum agnoscebant, his salutem cõtulit. Qui sibi sani uidebãtur, hos suo morbo reliquit. Qui se gloriabantur esse filios Abrahæ, hos declarauit esse filios diaboli. Qui nihil habebant cognationis cũ Abrahã iuxta carnem, hos per fidem Euãgelicam reddidit ueros Abrahæ filios. Qui se iactabant glorioso nomine Israël, hos repudiauit ab hæreditate promissorum Israëli. Cæterum quicunq; quacunq; ex gente, siue seruus, siue liber sese offerret ad cultũ spiritualẽ dei, hunc ad se recepit deus, & in eo præstitit suam diu dilatam misericordiam, quàm prophetarum

Suscepit Israël puerũ suum.

Recordatus mis. sicut locutus est a. p. n.

phetarum oraculis promiserat Israëlitico populo, quẽ ut peculiarius adamatũ, in sacris literis appellat puerum suum. Non erat oblitus sui promissi, sed ob longã moram, perinde quasi fuisset oblitus, obrepserat desperatio. Nunc declarauit, sese nequaq; immemorẽ sui populi. Hæc est enim illa uera posteritas Abrahæ. Hic est ille uerus Israël, quem deo cõmendat, non sanguinis propinquitas, sed fidei synceritas, qua sola cernitur deus. Non hæc fortuito, casúue geruntur, sed hoc nũc exhibitũ est, quod olim deus promiserat patribus nostris Abrahã, et posteris eius. Dictũ est enim Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Dictũ est Dauid: De fructu uentris tui ponã super sedẽ tuã. Hæc olim promissa, à pijs expectata, à multis desperata, nũc uisum est deo perficere ueris posteris Abrahæ, quorum genus non deficiet usq; ad finem mundi. Hæc fatidico spiritu Maria proloquuta est, perinde quasi facta essent, quæ essent futura. Commorata est autem apud Elizabet cognatã suam fermè tribus mensibus, sanctis colloquijs & amicis obsequijs subleuans anum. Sub instantem autem cognatæ partum Maria repetijt domum suam. Non enim conuenit uirginibus obstetricandi officium, & mox affluxuram turbam fugiebat. Iamq; aderat legitimum tempus, quo fœtum ederet Elizabet. Ac natus filius certam fidem fecit promissi diuini. Res rumore sparsa est per uicinos & cognatos, quibus ut ante doluerat Eliza-

 beth steri-

bet sterilitas, ita uoluptati fuit, quod ex ingenti misericordia diuina, ædita prole mascula, contigisset anui deploratæ sterilitatis nomen matris, cui felix fuerat futurum genuisse puellam. sed multo felicius erat genuisse filium. Et hic apparuit Angeli promissum, qui dixerat fore, ut in natiuitate pueri multi gauderent. Accurrerunt enim complures, ac gratulabantur puerperæ. Acquum autem erat ut multi gauderent in illius natiuitate, qui plurimorum bono natus fuerat. Iam uenerat dies à partu octauus, quo iuxta legis præscriptũ circuncidendus erat puer, & indendum nomen. Venerunt itaq; cognati, qui ex propinquitatis officio curarent puerum rite circuncidedum. Quoniam pater erat elinguis, qui solet esse autor imponendi nominis, cognati suspicantes id patrem uelle, quod uulgo solet esse gratissimum, appellarunt eum patris nomine Zachariam. Mater contra, quod à marito muto discere non poterat, spiritus afflatu docta, contendit non esse uocandum Zachariam, sed Ioannem: nimirum significante spiritu sancto, eum qui natus erat, præconem futurum nouæ legis, quæ ueterum traditiones abrogaret, & carnalem cultum uerteret in gratiam spiritualem. Zacharias enim Hebræis sonat idem quod memor domini. Ioannes à gratia dictus est. Legis iusticia constabat operibus præscriptis: Euangelij iusticia gratia constat ex fide. Non cesserunt autoritati matris cognati, sed è regione contendebant potius appellandum

Et peperit filium.

dum Zachariam, eo quod nullus esset in tota gente Zachariæ, qui dictus sit Ioannes. Et solet in prole peritum nomen, uel patris, uel aui, uel patrui, uel alicuius cognati memoria renouari. Et adhuc hodie sunt quibus magis arridet nomen Zachariæ, quàm Ioannis, nimirum hi, qui nondum patiuntur aboleri circuncisionem, neomenias, lotiones, dies festos, ieiunia, delectum ciborum, sacrificia, re uidelicet clamitantes, nomen Ioannis nolumus, ueterem Zachariam uolumus. Quum itaq; non conueniret inter puerperam & cognatos, opus erat autoritate patris, quæ contentionem finiret. Is nondum habebat linguam, quum iam sermone esset opus. Nutibus igitur utcunque significatum est illi, quod nomen placeret indi filio. Ille re intellecta poposcit tabellas pugillares, ut mutis literis indicaret, quod uius uoce proloqui non poterat. Allatis pugillaribus scripsit hunc in modum: Ioannes est nomen eius, significans hoc nomen illi inditum ab Angelo priusquàm conciperetur. Id admirati sunt omnes, & quod placeret nomen nouum, & quod inter matrem, & patrem mutum de nomine conueniret. Iam appetebat tempus ut inciperet loqui lex Mosaica, quæ hactenus figuris, ac mutis elementis Euangelij gratiam utcunque designarat. Tempus aderat ut os, quod iuxta promissum Gabriëlis clauserat incredulitas, aperiret credulitas. Protinus igitur ut scripserat, solutum est & linguæ uinculum. Nec aliunde red-

diti sermonis facultatem auspicatus est, quàm à laudi bus dei, cuius gratuita munificentia tantus gaudio rum cumulus contigisset. Nisi siluerit Iudaica lingua, carnalium obseruationum prædicatrix, & humanæ iusticiæ uindicatrix, non potest loqui lingua Euange lica, quæ gratiam prædicat, quæ fidem, quæ charita tem, non legis opera, quæ non homini iusticiæ laudem uindicat è suis factis, sed dei iusticiam prædicat ex in nocentia gratis collata per fidem. Hæc omnia de anu puerpera, de nouitate nominis, de filio per Angeli promissum nato, de patre prius ex loquente facto mu to, rursus ex elingui facundo in laudem dei: rumore sparsa sunt, non iam per cognatos tãtum ac uicinos, uerum etiam per uniuersam illam Iudææ regionem, quæ montana dicitur, adeo ut non solum admiratio, sed stupor quidam & horror, ex tot tam insolitis mi raculis conceptus, occuparet animos omnium. Siqui dem ex his præludijs colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patraturum, cuius conceptus & natiuitas iam tum prodigijs insigniretur. Videbant patris effœtam senectutem, anus deploratam sterilita tem: considerabant linguæ subito ademptæ ac reddi tæ miraculum: audierant Gabriëlis interceßisse mini sterium: sentiebant in utroq; parente spiritus cœlestis afflatum, nihil non esse præter morem communem, nihil non præ se ferre uirtutem diuinam. Hæc in suo quiq; corde contemplantes, dicebant apud sese: Quis nam

nam futurus est iste puer? Nemo pphetarũ tam pro digioße natus est. Siquidem ipsa rerum miracula de clarant hæc geri uirtute dei, quæ puero adsit ad res summas delecto. Neque uero hæc temere ratiocina bantur. Nam uere manus dei uirtutem suam cœlestem exerebat in puero, & per puerum in parentes, mira biliora suo tempore proditura. Et ne non omnia re dundarẽt miraculis, & gaudijs affluerent, Zachari as quoque pater Ioannis totus afflatus diuino spiritu, erupit in hunc hymnum: Prædicanda est, inquit, & omni laudis genere uehenda est dei bonitas, qui quũ sit deus omnium, tamen peculiariter dici uoluit deus Israël: non, quod nõ esset aliarum gentium dominus, sed quod Israëliticum populum typum esse uoluerit cœlestis illius populi, qui contemptis rebus terre nis aspirant ad æternam illam Hierusalem, ubi re bus inuisibilibus colitur deus. Ab his, quocunq; sub cœ lo degunt, quacunq; de gente nati sunt, laudandus est deus, qui tandem dignatus est nouo more inuisere po pulum suum, iam miseræ diutinæq; seruitutis tædio la borantem, ac desperationi proximum: aduersus quem satanas, peccatum, & mundus inualuerat, sic ut nec spes esset in phariſæis, nec in philosophis, nec in Mo saicæ legis ceremonijs. Respexit ille propitius, & ab his omnibus malis redemit gratuito populum suũ. Po teus erat tyrannus, qui multo satellitio stipatus regna bat per omne genus hominũ, à quo uiribus humanis

Et Zachari as pater eius

Bene. do. de. Isr.

Et erexit cornu sa lutis.

non poterat uindicari libertas Israëlitarum. Solus deus hoste potentior, addidit infirmis robur, misso duce inuicto, qui cornu diuinæ uirtutis deijceret aduersariorum opes, quiq; deuicta morte gratis conferret per fidem salutem æternam omnibus. Hoc salutis præsidium erexit nobis in gente Dauid cultoris sui, cui promiserat hoc beneficium, peruenturum hinc ad omnes, quicunq; iuxta spiritum promerentur esse filij Dauid, nõ degenerantes à pietate patris. Ille fortiter ac feliciter pugnauit aduersus alienigenas & hostes Israëlitici populi. Hoc duce pugnandum est aduersus pernicioſiores hostes, qui perimunt animas: hi sunt satanas, cum spirituum impiorum copijs: hi sunt affectus praui, solicitantes ad ea, quæ deo sunt inuisa: hi sunt homines magis amantes ea, quæ sunt huius mundi, quàm ea quæ sunt dei, per quos, uelut organa, uim suam exerit diabolus. Neque hæc casu sic cueniunt: sed quod nunc præstat, iam olim promiserat deus per omnium prophetarum ora, quos suo spiritu afflauerat, qui ab orbe condito uaticinati sunt. Promiserat enim ut aliquando misso potenti duce, seruaremur ab hostibus nostris, et eruceremur è manibus omnium, qui nobis peßime uolebant, conantes pertrahere in mortem æternam. Nec erat hoc meriti nostri, quibus præstitit hoc tantum beneficium: neque patrum, quibus promiserat quod nobis exhibuit. Sic illius bonitati uisum, ut rem tantam largiretur immerentibus: sic illius iusti-

Sicut loquutus est per os s.

Ad faciendum misericordiam.

lius iusticiæ uisum est, ut quod promiserat præstaret suo tempore, ut ab omnibus intelligeretur non modo misericors ac beneficus, uerum etiam uerax ac promissi tenax. Non enim promisit solum, uerum etiam fœdus pepigit cum patribus nostris: iurauit per semetipsum patriarchæ nostro Abrahæ, uidelicet illius admirabili erga se fiducia delectatus, quod fretus promisso diuino, nõ dubitarit immolare filium suum unicum Isaac, dicens: Per memetipsum iurauí, quoniã feciſti rem istam, nec peperciſti filio tuo unigenito meo causa, benedicam tibi, & multiplicabo posteritatem tuam, sicut stellas cœli, & arenam, quæ est in littore maris. Poßidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur per semen tuum omnes gentes terræ, propterea quod obediſti uoci meæ. Nimirum hæc est uera posteritas Abrahæ, quæ non per ceremonias legis, sed per obedientiam credulitatis obtemperat deo, per Euangelium orbi loquenti. His præstatur promissa de inimicis uictoria, quibus à peccati tyrãni de liberatis, liberatis à cunctis erroribus, liberatis à satanæ iugo, contigit renunciare uitæ priſtinæ, ut post hac securi nostri ducis præsidio, seruiamus uni, cui debemus omnia, qui prius seruieramus ambitioni, libidini, auariciæ, seruieramus diabolo: seruiamus autem non sabbatiſmis, neomenijs, abstinentia ciborum, immolatione pecudum, quæ speciem religionis habent apud homines, quẽadmodũ hactenus fecere maiores

Et memorari testamenti ſ. ſa.

Vt sine timore de manu inimicorum n. l.

In sanctitate

nostri, sed puritate conscientiæ, sed synceritate uitæ, qui cultus est gratissimus in conspectu dei, qui non respicit carnales uictimas, sed animi pietatem, amans sibi de suis donis sacrificari. Nec hic cultus præscriptis diebus exhibendus est deo, quemadmodum hactenus factum, sed per omnem uitam nostrã. Non enim est unquam ab his sacrificijs cessandum, sed semel gratis data pietas, sanctis studijs semper in maius est prouehenda. Nos itaq; felices diuino munere, quibus iuxta prophetarũ oracula datus est redẽptor potens, ac seruator inuincibilis. Sed eiusdem dei munere tu quoque felix ô puer, qui tanti ducis præcursor delectus es. Quemadmodum enim hesperus anteuenit solis exortum, mortales somno torpentes ad lucis aduentantis expectationem expergefaciens: ita tu imminente domini aduentu, qui per unicum filium suum decreuit orbem nostrũ inuisere, præcurres, præparaturus animos hominum ad tãtæ salutis susceptionem: ne si aduentus ille mentes hominum oscitantes & auersas offenderit, oblata salus uertatur in cumulum exitij. Efficies enim tuo baptismo, tuaq; prædicatione, ut intelligant sese peccatores, ut sciãt sibi opus esse medico, ut cognoscant iam adesse cum, qui solus omnium, omnibus per fidem Euangelicam largitus sit salutem æternam, uidelicet gratuito condonatis peccatis nostris, quæ mortem adferunt animi: & gratis collata nobis sua iusticia. Idq; continget omnibus

Omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta.

Ad dandam scientiam.

Per uiscera misericordiæ.

bus credentibus, nullis omnino meritis hominum, sed propter exuberantem dei nostri misericordiam, qui quos condiderat, perire noluit. Ab omnipotente conditi sumus, à misericordissimo restituti. Perieramus, nisi ille pro sua genuina bonitate misertus esset nostri, nisi ille ueluti sol quidam cœlitus nobis exortus dispulisset tenebras ignorantiæ nostræ, profligasset peccatorum caliginem, ac frigida corda suæ charitatis accendisset igni. Iacebamus in tenebris, non poteramus ad illum oculos attollere. Ille se demisit ad nos, suisq; radijs in animos nostros immissis, serenus ac salutifer illuxit nobis, qui prius in tenebris peccatorum, ac desperatione salutis, uelut in umbra mortis sedebamus, idololatrijs excæcati, mũdanis cupiditatibus obtenebrati, currebamus ab impietate ad impietatem, palpitantes in densissima caligine, pro cœlestibus amplectentes terrena, pro ueris umbras, pro spiritualibus carnalia, pro salutiferis pestifera. Et ecce in altissima nocte desperationis exortus est nobis ille sol æternus, ut animi nostri pedes dirigat in uiam Euangelicam, quæ est uia pacis, quæ per fidem & charitatem humana diuinis conciliat, dirimens inimicitiam quæ erat inter deum & homines: omneis orbis nationes in unius nominis, in unius fidei professionem conglutinans: deniq; sedatis tumultuosis affectibus unumquenq; hominem concilians sibi. Hæc pius senex fatidico pectore promens, exemplo

Illuminare his qui in t.

propheta/

Universidad de Deusto Biblioteca
Biblioteca Facultatis Philosophiae Provinciae Casl. Orientalis S.I.

prophetarum, sic futura præcinebat quasi iam essent peracta. His tam miris rerũ exordijs progressus probe respondebat. Puer enim prodigiose natus, quemadmodum per ætatem adolescebat corpore, ita per afflatum diuini numinis semper in maius proficiebat firmitate roboreq; spiritus. Nec diu sese cõtinebat in parentum ædibus, sed ab ipsa statim pueritia subduxit sese ab hominum frequentia, ne uel minimum labis cõtrahere posset ex uulgi commercio, qui fuerat in utero matris sanctificatus. Vinum & siceram nunquam biberat, nihil humanæ uoluptatis, nihil honoris gustarat unquàm. Neglectis omnibus hũanis affectibus inter feras uictitabat locustis ac melle syluestri: pilis camelorum uestiebatur, non holosericis: pellicea zona cingebatur. Erat illi perpetuum cum deo colloquium. Talis nimirum uita decebat eum, qui prædicandæ pœnitentiæ destinatus erat. Et locus delectus congruebat prophetiæ, quæ uocat illum uocem clamantis in deserto. Hic latitabat ad multos annos, hic silebat, ut suo tempore maiore cum autoritate prodiret ac loqueretur. Non se ingessit ad munus præconis, sed quẽ spiritus impulisset animum ipsius, ut suam lucem proferret, & ostenderet populo Israëlitico quantus esset, tum magna cum autoritate cœpit agere præcursorem.

Vsq; in diẽ ostensionis.

CAPVT II.

HABES admirabilem ortum præcursoris, nũc accipe mirabiliorem Iesu Christi, qui totius mundi

mundi unus princeps futurus erat, et uniuersas totius orbis nationes, ad sui nominis professionem, non minis aut terroribus, sed beneficijs, salutiferaq; doctrina prouocaturus. Proinde diuino consilio procuratum est, ut sub Augusto Cæsare, qui pleraſque mundi regiones obtinebat, ac latissime rebus undiq; pacatis Romanorum imperium administrabat, censerentur omnes prouinciæ, quæ Romanum imperium agnoscebant, ut appareret, quanto latius pateret ditio Christi quàm Cæsaris: quantoq; placidius sit eius regnum, qui nihil aufert, sed largitur etiam cœlestia, regno Cæsaris, qui quum non possit largiri cœlestia, tamen arripit terrena, & ui cogit ad professionem, quum cœlestis imperator beneficijs alliciat. Qui Cæsari dant nomen, quid aliud quàm seruitutem profitentur, & rem familiarem comperiũt arctiorem? Qui nouo principi dant nomen, libertatem accipiunt cum donatiuo salutis æternæ. Deniq; Cæsar Octauius, quanquam esset omniũ in rebus gerendis dexterrimus, tamen multas regiones nõ poterat armis subigere, quum noster dux sine ui, sine præsidijs huius mundi, uniuersum terrarum orbem, tot linguas, tot ritus, tot religiones, tot barbaras ac retrusas nationes, in unam ecclesiam uelut in unum regnum cõgregarit. Ad eam igitur professionem in Syria peragendã missus est ex autoritate Cæsaris Augusti & senatus consulto Quirinus, eius prouinciæ præses. Hic autem erat primus census, qui sub

Exijt edictũ à Cæs. Aug.

hoc

hoc præside fuit actus in Syria. Nam sub eodem post acti sunt et alij. Ad Cæsaris igitur edictum, quod Quirinus promulgarat, proficiscuntur omnes, in suam quisq; tribum, ac ciuitatem, ut ex more profiterentur. Ioseph autem sponsus uirginis, quum esset tribus Iudæ, cuius erat & coniunx illius, habitabat tamen in ciuitatula Nazareth, quæ est in Galilæa: is igitur relicta domo profectus est in tribum suam, hoc est, Iudæam, in ciuitatulam quam extruxit rex Dauid, nomine Bethlehem, eo quod Ioseph & uirgo non solum pertinerēt ad tribum Iuda, uerum etiam genus ducerent è progenie ac stirpe Dauid, è cuius semine promissus fuerat Christus. Nihil autem horum fortuito cōtigit, sed omnia diuino consilio procurata sunt, ut rerum exitus prophetarum oraculis congruerent, quod tantæ rei gloriam inter duas ciuitates partiebātur, uidelicet ut in Nazareth conciperetur, et educaretur rex orbis: in Bethlehem iuxta prophetiā nasceretur. Huc igitur comitata est sponsum suum uirgo Maria gra-
uida, iamq; uicina partui. Non detrectauit hoc labo-
ris uirgo prægnans, non fugitat oculos hominum si-
bi bene conscia, non fastidit obsequiū māriti mox pa-
ritura deum: non dedignatur haberi uxor fabri, quæ
tota fuerat deo dedicata. Hac igitur occasione quū
dies aliquot commorarentur in ciuitate Nazareth, fa-
ctum est ut euolutis legitimis mensibus, quo magis
cōstaret uerum hominem esse qui nasceretur, adesset
tempus

tempus pariendi. Oppidulum humile sibi delegerat,
in quo tamē domum nullam habebat cœli terræq; do-
minus, parentes humiles: deniq; peregre nasci uoluit,
ut nos puderet nostræ superbiæ, simul & auaritiæ, ac
uel huius exemplo discerneremus, felicitatē hominis non
esse metiendam istis uulgaribus bonis, quæ si nobis nō
subducuntur, nos illis subducimur, sed æternis bonis
æstimandam, & in illam patriam recondendos the-
sauros, quibus perpetuo simus fruituri. Etenim si ue-
ris iudicijs æstimare uelimus, plus erat sublimitatis,
plus potentiæ, plus maiestatis in hac humillima Chri-
sti natiuitate, quàm in omnibus omnium Cæsarum
pompis, ac triumphis. In Bethlehem igitur, quæ di-
citur domus panis, sacra uirguncula protulit nobis pa-
nem illum cœlestem, unde qui ederit, non moritur
in æternum. Atque hic erat partus ille uirginis uni-
cus, cui nec antecesserat ullum exemplum, nec sequu-
tum est. Matri erat unicus filius, nobis erat primoge- Filiū suum
nitus, quos sibi spiritu iunctos fratres reddidit, & hæ- primogeni-
reditatis æternæ consortes, ne solus ueniret ad patrē, tum.
sed ipse ueluti primogenitus multos fratres secū ad-
duceret in societatem æternæ salutis. Aeditū infantu-
lum mater nō tradidit nutricibus, quas ob pietatē no-
lebat, ob paupertatem non habebat, sed ipsa fasciolis
inuoluit. Et quoniam in publico diuersorio propter
hospitum frequentiam non erat alius recenti puerpe-
ræ locus, reclinauit puerum in præsepe. Audi superbe
dives

Universidad de Deusto
Biblioteca

diues, qui latifundia latifundijs accumulas, qui nusq̃ non substruis domos, prædia, palatia. Qui cœli terræq; & dominus est & opifex, cuiq; tu in baptismo nomen dedisti, peregre nascitur, nec habet locum in diuersorio. Si principem agnoscis tuum, in cuius uerba iurasti, ne pigeat illius exemplum imitari, & pudeat te tuæ mentis. Audi nunc quàm tota hæc natiuitatis humilitas plena sit magnificētiæ. Erat haud procul à Bethleem turris Ader, hoc est, gregis, Hebraice dicta, quod illic ob agros compascuos esset pecoris copia. Turris autem meminit etiam prophetia Micheæ, quemadmodum & Bethleem. Erant igitur in ea regione pastores, q nocturnas excubias agebāt pro gregibus suis: uidelicet ipsa re docentes, quid exemplo principis pastorum facere debeant episcopi pro salute populi sibi concrediti. Et noctu natus est ille sol iusticiæ, discussurus mundi tenebras. Humilibus humilis, pastoribus pastor, primum innotescere maluit, quàm Cæsaribus, regibus, præsidibus, phariseis, scribis, pontificibus. Et ecce subito Gabriel angelus è sublimi imminebat illorū uerticibus, simulq; noua quædam lux, quæ nec solis esset, nec lunæ, nec lucernæ, repente circunfulsit pastores. Hoc quum esset læti ominis, tamen ob insolitum ac subitū prodigiū magno pauore correpti sunt pastores. Sed angelus timorem hūc mox adimit blādo alloquio: Ponite, inqt, pauorē, nihil est quod formidetis, lætissimæ rei nūcius adsum, & ha-

& hactenus inauditum gaudiū adfero: non solum uobis, uerumetiam toti populo Israëlitico. Iam olim promiserant uobis seruatorem prophetarum oracula: iam olim expectatus est Messias: is hac nocte natus est, & uobis omnibus natus est. Hic est Messias ille, princeps ac dominus omniū, rex & idem sacerdos unctus diuinitus. Natus est autem iuxta prophetarum oracula, in ciuitate Dauid, cui nomen Bethleem, hac ipsa nocte. Ite & inquirite. Dabo signum quo possit agnosci. Aditè diuersoriū, & inuenietis infantulum obuolutū fascijs, ac reclinatum in præsepi. Hæc ubi prædicasset Gabriel, simul audita est ingens multitudo cœlestis militiæ, nimirum angelorū, qui ministri sunt domini fortis in prælio, quiq; pro nobis bellant aduersus principes huius mundi. Hi modulatione quadam cœlesti & ineffabili canebant laudes deo, prædicantes illius inenarrabilem erga genus humanum charitatem, & humano generi gratulantes, quibus fauore numinis tanta felicitas contigisset. Hymnus aūt quem angelicus ille chorus concinebat hic erat: Gloria in excelsis deo, et in terra pax, in hominibus bona uolūtas. Nimirū hoc significat nobis angelica cantio: nihil ex hoc negocio gloriæ deberi, nec angelis, nec hominibus, sed uniuersam gloriā deberi bonitati diuinæ, quæ nobis, quos cōdidit, miro cōsilio prospicit è cœlo, ut intelligamus illinc nobis profiasā, quicquid magnificū aut salutiferū obtigerit. In terris nihil aliud optandū, quàm pacē

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ peccatis abolitis nos deo cõciliet, quæ nos mutua charitate cõglutinet. Hæc est enim pax nõ mũdi, sed dei, quæ exuperat omnem sensum, quæq; præpõderat uniuersis mundi felicitatibus. Ea gratis per cõciliato Bona uoluntas. rẽ dei & hominũ offertur, non nostris intercedẽtibus meritis, sed ex propensa in nos beneficentia diuina, cui uisum est hac mirabili ratione consulere saluti generis humani. Hoc carmen natalitium ubi lætissimis uocibus præcinuissent pastoribus angeli, sese recepe-runt in cœlum. His rebus ita gestis, consilium inter sese confert simplex turba pastorum, non dubitãs de dictis angelorum, sed plenius auens cognoscere quod audierant. Loquuti sunt igitur inter sese: Sequamur angeli monita, proficiscamur hinc usq; ad Bethleem, ut quod auribus accepimus factum, coràm oculis intueamur, quo pleniore fide prædicemus alijs, quod dominus nobis per angelos suos nunciare dignatus est. Placuit omnibus pium cõsilium. Pastores properant, extimulabat animos pietas, peruentũ est Bethlem, uentum in diuersorium. Illic iuxta promissum angeli reperiunt Mariam puerperam, & Ioseph uirginei partus testem, necnon puerum fascijs obuinctum, ac repositum in præsepi. Nihil offendit pios pastores uirgunculæ tenuitas, nihil sponsus iuxta mundum humilis, nihil puellus ob inopiam loci commodioris reclinatus in præsepi, quæ superbos pharisæos ac scribas alienassent, sed his omnibus magis confirmantur

ad

ad firmiorem credulitatem, posteaquàm oculis testibus compererunt, non esse uana, quæ nunciarat angelus. Habet autem & pietas in hominibus, quamlibet humilibus, suam prudentiam. Non enim protinus euulgarunt, quod audierant, sed ubi rem certam cognouissent, tum non ueriti sunt, & apud alios quod audierant prædicare. Ab huiusmodi præconibus primum amauit prædicari Christus, in quorum simplicitatem nulla cadebat uanitatis, aut fuci suspicio. Non nouerant aliquid ex se cõminisci: nesciebant affingere uisis: sed quod audierant ac uiderant, ut audierant ac uiderant, bona fide nunciabant bonæ mentis hominibus. Et inuenit pastorum uox apud multos fidem, quæ multos excitauit ad cupiditatem uidendi pueri. Et omnes q audierãt, mirati sunt. Atq; hic mihi sanctæ uirgunculæ prudentem modestiã considera. Discit à pastoribus, quid nunciarit angelus, quid cecinerit cœlestis militiæ chorus, ipsa sola tacet: hæc omnia quæ prius, quæ nunc acciderant conseruans in animo, ac diligenti reputatione conferens in corde suo. Silet in suum tempus uirginei cõceptus mysterium: non iactat apud alios suam felicitatem. Ancillam promiserat opificio diuino, ancillam exhibet: contemplatur tacita secum nouam rationem diuini consilij. Considerat omnia plena esse nouis miraculis: uidet ubiq; summam humilitatem cum summa sublimitate misceri. Infans in utero concipitur, sed angelo internuncio, spiritu sancto opifice: puer nasci-

tur, sed è uirgine matre. Reclinatur in præsepe, sed angeli gratulabundi canunt è cœlis. Latitat in obscuro loco, sed cœlum nati sublimitatem adorat. His hunc in modum peractis, pastores repetunt gregem suum, glorificantes ac laudantes deum, super omnibus quæ audierant ab angelis: & quod quemadmodum audierãt comperissent. Cæterũ postea quàm uenisset dies à partu octauus, quo lex Mosaica iubet infantem masculum circuncidi, amputata summa præputij pellicula (nam id primũ ab Abraham profectum deus uoluit esse suæ gentis signaculum) satisfactum est & hac in re legi, quando non uenerat soluturus legem, sed adimpleturus. Nec dedignatus est, ueluti peccatis parentũ obnoxius accipere remedium, qui solus ab omni peccati cõtagio immunis, ablaturus erat omnia peccata mundi, sibiq; nouum populũ acciturus, cui cor esset ab omnibus carnis cupiditatibus repurgatum, idq; non cultris petrinis, sed gladio sermonis Euãgeliã per fidẽ omnia purgantis. Quin & nomen ex more inditum. Dictus est enim Iesus, quod Hebræis sonat seruatorem. Non hoc fortuito, aut humana uoluntate inditum est puero, sed autoritate diuina per Gabrielem fuerat datũ, antequam in utero uirginis cõciperetur, ut uel ex ipso statim uocabulo mortales admonerentur, hunc esse qui ueram salutem conferret omnibus, ac uerum Iosue ducem referens, suos ab omni uitiorũ inquinamento purgatos, perduceret in terram cœlestem, æternis gaudijs affluentẽ

Et postq̃ cõsummati sũt dies octo.

affluentem. Hactenus typis quibusdam prælusum est Euangelio, primum populo Iudæorum prædicando. Quinto à circuncisione die adsunt Magi tres, stellæ indicio procul excíti ad uisendum puerum. Adorarũt nouum orbis principem, ac mysticis donarijs honorarunt, quadam rerum imagine significantes, gentes amplexuras Euangelij gratiam, ab homicidis Iudæis repudiatam. Rursus quum adesset dies à partu quadrageſimus secundus, quo lex iubet masculinum fœtum exhiberi domino, proq; purgatione puerperæ, simul & pueri nati, quod uulgaris mulierum partus non absq; sordibus corporis constet, offerri munus: nec hic modestissima uirgunccula refugit speciem uulgarium puerperarum, quum in hoc partu nihil esset inquinatum, nihil non cœlesti puritate sanctimoniáque plenum. Quid enim haberet impuri puerpera, quæ citra uirilem attactũ, ex amplexu uirtutis cœlestis, per opificium spiritus sancti conceperat? An uero quicquam sordidum poterat esse in fœtu, qui cœlitus natus, in hoc uenerat, ut solus omne genus hominum purgaret à cunctis uitiorum sordibus? Sed his tam insignibus modestiæ exemplis deus humanam superbiam frangere uoluit: simulq; conueniebat, ut qui uenerat utrunq; parietem, hoc est, Iudæorum ac gentium populum, in eandem Euangelij professionem cõpacturus, per omnia satisfaceret legi Mosaicæ, unde prima fides, & autoritas erat Euangelio profectura.

Mater igitur ac Ioseph, qui certo dei consilio pater adhuc credebatur Iesu, infantem suum adduxerunt Hierosolymam, ut in templo exhiberetur in conspectu domini, cui dicatus erat, & consecratus: nõ, quod non omnia sint domini, sed ut mystico typo docerentur, eos demum animos esse domino gratissimos, qui masculo spiritus robore, deuictis carnis uelut effœminatæ cupiditatibus, grassantur ad ea, quæ cœlestia sũt & æterna. Hoc innuens lex Mosaica, præscripserat ut omne masculinum, simulatq; uulua matris adaperta prodiret in lucem, haberetur domino sacrum, siue natum esset ex hominibus, siue ex brutis animalibus, ut hinc quoque primitiæ cederent sacerdotibus: sic tamen, ut hominis primogenitum à sacerdotibus redimeretur, nisi puer esset tribus Leuiticæ. Atq; lex ipsa palàm liberat hanc sacram puerperam ab obligatione sua, quum ait in libro Leuitico: Mulier si suscepto semine pepererit masculum. Siquidem hæc nec mulier erat, quæ uirum nesciebat, nec semine suscepto aliunde pepererat. Rursum quum ait: Omne masculirum adaperiens uuluam: satis indicat se de uulgari matrum partu sentire, quæ prius fracto per uirũ uirginitatis signaculo, non sine sordibus, nec sine pudore pariunt. Hic autem fœtus cœlestis, nec ingrediens, nec egrediens uirginalis uteri claustra uiolauit, sed consecrauit potius, & consignauit, ne in posterũ etiam uel corpus illius, ueluti templum semel deo dedicatum

tum, uel animus myrothecium sancti spiritus, ullis humanis inquinamentis pateret. Exhibitus est igitur ueluti legi obnoxius in templo, qui dominus erat omnium cœlestium ac terrestrium. Redemptus est exiguo precio, qui sui sanguinis precio redẽpturus erat uniuersum mundum. Lex enim præscripserat, ut parentes primogenitum masculinum redimerent agno anniculo, qui dabatur in holocaustum. Deinde addebatur columbus aut turtur, pro expiatione peccati, si quid labis in coitu, aut post esset contractum. Debet enim undequaque purum esse, quod domino sit offerendum. Quod si rei familiaris angustia non patiebatur dari agnum, agni uice dabatur turtur, aut pullus columbæ pro redemptione pueri. Altera auis offerebatur pro expiatione peccati. Obtulerunt igitur pauperum munus: non dubium est, quin uberius fuerint largituri, nisi tenuitas obstetisset. Aderat pietate diues animus, sed ad exemplum nobis parandum utilior erat professio paupertatis. Atque hæc omnia diuini consilij dispensatione sic peracta sunt, quum multis alijs de causis, tum ob hanc præcipue, ut tot argumentis declararetur in puero ueritas humanæ naturæ. Vtero tumenti conspecta est in diuersorio, mox enixæ subsedit corporis tumor: infantem recens natum comperere pastores, adorauere Magi, circuncisus est solenni ritu. Rursus idem in templum delatus est, ac palàm exhibitus sacerdotibus. His rebus factũ

est,ut nec de partu quisquam possit dubitare,& paulatim pluribus innotesceret,sed humilibus ac pijs duntaxat.Conueniebat enim ut nec paucis,nec uulgaribus argumentis confirmaretur,quod creditum omnibus seculis esset allaturum salutem æternam:non creditum,mortem æternam.Angelus nunciat,testis adhibetur spõsus Ioseph.Elizabet sterilis parit,mutus Zacharias loquitur:uterque spiritu prophetico corripitur.Exultat Ioannes in utero matris: uirgo generat: hospites Magi accurrunt,& adorant: pastores prædicant.Tot argumentis,tot prodigijs commendata est recens pueri natiuitas. Nunc ne non ab omni sexu, omniq; ætate,omni statu ac professione ferret testimonium,neque quisquam omnino relinqueretur, qui sibi ab hoc non promitteret salutem:Erat id temporis Hierosolymæ uir quidam nomine Simeon,senecta iã frigidus,sed spiritu feruens:effœto corpore,sed animo uegeto: ætate marcidus,sed uitæ innocentia floridus,nimirum uere iustus,uereq; pius ac religiosus:nõ uenans exemplo phariſæorum gloriam ac quæstum ab hominibus,sed publicæ salutis auidus: quem nulla uoluptas in hac uita remorabatur,nisi ut uideret oculis suis eum,quem in hoc prophetarum oracula promiserant uenturum,ut consolaretur Israëliticum populum,multis modis afflictum.Is ut erat uir bonus,afflatu sancti spiritus cognouerat eum diem iam adesse.Quumq; uotis ardentissimis rogasset dominum, ut sibi cõ

Et eæ homo erat.

sibi contingeret,uel semel oculis corporalibus intueri tot iam seculis expectatum Messiam,responsum acceperat in adito pij pectoris à spiritu sancto, fore ut nõ emigraret ex hac uita,nisi prius oculis corporeis uidisset,quem oculis fidei iampridem prospexerat, ut testari posset uenisse,quem uenturum non dubitabat, felicem illum puerum,quem uidelicet deus unxerat supra mortales omnes, ut æterno regno nec unquam abrogando sacerdotio potiretur. Quum igitur futurum esset,ut puer Iesus adferretur in templum, quem admodum diximus, beatus ille senex submonitus afflatu spiritus, sub ipsum tempus uenit in templum. Quumq; Maria mater,& Ioseph, qui tum adhuc credebatur pueri pater,infantem deferrẽt in templum,ut peragerent, quæ ad solennes ritus purificationis pertinebant: posteaquàm sacerdos oblatum puerum amplexus esset,ciq; benedixisset,non se continuit pietas senilis,quin ipse quoq; desideratum infantulum complecteretur ulnis suis, simulq; erupit mox defectura uox in laudem dei,ueluti cygneam quandam cantionem promens,ac dixit: Satisfactum est domine uotis meis. Nunc lubens ac lætus moriar, quia dimittis seruum tuum animo requieto, placidóque: neque quicquam præterea desiderantem in hac uita, sed cupidũ etiam ex hoc senili corpusculo demigrandi ad felix consortium piorum hominum,qui diem hunc expectarant: nec uidere contigit, nisi spiritualibus oculis

Christum domini.

Nunc dimittis.

Universidad de Deusto Biblioteca

Oculi mei. fidei. Meis uotis abũdantius satisfactum est, cui corporeis etiam oculis uidere contigit, cui datum est ulnis senilibus amplecti filium tuum unicum, per quem tibi uisum est ueram salutem conferre, non solũ Israelitico populo, uerumetiam uniuersis mundi nationibus. Agnosco in humili corpusculo uirtutem tuam.

Quod parasti ante faciem omnium populorum. Agnosco hunc esse lucem mundi, prophetarum oraculis promissam: hunc esse solem, quem exoriri uoluisti, ut dispelleret tenebras omnium gentium, & haberet populus tuus Israël de quo merito glorietur, populus inquam uere tuus, non iuxta carnem tantum, unde prodijt salutis exordium, sed iuxta spiritualem cognationem, quæ fide Euangelica conciliatur. Israël enim est, quisquis in hanc lucem pios intenderit oculos. Antehac populus Iudæorũ gloriatus est de Abraham, Isaac & Iacob: gloriatus est de Mose, de templo, de prophetis. Posthac spiritualis Israël, qui per totũ orbem diffusus est, gloriabitur de tuo filio, quem post omnes, ut omnibus maiorem, mittere dignatus es.

Gloriã plebis tuæ Israel. Nunc quidem latitat paucis agnitus, sed post emicabit illius lux, suis radijs cunctas mundi plagas illustraturi. Porrò mater infantis & Ioseph uidẽtes, hæc afflatu diuini spiritus à sene dici, conferentes interim cum his quæ præcesserant, taciti secum admirabantur, quid sibi uellet senis oratio. Cæterum ubi puero simul & parentibus bene precatus esset Simeon, uersus ad Mariam dixit: Filius hic tuus, quanquã in hoc

Et dixit ad Mariam.

datus

datus est à deo, ut salutem conferat omnibus, tamen hominum uitio fiet, ut quemadmodum multos deo donum amplectentes, erecturus est ad spem salutis æternæ: ita multi gentis Israëliticæ, respuentes obuiam dei beneficentiã, deijcientur in exitium æternum: uerita- In ruinã & resurrectio.
te per hunc prodita: cadent qui prius stare uidebãtur: exurgent qui uidebantur iacere. Ab omnibus Israëlitis expectatus est, sed non ab omnibus recipitur. Proponitur enim omnibus ueluti signum, quale nunquam propositũ fuit ab initio mundi, sed obnoxiũ multorũ contradictioni. Obstrepent illi pharisæi, scribæ & põtifices. Reclamabunt increduli & hæretici: tantusq; tumultus concitabitur undiq;, ut ne tu quidẽ sis à malorũ consortio futura immunis. Nam non ad eos tantum perueniet eorum crudelitas, qui crediderint filio tuo, uerumetiam tuam ipsius animam penetrabit doloris gladius. Tale signũ uisum est deo proferre sub oculos omnium, ut clara ueritatis luce prolata, retegerentur cogitationes hominum, quæ latebant in corde, ac uersis rerũ uicibus, res ipsa declararet eos abesse procul à uera iusticia, qui apud homines uidebantur arcem tenere iusticiæ: deprehenderentur impij, qui sibi uindicarant doctrinam pietatis. Contra qui prius habebantur alieni à religione, declararentur multo fuisse propiores ueræ religioni: qui uidebantur esse reiecti ac deplorati, hos simplex credulitas primos admitteret in regnum cœlorum. Scribæ & pharisæi semper

Messiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Messiam habent in ore, legem habent in ore, iusticiã habent in ore, frequentes uersantur in templo, orant prolixe, iciunant crebro, latis phylacterijs insignes obambulant, sed longe aliud cælant in corde, quàm præ se ferunt specie. Horum subdolas & impias cogitationes arguet exorta lux Euangelicæ ueritatis. Publicani, meretrices, & peccatores, ab his religionis hypocritis submouentur à sacris, sed hos omnium primos deus recipiet in regnum cœlorum. Gentes idololatriæ deditæ, subito mutata uita, studijs auidis amplectentur doctrinam ueræ pietatis: phariſæi & pontifices, penes quos erat legis & religionis fastigium, legis autorem insectabuntur, & ueræ religioni pertinacissimis studijs aduersabuntur. Nox certum iudicium non habet, ac frequẽter pro rebus umbras & inania rerum simulacra obijcit oculis. Sol exortus discutit omnes præstigias, ac suam cuiq; faciẽ, suum cuiq; colorem reddit. Hæc pius ille senex afflato numine pectore gaudens ac gestiens deprompsit. Iam acceperat dominus Iesus testimonium ab angelis, à uirgine, à sponso casto, à sacerdote Zacharia, ab infante nondum nato Ioanne, ab Elizabet nupta, à pastoribus, à Magis, à scribis ex prophetia pronunciãtes, ubi Christus esset nasciturus, ab Herode sibi metuente, à Simeone, qui nec sacerdos erat nec leuites, sed nihil aliud quàm iustus: restábat ut à uidua quoque ferret testimonium. Tanta uis erat infantis nondum exerentis

tis iustas uires, ut omnia corriperet diuino spiritu: afflans humiles, superbos perturbans ac territans, ut ex his rerum præludijs, non difficile colligi posset, quæ foret rerum mutatio futura, quum iam adultus uocem illam cœlestem palàm depromeret, quũ miraculis inclarescceret, quum moreretur ac resurgeret, quum spiritum sanctum affatim è cœlis in omnes credentes effunderet. Ergo seni cœlibi suacedit anus uidua. Erat enim Anna quædam ex re nomen habens, nimirũ à gratia (quippe spiritu prophetico prædita) filia Phanuelis, uiri laudati de tribu Aser, quæ inter duodecim tribus, octaua, tacito quodam typo designat resurrectionis beatitudinem, quam Iudæorum sabbatismo adiecit Euangelica doctrina. Nam Aser Hebræis beatum sonat. Hæc cum esset admodum prouectæ ætatis, non in aliud uidebatur dilata, nisi ut quod ardentissimis optarat uotis, anus uideret promissum infantem, qui salutem esset allaturus populo Israëlitico. Suggesserat enim hoc illi spiritus sanctus iam esse natum. Et eiusdem spiritus admonitu, quo fuerat afflatus Simeon, superuenit, quum hæc, quæ narrauimus, agerentur in templo. Hæc quum nondum esset apud Iudæos gloriosa uirginitas, uixerat cum marito septem annos à uirginitate sua. Datum est hoc temporis, marito & soboli. Cæterum quod reliquum erat uitæ, pictati consecratum est. Perseuerauit enim in uiduitate annos circiter octoginta quatuor. Semel experta cõiugium, quamuis

Et erat Anna pphetiſ.

quamuis esset adhuc ætate uigenti, non cogitauit de repetendo matrimonio, sed ueluti mundo mortua ac deo iam dicata, nõ discedebat à templo, uictimis Euãgelicis illi sacrificans assiduè, non interdiu solum, uerum etiam noctu se totam immolans domino hostiam uiuam ac rationalem & acceptam. Nam corpus immolabat crebris ieiunijs, animum pijs uotis et obsecrationibus offerebat. Dum igitur purificationis ritus peraguntur in templo, dum uaticinatur Simeon, dum sacris gratulationibus redundant omnia, commodum & hæc superuenit, ut & ipsa testis esset nati pueri, suiq; pectoris affectus cum aliorũ gaudijs coniungeret, laudibus efferens diuinã benignitatem, quæ respexisset populum suum. Nec tacuit apud alios, quod oculis uiderat, quod afflatu didicerat, sed de puero loquebatur omnibus, qui Hierosolymis expectabant redemptionem Israëliticæ gentis. Satis erat hoc uiduæ, tantum in templo prædicare, uenisse Christum, & paucis auidis hoc indicare. Nondum enim uenerat hoc tempus, quod seruatum erat apostolis cœlesti plenis spiritu, de quibus dictum est: In omnẽ terrã exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Cunctis tandem rite peractis, quæ ad purificationem præscripserat lex, reuersi sunt Bethleem, ubi natus erat puer. Cæterum quũ Herodes rex, à Magis admonitus natum esse nouũ regem Israëliticæ gentis, iussisset interfici omnes infantes, qui intra biennium

Cõfitebatur domino.

Et ut perfecerunt oĩa.

nati

nati fuissent in Bethleem, atq; in toto eius oppidi territorio, Ioseph admonitus ab angelo per somnum, puerperam ac puerum abduxit in Aegyptum, atque illic cõmorati sunt usq; ad mortem impij regis. Eo facto, rursus Angeli admonitu, reuersi sunt, non in Bethlem, ne daretur occasio sæuiendi Herodis filio, qui patri successerat in regni partem, sed in Galilæam in ciuitatem Nazareth, ubi conceptus fuerat infans. Volebat enim ad tempus latêre. Atq; illic habitus facile fallere poterat crudelitatem eorum, qui noui regis exortũ metuebant. Atq; hactenus cœlestis ille princeps noster, qui sese nostra causa usq; ad fascias, cunas, uagitus, & imbecillem corporis infantiam deiecerat, alienæ uocis testimonio prædicatus est. Cæterum paulatim accrescens ætas, augebat corporis modum ac uires, in quo uelut in domicilio relucebat indoles quædam admirabilis, aliquid præ se ferens homine maius. Augescebat & spiritus robur, indies magis ac magis sese exerentis, uultu, incessu, sermone, factis, in quibus nihil erat, quod non spiraret modestiam, castitatem, suauitatem, pietatem. Non enim erat obnoxius his uitijs, quibus ætas illa solet laborare, ineptia, lasciuia, inconstantia, stulticia: sed cœlestis sapientia, qua repletus erat, non expectatis annis, iam tum sese proferebat sic, ut qui prius alieno testimonio fuerat commendatus, nunc raris dotibus suis redderetur omnibus & admirabilis, & amabilis. Sapien

tia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia, sanctitas, integritas, maturitas, quantum in nullo sene reperias, reddebat eum omnibus admirabilem. Porrò morum suauitas, comitas, modestia reddebat illum omnibus amabilem. Non erat fauor uulgaris, aut temporarius, quem sibi nonnunquam ætas illa dotibus humanis colligit, puta formæ gratia, aut alioqui præcoci docilitate: sed affulsit in eo diuina quædam, & admirabilis gratia, pertrahens omnes in amorem uirtutis. Quanquam autem Nazareth longius abesset ab Hierosolymis, tamen religiosi parentes Iesu, quotannis eò se conferebant, idq; ad diem festum paschæ: qui dies apud Iudæos religiosissime colebatur, atque is erat quo destinatus erat immolari suo tempore agnus ille omnis maculæ nescius. Porrò puer sub matris ac nutricij ductu, iam tum ad nostrum exemplum assuescebat religioni, parentes omnes admonēs officij sui, quos oportet ex sese prognatos statim & ab ipsis, ut aiunt, incunabulis, arcere ab omni lasciuia, sed sanctis moribus, ucræq; pietatis studijs assuefacere, dum adhuc tenera est ætas, dum adhuc molle & ad omne uirtutis institutionem sequax ingenium. Non egebat puer Iesus alieno magisterio, sed parentibus aliis castæ educationis paratum est exemplum, & omnibus liberis ostensa forma est, quomodo sese debeant præbere morigeros parentibus ad ea, quæ sancta sunt, hortantibus. Porrò quum iam accedentibus annis, firmior esset pueritia, ad ephebiam accedens,

dens, annos nato duodecim, ac parentes ex more adissent Hierosolymam ad diem paschæ comite puero, perfectis quæ ad religionem eius festi pertinebant, peractisq; diebus quibus rei diuinæ dabatur opera, matre & Ioseph domū reuersis, puer Iesus remansit Hierosolymæ, iam tum uelut prægestiens ad patris sui mandata peragēda, ob quæ missus erat in mundū. Ea res latebat parentes. Verum ubi non rediret Iesus Nazareth, uulgari parentum solicitudine, demirati sunt quid accidisset. Suspicabantur autē eum in æqualium & cognatorum comitatu hæsisse, & ob hoc uenire serius. Proinde remensi sunt uiam, ad iter fermè diei unius, quærētes eum inter notos & cognatos, inter quos solet ætas illa nōnunq; libenter cessare, uidelicet remorante illos propinquorū affectu. Verū hic nō est inuentus Iesus, qui iam tū docuit esse renūciandum parentū & cognatorū affectibus ei, qui uelit cœlestis doctrinæ professionē suscipere. Hic igitur frustrata spe, quū magis etiam parentū animos sollicitudo discruciaret, reuersi sunt Hierosolymam, suspicātes fieri potuisse, ut illic apud amicū aut notū aliquē hæsisset. Quū aūt & hic inter notos & cognatos frustra quæsitus esset puer, post triduū accidit ut præter spem parentes inuenirent illū in templo, nō ociosum, aut lusitantē, sed sedentē in medio doctorū, quos puer uicissim & audiebat docentes, & interrogabat, ac uicissim ab illis interrogatus respondebat, non quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi neceſſitas fuerit ſciſcitari ab hominibus, quod di-
ſceret: ſed ut prudenter interrogando doceret eos, qui
legis ſciẽtiam profitebantur, quum legis uim ignora
rent: ſimul nos interim ad diſcendi ſtudiũ accendens,
docensq; nullam ætatem eſſe præproperam ad diſcen-
dum ea, quæ faciunt ad pietatem. Sunt enim artes qui
bus diſcendis non quæuis ætas ſit idonea, ſola pietas
ſtatim diſcenda, nec huius ſtudium unquam eſt remit
tendum, uſq; ad extremum uitæ diem, ſemper enim
eſt quo proficias quoad uixeris. Ieſus autem quanq̃
ignotus eſſet doctoribus, & circunſtanti populo, ta-
men omnes uertit in admirationẽ ſui, quod tantillus
puer dictis ac reſponſis ſuis, admirabilem quandam
& plus quàm ſenilem ſapientiã declararet. Videbãt
ætatem corporis imbecillem, & immaturam ſapien
tiæ, & audiebant puerum ſingulari modeſtia ea pro
mentem, quæ doctores prouectæ ætatis, quiq; iam ſa-
pientiæ faſtigium tenere uidebantur, non pigeret di-
ſcere. Et tamen interim aberat faſtus, aberat procaci
tas, aberat iactantia, quæ uitia pueris adeſſe ſolẽt præ
cocis ingenij. Interrogabat ueluti diſcendi cupidus,
interrogatus modeſtiſſime ſimul & prudentiſſime re
ſpondebat. Atq; ita docebat citra ſpeciẽ arrogantiæ.
His rebus factum eſt, ut & doctores, quibus cum di-
ſputabat, & ij, qui circumſtabant, teſtes eius diſputa
tionis, uehementer obſtupeſcerent: non ſolum ob inau
ditam pueri ſapientiam, quam interrogans ac reſpon
dens

dens declarabat, uerumetiam ob raram uultus, ac ge
ſtus, linguæq; modeſtiam, quæ gratiam addebãt intel
ligentiæ. Nec hoc interim omnino uacat utili myſte-
rio, quod qui non potuit inueniri inter notos & co-
gnatos ſecundũ carnẽ, Hieroſolymis in templo reper
tus eſt. Siquidem illa ciuitas religionis opinione ce-
lebris, gerebat imaginẽ, uel eccleſiæ militantis in ter-
ris, uel triumphantis in cœlis. Hæc eſt enim patria no
ſtra ad quam ſuſpiramus, intelligentes quod hic uer-
ſamur in exilio, non habentes permanentem ciuita-
tem. Vbicunq; igitur res agitur humanis affectibus,
ubicunq; ſtudetur his rebus, quæ pereunt cũ hoc mun
do, ibi nec Hieruſalem eſt, quæ uox Hebræis ſonat ui
ſionem pacis, nec templum domino ſacrum. Proinde
nec ibi quærẽdus eſt Ieſus, qui totus cœleſtis eſt. Verũ
ubicunq; pectus eſt, neglectis his quæ ſunt carnis &
ſanguinis, anhelans ad felicem illam tranquillitatem
animi, quam hic per fidem Euangelicã præſtat dei be
nignitas, in cœleſti Hieroſolyma perficit: ibi Hieru-
ſalem eſt, ibi templum eſt, quo delectatur Ieſus. Ibi ui-
ciſſim proponitur ac reſpondetur, non de quadratu-
ra circuli, non de prima materia, aut primo mobili,
quæ citra diſpendium ſalutis neſciuntur: ſed de cogni
tione ſacrarum literarum, per quas deus nobis uiam
oſtendit, qua poſſimus æternam aſſequi ſalutem. Ibi
mactantur uictimæ gratiſſimæ deo, libido, liuor, ira,
ambitio, auaritia: ibi pijs uotis ac puris precibus ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cenditur suffitus domino gratissimus. Curandum est igitur unicuiq;,ut Hierusalem habeat in pectore, ut ibi templum paret dignum sancto spiritu,quo Iesum mereatur habere hospitem.Et ecce dum his rudimentis puer ille mirabilis præludit ad peragendum cœleste negocium,restituendæ salutis humanæ,cuius gratia descenderat è cœlo,superueniunt pater & mater, quibus nondum ad plenum erat cognitum diuini consilij mysterium.Resederat in illis adhuc aliquid affectus humani,quanquam pia solicitudine quæsierant puerum.Tacet Ioseph,qui sibi conscius erat,se nihil habere iuris in partum sponsæ suæ, mater pro autoritate sua expostulat.Fili,inquit,quur ad istum modum tractas nos? Quur te clàm subduxisti à nobis? Ecce pater tuus & ego iam dies aliquot anxij te quæsiuimus,omnia metuentes tibi,quæ parentum pietas solet amatis liberis metuere.Ad hunc Mariæ sermonem,à pio quidem affectu profectum,sed humano,ob quem nõ oportebat interpellare rem diuinam,quæ tum agebatur,Iesus subdure respondit, non quod indignaretur parentibus,sed ut ostenderet in Euangelico negocio,ad quod missus erat à patre cœlesti, nõ oportere locum esse cuiquam autoritati humanæ. Habet parentum autoritas limites suos,cui renunciandum est, quoties agitur negociũ salutis æternæ. Par est enim, ut humana cedant diuinis: & prior sit ratio dei, cui debemus & corpus & animã, & à cuius benignitate expe-

ctamus hæreditatem uitæ immortalis, quàm horum à quibus iuxta carnem progeniti sumus, & educati, successuri in portionem aliquam facultatum terrenarum. Debemus & his sanè plurimum, sed longe plus debemus deo,cui debemus & ipsos parentes. Sic & post parum blande respondit matri, quum in nuptijs interpellaret de uino,ac maternã quadam autoritate miraculũ exigeret,quod nõ nisi in gloriam patris erat promẽdum. Sic durius etiam respõdit ijs,qui ipsum à concione Euangelica,matris & cognatorum uerbis euocarant.Respondit autem hunc in modum: Quid erat causæ, quur me tam anxie soliciti quæreretis? An non ueniebat uobis in mentem,quod in negocio patris mei oportet me esse,quoties ille uocat ad munus delegatum? Hæc oratio Iesu quid sibi uellet, non satis intellectum est à parentibus. Præ se ferebat enim quiddam homine maius, præsertim in ætate tam tenera.Quanquam autem ex his quæ præcesserant,nihil uulgare aut mediocre expectarent à puero, nondum tamen ad plenum intelligebant,sublimitatem diuinæ uirtutis,nondum cognouerant quàm admirabili consilio decreuisset deus per filium suum redimere genus humanum. Audiunt nomen patris, quem sciebant non habere patrem in terris: audiunt negocium patris, de quo nihil adhuc illis meminerat. Obticescunt tamen parentes, & reuerentur sermonem non intellectũ. Hoc uidens Iesus,demisit sese, morigerũq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

præbuit matri,& Ioseph nutritio suo, non quod illis deberet obedientiam,sed ex sua bonitate obsequutus est ad tempus illorum imbecillitati: simúlque pueris omnibus formam & exemplum exhibuit,quanto studio,quantaq; reuerentia debeant obsequi parentibus suis,quum puer Iesus,qui nulli debebat obsequiũ nisi patri cœlesti,sic obtemperauit simulato patri, ac matri,quæ ipsum citra uiolati pudoris iniuriam genuerat. Ita uisum est domino Iesu,sic omnia dicta factáque sua temperare,ut nunc diuinæ uirtutis suæ,uelut scintillas quasdam promeret,nunc rursus ad humanam humilitatem sese demitteret. Nimirum illud nobis expediebat,ut omnibus modis persuasum esset generi mortalium,diuinæ simul & humanæ naturæ ueritatem in uno coniunctam esse. Ad amorem conciliandum faciebat naturæ cõmunis societas. Vehementius ac felicius amamus cognata & familiaria,iuxta uetus etiam prouerbium, quo dicunt, simile semper adiungi simili. Cæterum deo tutius fidimus , qui quũ mentiri nesciat,nihilq; non possit, in dubium uocari non potest,quin præstaturus sit quicquid pollicetur. Ac nascitur quidem amor ex cognatione generis. Cæterum ab his initijs proficit ad amorem rerum sublimiorum. Quemadmodum enim hominum uulgus,primum è forma conspecta corporis,inardescit ad beneuolentiam,mox ubi ex conuictu,colloquioq; perspectæ fuerint dotes animi formosioris,in formoso corpore

pore latentis,uerius ac flagrantius incipiunt amare quod non uident,quàm id quod uident. Sic nobis humanæ naturæ consortium uelut illecebra fuit,ad concipiendum amorem erga dominum Iesum, sed hinc ad amorem diuinæ uirtutis proficimus. Siue igitur demittit sese ad nostram imbecillitatem , siue sustollit sese ad suam sublimitatem,nostræ salutis negocium agit. Relinquit igitur Iesus templum ac Hierosolymam,ac morem gerens parentibus, reuersus est Nazareth. Erubescant pueri,& adolescentes, qui negligunt monita parentum ad honesta uocantium, quum Iesus ad tempus reliquerit patris negocium,ne quam præberet speciem filij immorigeri. Erubescãt idiotæ, rebelles aduersus episcopos suos,uidelicet patres spirituales,quum Iesus maior obsequundaret minoribus,deus hominibus. Mater autem uicissim obsequundauit filio suo , sentiens in eo promicare uim quandam diuinam,ac prudentis suæ modestiæ memor, nihil adhuc effuciebat muliebri loquacitate,nec pronũciabat de his,quæ mirabatur potius quàm assequebatur:sed quicquid ab initio acciderat circa puerum, quicquid ab ipso diceretur,fierétue , simul collectum recondebat in pectore suo,ex admirandis initijs,rerum exitus coniectans:nec quicquam sinebat inobseruatum,quo post maiore cum fide narraret omnia discipulis,per orbem uniuersum Iesu uitam prædicaturis. Interea Iesus adhuc paucis notus uersabatur in

Et mater ejus conseruabat o.u.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciuitatula Nazareth, ueluti sub imperio parentum uiuens, donec ueniret tempus à patre præfinitum, quo sese miraculis ac prædicatione mundo proferret: nos interim admonens exemplo suo, ne quis ad Euangelicum munus temere & importune semet ingerat, priusquam ætatis accessu, moribus inculpatis, doctrina sacra, cœlestiq; uocatione docendi sibi colligat autoritatem. Iesus enim usque ad annum fermè trigesimum nihil admodum insigne gessit, nisi quod supra modum humanum, quemadmodum proficiebat corporis statura, uiribus, ætatis accessu, ita uberius in eo sese promebat cœlestis illa sapientia, reliquæq; dotes diuinæ, quibus ut erat commendatissimus deo, ita quotidie magis ac magis cõmendabatur hominibus, uidelicet dissimilis scribis ac pharisæis, qui falsa specie sanctimoniæ sapientiæq; sese commẽdabant oculis hominum, quum in oculis dei scaterent omni spurcitie uitiorum. Neq; solum hoc conducebat ad salutem humani generis, nouo, & inaudito consilio redimendi, uerum etiam ad institutionem uitæ nostræ, ut Iesus diuinas dotes suas, quibus erat plenus, paulatim & gradibus quibusdam proferret in noticiam hominum, uidelicet, ut nos doceret, à primis illis iusticiæ rudimẽtis, quam oportet ab ipsa statim infantia imbibere, perpetuo progressu conniti ad perfectiora. Quemadmodum enim corpus habet auctus suos usque ad iustum staturæ modum, iustasq; uires, ab infantia proficiens ad adolescentiam

adolescentiam, ab adolescentia ad iuuentutem, à iuuentute ad ætatem uirilem, ita habet & pietas suos accessus, donec adolescamus ad perfectam firmitatem plenitudinis Christi. Grandescit enim Christus in nobis & adolescit, quum nos à fidei rudimentis, ad reconditiorem diuinæ scripturæ sapientiam proficimus, quum relicto lacte carnis, solidum appetimus cibum spiritus, quum relicta litera insipida sitimus sensum mysticum, quum neglectis terrenis cuolamus ad cœlestia. Præposterũ est enim, corpus iuxta naturæ cursum semper in melius proficere, & animam nostra socordia semper ad deteriora relabi. Nam id uulgo fieri uidemus. Adolescẽtes ab infantiæ puritate degenerant ad lasciuiam: iuuẽtus rursum ad lites & pugnas proficit: uirilis ætas ad ambitionem & auariciam. Itaque fit, ut quo quisq; propius accesserit ad ætatẽ, hoc longius recedat ab innocentia. Cæterum qui semel induerunt Iesum Christum, hos oportet ad illius exemplum semper ad meliora conniti, quo simul & animi puritate, sese commendent oculis dei, & uitæ synceritate famam honestam sibi parent apud homines.

CAPVT TERTIVM.

HABES optime Theophile quibus initijs præluserit Ioannes præcursor ac dominus Iesus, ad Euangelicæ prædicationis officium. Nunc accipe, qua ratione, quóq; successu rem aggressi sint, ut intelligas nihil omnino gestum fuisse fortuito aut humana

prudentia, sed omnia diuina prouidentia, nouis ratio nibus suum negocium temperante. Iam enim aderat tempus, ut prodito regno cœlesti, decresceret regnum terrenum: prodito spirituali sacerdotio, euanesceret sacerdotium umbraticum, quo se ad id usq; temporis iactarant Iudæi. Iam obierat diem suum Cæsar Augustus, ad cuius edictum facta fuerat descriptio totius orbis, sub quo natus est Iesus Christus. Iam deceßerat impius Herodes, qui infantem quæsierat ad necem: & huius filius Archelaus, ob mores nimiũ paternos, in exilium relegatus erat. Augusto succesßerat Tyberius Cæsar. Is quum annum iam decimum quintum rerũ summa potiretur, Pontius Pilatus Romanus præses erat Iudææ. Herodes autem Archelai frater ex designatione Cæsaris, Galilæam sortitus est. Philippus eam Syriæ partem administrandam susceperat, quæ Iturea dicitur ac Trachonitis, nimirum ab asperitate montiũ, hæc enim à libano & montibus Idumææ porrigitur ad plagã occidentalẽ Syriæ. Porrò Lysaniæ cesserat ea quæ dicitur Abilena, nomẽ sortita ab Abila præcipua eius regionis ciuitate, cui postea Lysanias nomen uertit Lysanion. Nã Augustus, quo regni eius uires frangeret, in quatuor fratres diduxerat, Herodem, Philippum, Antipatrũ, Lysaniam, qui ob hoc Tetrarchæ dicti sunt, nomine regis abolito. Et hoc indiciũ erat regni Iudaici mox perituri, iuxta uaticinium. Sanctißimam uero Iudææ partem, in qua Hierosolyma

solyma & templum, & ex qua prognatus est dominus omniũ, Pilatus Romanus administrabat, reipsa designans, gentes in regnum cœlorum ab Iudæis reiectum, irrupturas. Similiter & sacerdotiũ, ueluti mox cessaturum, uagum erat ac mercenarium, cuius principatus tum erat penes duos insigniter impios, Annam & Caipham. Ad hũc modum rebus apud Iudæos dissectis ac turbatis, exortum est regnum cœlorum ac nouum sacerdotium, cuius præco delectus erat Ioannes, Zachariæ filius. Is quum hactenus latitasset inter feras, & in desertis exegisset uitã inauditæ austeritatis, opertus Camelorum pilis, cinctus zona pellicea, melle syluestri uictitans & locustis, uinũ ac siceram ne attingens quidẽ, ut idoneus eße posset prædicator pœnitentiæ: ac prius uitã doceret, quàm sermone: ac uacaret omni crimine, qui magna libertate reprehenderet aliorum peccata: afflatus & admonitus spiritu diuino, prodijt è latebris Eremi, sesecq; contulit nõ in templum, qui locus datus erat Christo, sed in omnem eam regionem, quæ finitima est fluuio Iordani, quo paratior esset baptizãdis aquæ copia. Prædicabat autem instare regnum cœlorum, adhortans, ut sese uenturæ saluti, pœnitentia uitæ prioris præpararent, & aquæ baptismo quem ipse ueluti præcursor dabat, sese redderent idoneos baptismo spiritus, quem daturus esset cuius aduentus imminebat. Hæc tum agebantur afflatu diuini spiritus, qui iam olim

hoc

Universidad de Deusto Biblioteca

hoc per os Esaiæ prophetæ futurum prædixerat. Sic enim loquitur de Ioannis prædicatione: Vox clamantis in deserto, aduentat dominus, præparate uias illius, ac rectas facite semitas eius, ne offensus prauitate morum uestrorum resiliat à uobis. Venit ad omnes, occurrendum est ab omnibus. Aequanda sunt omnia. Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur. Qui sublimes erant apud homines opinione iusticiæ aut sapientiæ, deponent supercilium, ut capaces sint iusticiæ ac sapientiæ diuinæ: qui uelut idiotæ ac peccatores cõtempti iacebant apud homines, subito per obedientiam Euangelicam erigentur ad consortium regni cælorũ: quæq; prius distorta prauáque fuerant, ad regulam Euangelicam repentè exæquabuntur: quæq; uitiorum ac malarum cupiditatum sentibus aspera, uertentur in uias leues ac planas. Tales enim mẽtes amat dominus, per quas obambulet. Adeo rerum uices ad huius aduentum inuertentur. Qui desperabant, erigentur in spem: qui sibi fidebant, irreparabiliter reijcientur. Qui prius habebantur sapientes, fient stulti: qui stulti, cœlesti sapientia donabuntur. Qui prius idololatræ, fient cultores dei uiui: qui cultores dei uidebantur, reperientur fuisse idololatræ. Qui prius iracundi, placidi fient & benefici: qui prius seruiebant libidini, nunc amplectentur castimoniam. Qui prius rapiebant aliena, nunc sua largientur. Huic igitur rerum nouatori præparate uos. Mox aderit domi-

rit dominus, & uidebunt eum non solum Iudæi, uerũ etiam omnes totius orbis nationes cernent oculis fidei, communem salutis autorem, per quem deus gratuitam felicitatem offert omnibus, qui pia credulitate, qui correctione uitæ prioris uenientẽ exceperint. Hæc tot retro seculis de Ioanne uaticinatus fuerat Esaias, & uaticinio per omnia respondit euentus. Si quidem ad Ioannis prædicationem, ingens hominum turba, relictis ædibus, ac re ipsa loquens, relinquendos affectus domesticos ei qui aspiret ad salutem, confluebat ad ripam Iordanis, ut ab eo tingerẽtur aquã: nõ quod Ioannes remitteret peccata, sed quod his præludijs animos hominum futuræ saluti præpararet. Si quidem magna sanitatis pars est, morbum agnoscere: & uicinior est saluti, qui capax est remedij. Quoniam autem primus ad resipiscentiam gradus, à timore dei nascitur, ut primum à iusto uindice timeatur suppliciũ, deinde beneficii liberalitas ametur, magna libertate clamabat Ioannes aduersus elatos pharisæos & scribas, qui hactenus impiorum parentum uestigijs inhæserant, falsa iusticiæ persuasione turgidi, ueræ religionis hostes, ob hoc ipsum spernentes cæteros homines sibiq; placentes, quod iuxta carnem genus ducerent ex Abraham, quasi deus homines æstimaret ex genere, ac non magis ex animi uirtutibus. Progenies, inquit, uiperarum, nocentissimorũ parentum nocentissimi filij, unde sensistis imminere uindictam

Et uidebit eum omnis caro.

Genimina uiperarũ.

Universidad de Deusto Biblioteca

ctam dei, nisi mature resipuisse tis? Quis uos submonuit, ut fugeretis ab instante seuera dei ultione, quæ nulli nec ætati, nec genti, nec cõditioni parcet? Quemadmodum remedium offertur omnibus, qui se præbent sanandos, ita pœna manet omnes absq; discrimine, q nolũt à pristinis moribus resipiscere. Quin huc attraxit uos charitas erga deum, quò nunc pertrahit metus supplicij? Nondũ mutata mens est. Proinde si uere uos pœnitet superioris uitæ, sumite mores alios, & factis ipsis declarate uos esse correctos. Hactenus ut syluestres arbores, produxistis malorum operum, acerbos & exitiales fructus, superbiam, iracundiam, auaritiam, inuidiam, hypocrisim, cõtentionem. Nunc si uere conuersi estis in bonas arbores, ædite fructus bonos, testes mutati in diuersum animi. Nihil opus est mutare uestem, aut cibi genus, mutandæ sunt prauæ cupiditates animorũ. Hæc est radix arboris, quæ si succum habet amarum ac pestiferum, nascuntur in ramis mali fructus: sin contra radix succũ suauem ac salutarem suffundat, in ramis nascuntur illi deo digni fructus spiritus: pro odio charitas, pro amarulentia gaudiũ, pro discordia pax, pro ferocia tolerantia, pro rapacitate beneficentia, pro impudicitia castitas, pro fraudulentia simplicitas, pro arrogantia modestia, pro superstitione pietas. Hæc declarant ueros ac germanos Iudæos, hæc uere circuncisos, ac filios Abrahæ. His sacrificijs delectatur deus. Nunc lux

Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Et ne cœperitis dicere.

lux instat, facessant umbræ: adest ueritas, cedat simulatio: ponite uanam fiduciam, quam uobis hactenus præbuerunt figuræ rerum spiritualiũ, Hierosolyma ciuitas sancta, templum domini, templũ domini, templum domini, pecudum lauiena, lauacra corporis, sabbatismi, neomeniæ, delectus ciborum, lata phylacteria, tristia ieiunia, cæteraq; obseruatiões, quas uel lex ad tempus præscripsit signa rerũ animi, uel pharisæi cõmenti sunt ad inanem sanctimoniæ speciem: hæc omnia simul cum ipsa circuncisione cessabunt. Iudæus erit posthac, quisquis confitebitur & agnoscet hunc qui mox uenturus est: circuncisus erit, quis quis habebit animum fide purgatum à prauis cupiditibus. Proinde ne uobis ueniat in mentem, nos sumus filij Abrahæ, nobis promissa est hæreditas salutis, non deseret dominus populum suum. Imò quemadmodum uobis ad meliora resipiscentibus nihil officiet maiorum impietas, ita nihil profuerit Abrahæ progenitoris sanctitas, si uos perstiteritis in pristina malicia. Reijciemini, abdicabimini, fũditus peribitis, nisi prorsus mutati, fructus attuleritis Euangelio dignos. Nec deerunt Abrahæ posteri, nec decrit deo suus populus à quo colatur, cui promissam hæreditatem præstet, etiamsi uos desciscatis ab eo. Hoc enim confirmo uobis. Deus potest uel de his lapidibus suscitare filios amico suo Abrahæ, cui promisit posteritatem, parem arenæ maris ac stellis cœli. Posthac non cognatione

Iã enĩ securis a.r.a. p.

tione sanguinis, sed æmulatione fidei æstimabuntur filij Abrahæ. Agnoscet Abraham pro filijs etiam Sogdianos, Gotthos, & Scythas, Messiam amplectentes, uos nisi credideritis habebit pro alienigenis. Hactenus tolerauit uos deus, utcunq; legis fructũ afferẽtes, uictimas, uota, ieiunia, lotiones, ocia, escarum discrimina, amputatam pelliculam. Hæc in superficie duntaxat speciem habebant religionis. Hæc folia sunt arboris, execrabilia deo, nisi adsint fructus spiritus. Nunc autem ex ueris animi bonis, aut malis æstimabitur unusquisq;. Adest exactius dei iudicium, adest ille qui perspicit & intimos cordium sinus. Iam enim securis admota est ad radicem arboris, diu toleratæ: succidetur à stirpe populus Abrahæ, & inserentur gentes Abraham credulitate referentes. Non est auditus Moses, non sunt auditi prophetæ, quorum plerosq; etiam interfecistis, obsurduistis ad uocẽ legis. Nũc adest quo nemo maior mitti potest, & post quẽ non alius expectandus est. Imminet toti genti Israëliticæ exitium, nisi mature receperitis uos ad meliorẽ frugem. Omnis enim arbor, quæ nũc non produxerit fructũ fidei bonũ, exciditur, & in ignem conijcitur. Nihil mediũ est, nulla mora est: aut uera pietate properandum est ad æternam salutem, aut ni id fiat irreparabiliter ac funditus pereundum. Hac Ioannis oratione, tam sæua minaciq;, territa promiscua Iudæorũ multitudo, dixit: Si sic res habet, quid igitur censes nobis

Omnis ergo arbor n. f. f. b.

Quid ergo faciemus?

nobis faciendum, quo possimus iram diuinam effugere, & salutem assequi? Iam sanabiles esse cœperant, qui morbum agnoscunt & remediũ expetunt. Ostendit igitur Ioannes remedium ubiq; efficax. Non enim uocat eos ad uictimas pecudum, aliasq; Iudaicas expiationes, sed ad opera charitatis. Nulla uictima citius placatur deus, quàm beneficentia in proximũ. Deus nostro beneficio non eget, sed sibi patitur imputari, quicquid in proximum egentem ipsius respectu fuerit collatum. Qui habet, inquit, duas tunicas, altera uestiat fratrem nudum. Et qui habet cibum qui duobus sufficiat, impartiat dimidium esurienti. His duobus exemplis Ioannes crassæ multitudinis docuit populum, efficacissimam esse rationem placandi deum offensum, si modis omnibus benefici simus in proximũ, cuiuscunq; rei inopia laborantem, siue uestis, siue cibi, siue potus, siue hospitij, siue subsidij, siue solatij, siue doctrinæ, siue exhortationis. Nec solum de his quæ nobis supersunt, subleuanda est præsens fratris necessitas, sed commodis etiam usibus aliquid decidendum, quoties opem præsentem flagitat proximi necessitas. Hoc igitur remedium omnibus commune, datum est promiscuæ multitudini. Venerunt & publicani, territi Ioannis prædicatione, genus alioqui deditũ rapinis, & ex publicis incommodis sua comparans commoda, religionis negligens, ac magis obsequens iussis principum, quàm præceptis dei. Qui quum

apud omnes nationes uulgo male audiant, apud Iudæos peculiariter habebantur abominabiles, & tamen tantum terroris incusserat omnibus Ioannis seuera prædicatio, ut hi quoq; uenirent ad Ioannem, flagitantes baptismum, ac discere cupientes, quo pacto placare possent diuinam iram. Ioannes autem uerus præcursor illius, qui nullum, quamlibet magnis peccatis inquinatum, reiecturus erat, etiam publicanis leniter ac placide respondet: Si nõdum potestis uestra largiri, certe sit ille primus gradus ad meliorem uitam, ut abstineatis à rapiendis alienis. Habetis salarium à Cæsare, præscriptum est quid debeatis exigere à populo: Ne quid extorqueatis in uestrum lucrum, ultra id quod præscriptum est. Post publicanos ueniunt & milites, uiolentum & impium hominum genus, legum negligens, ad uim præceps, uenalem habens animam, rapto gaudens, licentia ferox & insolens. Et hos cœperat ultionis diuinæ terror, ueniunt ad Ioãnem, agnoscunt malitiam suam, expetũt baptismum, rogant quibus modis possint placatiorem habere deum. Nimirum magnus in hoc hominum genere profectus erat, suum agnoscere morbum, ac uitæ melioris desiderio tangi. Nec ab his igitur Ioannes audet beneficentiam in proximum exigere, satis magnum primi profectus gradum esse ducens, si temperarent à maleficiendo. Solet autem hoc hominum genus tribus potissimum modis esse noxium, uiolentia, calumnia, & rapinis. Frequenter

Magister qd faciemus.

Quid faciemus.

quenter enim arma, quæ princeps dedit ad defensionem publicæ tranquillitatis aduersus hostes, uertunt in ipsos ciues, & quibus publica salus defendi debuerat, his ulciscuntur iram priuatam. Prædantur itaque frequenter, incendunt, abigunt, ui constuprant fœminas, perrumpunt fores, exigunt ac pulsant hospitem. Id quoniam plerunq; faciunt impune, credunt licere. Rursus alij falsò deferunt apud principes aut duces, innoxios, quo pars facultatum confiscatarũ ad ipsos redeat, calumniæ precium. Ad quæ facinora conniuẽt nonnunquam principes, dum suis militibus gratificari student. Pleriq; dum, quod à principe nomine salarij datur, scortis, alea, temulentiáq; prodigunt, rapto furtisq; rei iacturam sarciunt, & non solum non reddunt quod debent, sed ultro extorquent ab agricolis quod non debetur, ac sibi quiduis licere credunt belli nomine: quum bellum habeat & suas leges, non omnino damnandum, si iusta de causa suscipiatur, hoc est, si pro defensione publicæ tranquillitatis, si sic ut uitari non possit, si per pios principes, si cum assensu eorum, quorum interest bellum suscipi, si legitimis ritibus indictum, si iustis ac moderatis rationibus geratur, hoc est, quàm minima sanguinis humani profusione, si quàm minima iactura eorum, qui bello causam non dederunt, si per duces coherceatur militum temeritas: si non conserantur manus, nisi per milites iuratos, si non nisi iussu ducum dato

Neminẽ cõcutiatis.

dato congrediēdi signo, si mox abstineatur à pugna, simulatq; receptui cecinerint tubæ, si cum primum licuerit, bellum finiatur. Huic igitur hominum generi Ioannes ostendit, quid facere soleant, et quid posthac uitare debeant, si uelint effugere uindictam dei. Ne quem, inquit, concutiatis, ne quem falsò deferatis lucri causa, sed estote contenti stipendijs uestris. Hæc autem tanta cum autoritate gesta sunt à Ioanne, ut populus apud se suspicari cœperit ipsum esse Messiam. Idq; pleriq; tacitis cogitationibus uersabāt in corde suo, licet ipse Ioannes ob eximiam animi modestiam dissimularet magnitudinem suam. Hæc est enim uulgi leuitas, ut his quos admiratur, plus tribuat q̄ par est: quos odit, in his omnia calumnietur. Sed hoc populi studium declarauit absolutam sanctissimi uiri modestiam, qui adeo non sibi uindicarit alienæ laudis usuram, ut ultro delatam fortiter reiecerit: & in hoc profecit error multitudinis, ut Christi paucis adhuc noti dignitas, graui publicoq; testimonio comproba retur. Simulatq; per afflatum sancti spiritus intellexisset tacitas populi cogitationes, loquutus est hunc in modum. Vos me æstimatis ex rebus uisibilibus, ex cibo, uestitu, et baptismo, sed longe sunt efficaciora quæ non uidentur. Quemadmodum in homine multo præstantior uis est animi, qui nō uidetur, quàm corporis, quod oculis conspicitur. Ego quanquam aqua baptizo uos, tamen non remitto peccata, sed præparo uos efficaciori

Existimante aūt populo.

efficaciori baptismo, quem accipietis ab eo, cuius aduentū uobis prædico, tempore quidem maior, ac prædicationis ordine prior, sed potentia longe inferior. Is enim qui me sequitur, tanto me præstantior est, ut ego, quem magnū aliquid esse creditis, indignus sim qui soluam corrigiam calciamentorum eius. Famulus illius sum non collega, præcursor sum, sed ut lucifer præcedit solem, mox obscurandus maiore lumine. Et hoc ipsum quod habeo, ex illius habeo benignitate. Mea doctrina diluta est, si ad illius doctrinam conferatur: meus baptismus inefficax est, si cum illius baptismo cōponatur: siquidem ille cœlestis docebit cœlestia, ego terrenus terrena loquor & humilia. Ego corpus aqua tingo, iste uestros animos tinget spiritu sancto & igni. Quanto est spiritus aqua penetrantior, quanto est ignis efficacior aqua, tanto potentior erit illius baptismus meo. Hactenus latuit, qui nam uere cultores essent pietatis. Facile est ablui aqua, facile mactare uictimam, facile non uesci carne suilla. Nunc ea profertur doctrina, ea instant tempora, ut latere non queant, qui uere boni sint, qui secus. Veniet enim ille facturus, quod toties minatus est in prophetijs, exacto iudicio discrimen æditurus inter pios & impios. Habebit enim uentilabrum in manu sua. Nam tradita est huic omnis potestas in cœlo & in terra. Hoc ineuitabili uentilabro purgabit aream suam, uentilans omnes, & examinans crucis & afflictionū uen

Veniet autē fortior.

Cuius uentilabrum in m.e.

to. Qui fuerint palcæ, ſpecie religionis nitidæ, cæterũ intus inanes à uera religione, diſſilient quocunque ferret illos humana cupiditas. Cæterum qui fuerint triticum, ſolidam ac ueram pietatem intus habentes, non diſſipabuntur uento, ſed diſcuſſis paleis declarabunt immobile robur animi. Ea tempeſtas non reddet impios, ſed patefaciet, quid fuerint etiam, quum non uiderentur: ueluti lux orta non efficit cæcos aut deformes, ſed indicat qui fuerint deformes aut cæci. Euangelica ueritas lux eſt, hanc non ferent, qui falſa ſpecie ſanctimoniæ ſe prius uenditabant, quum apud deũ eſſent impij. Amplectentur, qui quum haberentur abiecti iuxta mundum, tamen affectum pietatis habebãt in pectore. Qui ad auditum cœleſtis doctrinæ uigorem, ad maleficium ac cædem prouocabuntur, nõ tum primum fient impij, ſed quales ante fuerint, data occaſione, patefiet. Siquidem occaſio non facit impios, ſed prodit. Qui propoſita iactura bonorum, qui oſtenſo crucis ac mortis periculo deſciſcet à ueritatis profeſſione, non tum primum incipiet impius eſſe, ſed qualis antea fuerit, declarabit. Non ſtatim quiſquis aqua tinctus fuerit perdurabit in hac examinatione, ſed qui ſpiritum cœleſtem hauſerit, qui charitatis inuictæ ignem conceperit, is nulla malorum procella commouebitur, ſed magis purgatior reddetur ac firmior, quẽ admodum uentilatione ſpiritus purgatur triticum, & ignis ui purgatur aurum. Ad hãc igitur rigidam exactamq;

actamq; diſcuſſionem ſe quiſque præparet, nihil fidens generis nobilitati, nihil maiorum ſanctimoniæ, nihil carnalibus Moſaicæ legis ceremonijs, ſed ſolidioribus præſidijs animum muniens. Magni referet, qualis quiſque reperiatur. Aeterna ſalus, & æternũ exitium diſcernet ſolidos & inanes, germanos Iſraëlitas, & nothos. Triticum enim purgatum recondet in horreum uitæ cœleſtis, paleas autem exuret igni nunquam extinguendo. Proferetur hic aliqua ex parte iudicium, ſed poſt hanc uitam pœna æterna infligitur impijs. His alijsque compluribus ſermonibus Ioannes exhortabatur populum ad pœnitentiam uitæ prioris & ad deſiderium mox uenturi Meſſiæ, periculo territans, præmijs excitans, ac læto nuncio ſalutis populares animos ad pietatis Euangelicæ ſtudium expergefaciens. Atque hanc loquendi libertatem, ob inſignem uiri ſanctimoniam tulit turba promiſcua, tulerunt publicani, tulerunt & milites, reprehenſi morbum ſuum agnouerunt, territi quæſiere remedium. Verum non tulit Herodes, animo regio ſibi licere uolẽs quicquid liberet. Amabat tamen Ioannem, perſpiciebat ac probabat raram uitæ integritatem, atque in multis obtemperabat hominis conſilio. Cæterum in eo, in quo potiſſimum oportebat auſcultare dictis illius, nõ ſolum non obtemperauit, uerumetiam bene monentem coniecit in carcerem, & ab exitio reuocantem, dedit exitio. Huiuſmodi ſunt plerunq; principũ ani-

Et cõgregabit triticum.

Herodes autem Tetrarcha.

 mi, quos

mi, quos euangelica sapientia nõ uindicauit ab imperio turpium cupiditatum. Imperant alijs, qui ipsi seruiunt uiolentis affectibus suis: & hoc ipso se reges esse putant, quod impune mancipia sunt turpitudinis. Asciscunt nõnunquam ad se uiros uitæ sanctimoniæ spectatos, cum his colloquũtur nonnunquam, ex horum consilio faciũt nonnulla: non quod illis cordi sit uera pietas, sed ut hoc fuco sibi concilient opinionem integritatis, & inuidiam malefactorum leniant: uelut quum expilant populum, quũ impia bella mouent, quum sæuiunt in eos, qui reip. bene uolunt: uideantur & hæc ex probatißimorum uirorum consilio facere. Sic Herodes pilis camelorum, quibus uestiebatur Ioannes, sic zona pellicea, qua cingebatur, sic tenui uictu, sic totius uitæ innocentia, sic autoritate qua ualebat apud populũ, ad suam abutebatur tyrannidẽ. Vnde & post, uulpem illum appellat dominus Iesus. Hæc est enim astutia principum huius mundi: ad quos si quando cõtinget Euangelicos uiros asciscí, aut fugiẽdus erit illorũ conuictus, apud quos citius corrumpendi sint ipsi, quàm eos ad meliora flexuri: aut animos suos præparent ad tale præmium non dissimulatæ ueritatis, quale contigit Ioanni. Quũ enim Herodes, nõ degenerans à moribus paternis & auitis, multa pararet impie tyrannicéq;, populum expilans, libertatẽ opprimens, in alijs puniens quod ipse committeret, uenales habens magistratus, uenale sacerdotium, ac palàm

palàm domi habens Herodiaden, uxorẽ Philippi fratris, quam ille uiuo præripuerat, unà cum filia Philippi: uir sanctus non ferens tam incestas nuptias in domo regia, unde conueniebat exemplum seruandarum legum potissimum proficisci, admonuit eum, ut abstineret à tam impio flagitio. Sed apud impium regem plus habuit momenti puellæ saltatricis impia postulatio, et impiæ mulieris suggestus, quàm tam incorrupti uiri salutaris admonitio, qua tantum abfuit ut emendaretur, ut superioribus flagitijs facinus adiecerit omnium impijssimum, Ioannem conijciens in uincula, eò demum progressus uesaniæ, ut amputatum innocentissimi uiri caput, obscenæ saltationis præmium daret puellæ. Sed ut ad historiæ seriẽ reuertar, priusquàm dominus Iesus aggrederetur prædicandi negocium, quod intra breue tempus erat absoluturus, ut omnes numeros modestiæ iusticiæq; impleret, non dedignatus est uenire cum cæteris ad baptismum, haud ille quidem purificandus, sed nobis æternæ salutis lauacrum suo baptismo consecraturus. Deiecit ipse sese, sed Ioannis uoce ac patris æterni clarißimo testimonio commendatus est palam omnibus, ut de facie quoque cognoscerent eum, de quo uaticinati fuerant prophetæ, de quo testificatus fuerat Ioannes. Quum igitur baptizaretur ingens numerus promiscuæ multitudinis, & inter hos uelut unus è multis aduenies Iesus Christus à Ioanne, uelut peccatis obnoxius, bapti-

Factũ est autem quũ baptizaretur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſmum flagitaſſet, recuſauit Ioannes, agnoſcens autorem puritatis, à quo debuerat ipſe potius baptizari. Hoc primum ab Ioanne teſtimonium, Ieſu præſentis dignitati redditũ eſt apud multitudinem, ſed euidentiore ſigno pater diſcreuit filium ſuum à cæteris qui baptizabantur. Cæteris enim baptizatis nullum ſignũ apparuit. Verum ubi baptizatus eſt dominus Ieſus, iamq; deprecaretur: nos interim erudiens, ut reſtituta per baptiſmum innocentia, protinus uertamus nos ad ea ſtudia, quæ ſunt ſpiritus, inter quæ primum locum habet deprecatio: apertum eſt cœlum: quod hactenus clauſum, baptiſmus illius nobis patefecit. Atq; inde deſcendit ſpiritus ſanctus, per ſe quidem inuiſibilis, ſed tum circundatus uiſibili ſpecie, quo conſpicuus eſſet oculis hominum. Species autem erat columbæ, quod hæc auis, innocentiæ ſymbolum, olim ramum oliuæ detulerat in arcam, iræ diuinæ placatæ ſignum, ac ſiniendi diluuij pignus. Porrò diluuium illud quo tum purgatus eſt mundus, typum habebat noſtri baptiſmi, quo ſaluis corporibus & animabus demerguntur peccata. Hac igitur ſpecie ſpiritus ſanctus deſcendit in ſanctum uerticem domini Ieſu, palàm deſignans illũ eſſe, quẽ pater affatim omnibus cœleſtibus dotibus unxiſſet, quas in omnes ſibi fidentes, ac per baptiſmum, in corporis ſui conſortium inſitos, eſſet effuſurus. Acceſſit huic paternæ uocis euidẽs teſtimonium, non iam per prophetas, non per Moſen, non per angelos pro

los proditum, ſed ab ipſo patre publicatum. Nõ quod pater, ut eſt, uel audiri poſſit, uel conſpici, uel ullo corporis ſenſu percipi: ſed quemadmodum ſpiritus inuiſibilis, uiſibili ſigno ſeſe patefecit oculis hominum, ita pater ædita per elementa ſuperna uoce, perculit aures hominum. Vox autem è ſublimi his uerbis intonuit: Tu es filius meus unice charus, in quo ipſe mihi complaceo. Nulli ueterum ſanctorum tale præbitum eſt teſtimonium. Columba præcedens deſignabat, ad quem uox iſta pertineret, ne quis ſuſpicari poſſet, Ioannem hoc elogio fuiſſe laudatum, de quo pleriq; tam magnifice ſentiebant, ut eum crederent eſſe Meſſiam. Tot teſtimonijs Chriſtus orbi commendatus eſſe uoluit, priusquàm ad Euangelij prædicandi negocium accingeretur: nos interim admonens ſuo exemplo, ne quis ſeſe tanto muneri repente & illotis pedibus ingerat. Priuatim teſtimonium acceperat ab angelis, ab Elizabet, à Simeone, ab Anna, à Magis, publice ab Ioanne, cuius erat grauiſſima apud Iudæos autoritas, à ſpiritu ſancto, ab ipſo patre. His omnibus adiuncta eſt ætatis autoritas. Quum enim ueniret ad baptiſmum dominus Ieſus, accedebat ad annũ trigeſimum: nõ quod ætas æſtimetur apud deum, ſed quod cõueniret, ut is qui pertracturus eſſet omnes ad ſe, ſatisfaceret omnibus per omnia, neq; quicquã eſſet in eo, quod quiſquam probabiliter poſſet calumniari. Proinde ætas matura delecta eſt et expectata, quod adoleſcen-

adoleſcentiæ deſit autoritas, propter publicam opinionem imperitiæ: ſenectus minus habeat ponderis, ob uires ingenij defectas ac ſuſpicionem delirationis. Quoniam uero & generis uitium apud uulgus multum abrogat autoritatis, curatum eſt & hoc, ut Ieſus tam diu crederetur eſſe filius Ioſeph, donec miraculis, ac prædicatione ſatis inclaruiſſet Euangelium. Erat hoc dignitatis Chriſti, ut de uirgine naſceretur, ſed quoniam id non referebat ſtatim innoteſcere, & perſuaſu fuiſſet difficillimum, abuſus eſt errore populari, ne qua res interim imminueret autoritatem prædicantis, ſi probabiliter dictus fuiſſet ex adulterio natus. Voluit ex humili domo prodire, ſed quam nulla fæmæ labes aſperſiſſet. Siquidem Euangelico doctori uitanda eſt, non ſolum culpa, ſed omnis culpæ ſpecies, & commendatus eſſe debet non modo ſuis uirtutibus, uerum etiam ab his rebus alienus, è quibus uulgus concipere ſolet mali ſuſpicionem, ſi quidem hæc eſt communis hominum opinio, uix unquàm è malis parentibus naſci bonos liberos. Ergo qui paupertatis probrum, qui domus humilitatem non refugit, uitauit ætatis & generis calumniam. Quanquam autem Ioſeph non fuerit pater Ieſu iuxta naturam, ſed ſecundum legem tantum, quia ſponſus erat matris: tamen quoniam ex eadē tribu domoq; duxerat uxorem, ab hoc uiſum eſt domini recenſere genealogiam, quo magis conſtet illum uere fuiſſe hominem iuxta corpus prognatum

Vt putabatur filius Ioſeph.

prognatum ex his, è quibus prophetarū uaticinia prædixerant illum naſciturum. Nam iuxta naturam ſublimiorem, pater ipſe cœleſtis agnouit ac profeſſus eſt filium ſuum. Ioſeph igitur coniunx Mariæ uirginis, quæ genuit Ieſum, iuxta legem dicebatur filius Heli patrui, iuxta ueritatem propagationis filius Iacob, qui fratri ſuo uterino, quod abſq; liberis deceſſerat, ex uxore relicta ſuſcitauit filium Ioſeph. Heli filius erat Mathat, hic rurſum patrē habebat Leui. Leui natus erat ex Melchi, quem genuerat Iannes filius Matathiæ, cui pater fuerat Amos. Hunc progenuit Naum, filius Helſi, prognati ex parēte Naggæ. Is prodierat ex Maath, filio Matathiæ. Hic ſatus erat ex Semei, filio Ioſeph, progenito ex Iuda. Iudas patrem habuit Ioannan, filium Rheſi prognati ex Zorobabel. Huius pater erat Salathiel, prognatus ipſe ex Neri, filio Melchi, qui genus duxerat ex Addi, filio Coſam, progeniti ex Helmadam. Is genus ducebat ex Her filio Ieſo, prognati ex Eleazar filio Ioram. Hūc genuerat Mattha, ipſe natus ex Leui, filio Simeonis, prognati ex Iuda, filio Ioſeph. Hunc progenuerat Ionam, ipſe filius Heliachim, filij Meleam. Is prognatus erat ex Mathatha, qui fuit filius Nathan. Hūc ex Berſabee genuerat Dauid rex, per quem inſtaurata eſt ſtirps Solomonis, quæ in Ozochia defecerat. Dauid genitus erat ex Ieſſe filio Obeth, prognati ex Booz. Huic pater erat Salmon, filius Naaſſon, prognati

Qui fuit Heli.

prognati ex Aminadab, cui pater fuerat Aram, filius Esrom, progeniti ex Phares filio Iudæ. Iudas genus duxit ex patriarcha Iacob, filio Isaac, quem iuxta diuinum promissum, senex ex uetula Sara susceperat Abraham, ipse prognatus ex Tharra filio Nachor, proditi ex Saruch filio Ragau, cui pater erat Phalec filius Heber, procreati ex Sale, filio Cainam filij Arphaxat, cui pater fuerat Sem filius Noë, quem genuerat Lamech, filius Mathusala, filij Enoch, cui pater erat Iareth, ipse proditus ex Malalehel filio Cainan, progeniti ex Enos filio Seth, quem genuit Adam, posteaquàm uixerat centum & triginta annos. Adam erat princeps humani generis, non alium habens generis autorem quàm deum, à quo conditus est è limo terræ, uelut è matre. Quoniam autem per huius terreni parentis peccatum uitiatum erat omne genus humanum, & genitoris sui referens ingenium, in omne uitiorum genus fuerat prolapsum, missus est collapsi generis instaurator ac redẽptor dominus Iesus, ut quod unius inobedientia corruisset, per unius obedientiam reconciliaretur, & quemadmodum omnes, qui terreni parentis uestigijs ingressi fuerant, redditi sunt obnoxij morti, ita qui per baptismum exempti à cognatione peccatoris insererentur Adæ cœlesti, qui est Iesus Christus, illius uestigijs inhærentes, uitam æternam assequerentur in cœlis. Respondent autem multis modis exordia labentis humani generis, ac restitu-

ti. Nihil

ti. Nihil enim hic fortuito gestum est, sed tota rerũ series diuino temperata est consilio. Euæ uirginis cum serpente colloquium fuit initium exitij: Mariæ uirginis cum Gabriele colloquium fuit initium salutis. Euæ corrupta pomi blandientis illecebra, uirum perdidit ac mortem inuexit mundo: Maria uirgo semper incorrupta, spretis constanter carnis illecebris, simplici fide se præbens uoluntati diuinæ, uirum enixa est, qui salutem attulit mundo. Adam tentatus est & uictus, Christus tentatus uicit tentatorem. Adam uxori corruptæ obsequundãs, iectus est è paradiso: Christus patri obediens usque ad mortem, uiam aperuit in cœlos. Ob pomi gustati uoluptatem ille factus est seruus diaboli, Christus spretis omnibus mundi regnis ac delicijs, nobis deuincendũ hostem tradidit. Ille per esum pomi perdidit posteritatem, hic per abstinentiam cibi reparauit perditos. Ille à paradiso depulsus est in terram calamitosam ac desertam, hic à deserto uiam muniuit in cœlum. Ille per cupiditatem superbæ scientiæ posteros suos pertraxit in mortem: hic per humilem fidei obediẽtiam reddidit uitam. Deniq; utrobiq; lignum. Ibi per lignũ uicit ac fefellit serpens, & hic per lignũ fefellit ac uicit Christus. Per arborẽ mors, per arborem uita. Princeps interitus ex terra uirgine cõditus est: princeps salutis ex uirgine Maria. Adam ad imaginem dei factus est, Christus imago dei, sumpsit hominis & imaginem & naturam. Adam per

sponsam

sponsam suam deceptus est, Christus suam sponsam ec clesiam ab errore diabolico reuocauit. Ibi mulier pro didit initium stulticiæ, dum captat fieri sapiens. Hic mulier dum sibi nihil arrogat, nobis ædit sapientiæ fontem. Adam dum mauult sapiens esse quàm obe diens, stulticiam inuexit mundo: nouus Adam cum es set sapientia patris, pro nobis stultus factus est, ut sa pientes redderemur in ipso. Per superbiam lapsus, per humilitatē erectio. Adam animi dotibus nudatus per serpentem, arboris se texit exuuijs: Christus donis cœ lestibus diues, nihil desiderauit huius mundi. Congru unt & ueteris instrumenti figuræ cum historia Euan gelica. Moses Israëlitas duxit ex Aegypto, Christus ex ignorantiæ tenebris ac uitiorum seruitute libera uit. Illis per aquam transitus erat, hic per baptismum iter est ad salutem ac libertatem. Illic columna nubis & ignis, & hic de nube sonat pater, & igni baptiza tur spiritus. Per legem primam occasio mortis, per le gem Euangelicam reuocatio ad salutem: sed uetus lex tonitruis ac fulminibus terret, lex Euangelica le nitate ac beneficijs prouocat ad salutem. Moses ter ribilis aspectu, sed sic ut faciem uelare cogeretur, Chri stus placidus & comis, mediaq; turbæ admixtus. Mo ses ascendit in montem, ut cum deo colloqueretur: Christus descendit ad nos, ut per ipsum deus nobis loqueretur. Primus Adam, dum affectat æqualita tem cum deo, comparatus est iumentis insipientibus.

Posterior

posterior Adam, cum sese deijcit à sua diuinitate ad humilitatem humanæ naturæ, nos iumentis etiam ab iectiores, subuexit ad consortium diuinitatis. Deniq; per Iesum Nauæ filium reditus in terram fluentē la cte & melle: per Iesum uirginis filium reditus in pa radisum. Recedamus igitur ab ingenio primorum pa rentum, & obseruantes uitam domini Iesu, synceris mentibus amplectamur illius beneficium, ac pijs stu dijs pro uiribus imitemur exemplum. Ipse suppedita bit auxilium, qui præbuit exemplum. Amplectamur Euangelicæ legis placidum cōditorem. Sequamur du cem nostrum, qui solus potest omnes totius orbis na tiones perducere ad terram illam, omni gaudiorum genere semper exuberantem.

CAPVT QVARTVM.

Iesus autem, cuius uertici columba insederat, non inane signum, iam plenus spiritu sancto, prius quàm aggrederetur munus Euangelicæ prædicatio nis, ne nō per omnia probatus accederet, reliquit Ior danem, docens à baptismo connitendum ad sublimio ra studia pietatis, subduxit se à turba, cuius conui ctus & frequenter inquinat, & autoritatem eleuat doctoris: ac per spiritum quo totus rapiebatur, actus est in desertū, unde prodierat & Ioannes, ueluti pro uocaturus hostem humani generis, ut artes ac machi nas suas expediret: nimirum quo nobis ostenderet il lum, qui genus hominū hactenus uicerat, uinci posse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simulq; nobis uincendi rationem indicaret. Locus ca
ptatus est tentatori commodus, præbita est per esuri
tionem occasio. Iesus enim, ut Mosen hac imagine re
ferret, nouam & Euangelicam legem mundo prodi
turus, ieiunauit & ipse quadraginta diebus, nec in
his quicquam attigit cibi, sed totum hoc tempus san
ctis ad deum precibus, laudibus diuinis, & gratiarũ
actionibus transegit. Erat autem hoc χάρις cuiusdam
uirtutis specimen. Nec ignorabat artes Satanæ, nus
quam magis admouentis omnes laqueos suos, quàm
ubi cõspexerit humanam mentem insigni conatu ten
dere ad uitam cœlestem. Audierat uenturum illum,
qui fracturus esset ipsius uires, & an iam uenisset, du
bitabat: quis autem is esset, ignorabat. Hic enim fallen
dus erat arte diuina, qui prius suis dolis fefellerat ge
nus humanũ. Audierat Ioannem palàm profitentem:
non sum ego Christus. Proinde quũ multa conspexis
set in Christo, quæ uirtutis humanæ modum excede
rent: rursus quum uideret esurientem, & affligi cor
poris inedia, quum Moses & Helias post totidẽ die
rum ieiunium non legantur esurisse, suspicatus est ni
hil aliud esse Iesum quàm hominem, & hominẽ qui
posset arte corrumpi. Erat autem hoc callidum tenta
toris consilium, ut aut uinceret, aut certe expiscare
tur, an hic esset ille filius dei, promissus à prophetis.
Quod si comperisset, iam eò neruos omnes ac frau
des intenderet, ut impediretur aliqua uia redemptio
generis

generis humani. Sed nulla ualet astutia aduersus diui
nam sapientiã, quæ sic temperauit omnia sua, ut cal
lidissimum illum hostem nostrum non solum uince
ret, uerumetiam eluderet. Infirmitate carnis elusit,
fortitudine spiritus ac diuinæ scripturæ præsidio ui
cit, sic ut turpiter uictus abigeretur, & nihilo cer
tior abiret de filio dei, quàm antea uenerat. Admo
uit igitur Satanas primum illud & efficax telũ, quo
principes humani generis deiecerat: quanquam illos
tantum solicitabat illecebra pomi blandientis, hic fa
mes etiam, intolerabile malum, adiuuabat tentatoris
conatũ. Esau fame cõpulsus, pulte uẽdidit ius primo
geniti. Poterat autem dominus Iesus diuina uirtute fa
mem corporis uel arcere, uel propellere: sed escam
obijcere uoluit captatori, quo caperetur ipse. Obiecta
est uelut esca, corporis humani imbecillitas, sed tenta
tor impegit in uncum diuinæ uirtutis. Videbat corpus
hominis fame sicescens discruciari, & ad uitæ peri
culum tendere. Negant autem ullum mortis genus es
se cruciabilius. Videbat eum in deserto procul semo
tum à uicis & oppidis, unde cibi copia præberi pote
rat. His rebus fretus, aggreditur impius spiritus do
minũ Iesum, spiritu sancto plenum: lacessit, à quo uin
cendus erat. Prouocat fortiorẽ, captat prudentiorẽ.
Quid opus est, inquit, te fame cruciari? si tu es ille fi
lius dei, iube ut hic lapis tibi uertatur in panem, isto
argumento declarabis te filium dei. Nõ enim erit pa

Si filius dei es.

 ter sur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter ſurdus filio fame periclitanti. Quũq; ille condiderit ex nihilo cuncta, nil magni fuerit, ſi filius dei lapidem uerterit in panem. Ieſus autem non ignarus quid uenaretur Satanas, ſic temperat reſponſum ſuum, ut nec obſequatur conſilio illius, nec diuinam naturam hoſti prodat, qui noua ratione per infirmitatem corporis, & fallendus erat, & uincendus. Nõ negat filio dei poteſtatem eſſe uertendi lapides in panes, non improbat famen corporis cibo ſedare, ſed ex autoritate ſcripturæ diuinæ demonſtrat eſſe uitam animi, quæ pluris ſit faciunda, quàm uita corporis: eſſe cibũ ſpiritualẽ, qui magis expetendus ſit, quàm hic cibus qui uitam corporis ad breue tempus prorogat, nihilo ſecius aliquanto poſt, morbo, ſenio, alióue caſu peritu-
ram. Cibus enim ſpiritus uitam largitur æternam. Is eſt ſermo dei. Hunc igitur primum aſſultum diaboli, hoc reſponſo Ieſus eluſit. Scriptũ eſt, inquit, in libro Deuteronomij. Non tantũ pane uiuit homo, ſed omni ſermone qui proficiſcitur ex ore dei. Cæterum in hoc dominus, diuinæ ſcripturæ teſtimonio nititur: primum ut nos doceret modeſtiã, quos nõ oportet quicquam extra ſcripturæ à deo proditæ autoritatem cõfirmare: deinde declarauit nobis, nullum telum efficacius eſſe aduerſus omnes inſtinctus impiorum dæmonum, quàm ſacrarũ literarum autoritatem. Hinc uerus petendus eſt animi cibus, ſi quis uelit deo uiuere, cui qui non uiuit, mortuus eſt, etiamſi uideatur uiuere. Co-

re. Comederũt primi parentes, & mortui ſunt. Quod ſi tentatori reſpondiſſent, id quod reſpondit dominus Ieſus, & prior illis fuiſſet ratio præcepti dominiã, cuius obſeruatio præſtat uitam æternã, quàm pomi lætalis appetitus, non ſe ſuamq; poſteritatem morti reddidiſſent obnoxios. Quin & illud nos docet ſeruatoris exemplum, non eſſe proferendum miraculum, niſi quum id poſtulat gloria Chriſti, nõ hominum libido, aut quum id exigit fraterna charitas. Magorũ enim eſt ac præſtigiatorum, ad inanem oſtentationem, & ad ſpectatorum curioſam uoluptatem, uel ædere, uel fingere prodigia, unde nec illuſtratur gloria dei, nec utilitas ulla redit ad proximum. Veluti quum fax ardens immerſa aquis non extinguitur, aut quum Hectoris, aut Achillis horrenda ſpecies oculis oſtenditur, aut quũ culmus ſerpere uidetur ſerpentis ſpecie. Ieſus nullum unquam ædidit miraculum, niſi quo ſimul & illuſtraretur uirtus patris, & hominum neceſſitati ſuccurreretur, uel quo pro tempore prouocaretur hominũ incredulitas. Quum eſſent paſcendæ turbæ, paucos panes multiplicauit in multis milibus ſufficturam copiam. Herodis oculos adeo non dignatus eſt paſcere miraculo, ut nec alloqui ſit dignatus. Eodem uidelicet conſilio negat miraculum Satanæ. Hoc congreſſu uictus diabolus, non ſtatim deſtitit à contentione, ne nos ſemel uictores tradamus nos ſecuritati, ſed animum ſemper ad nouos aſſultus paratum ac

munitum habeamus. Qui profecerunt ad mediocritatem Euangelicæ philosophiæ, facile contemnunt gulæ, luxusq; morbum, utpote sordidum, ac beluinum. Quanquam in hac quoq; tentatione non deerat arrogantiæ laqueus: Si filius dei es. Etenim qui natura sunt arrogantes, & gloriæ cupidi, plerunq; conantur ad ea quæ supra uires ipsorum sunt, ne quã faciant opinionis suæ iacturam, ac sibi per fucum uindicant, quod non habent, gloriam uenantes apud homines. Sic multi prophetiæ donum technis arrogant sibi, quod non habent: sic multi iactant uisiones angelorum, quas non uiderunt. Contra dominus Iesus quũ esset omnium maximus, magnitudinem suam dissimulat, præ se ferens imbecillitatem corporis, nec unquã promit uirtutem suam, nisi quum hoc expedit hominum saluti, ut gloria patris per filium illustretur. Eodẽ igitur telo Satanas, ut est improbe malitiosus, sed diuersa materia repetit dominum, experiens an opibus, & honoribus huius mundi corrumpi posset, qui fame prosterni non poterat. Siquidem ambitio malũ est, pestilens, ac propemodũ inuincibile, quod in summis etiam uirtutibus obrepit, insinuans sese mentibus ad ardua scandere conantibus, adeo, ut quos nec aduersæ res, nec paupertas, nec morbus frangere potuerint, nec luxus, aut Venus emollire, deijcat ac subruat gloriæ studiũ. Quid enim est tam nefarium aut impium, quod mortales imperij gratia nõ & faciant & patiantur

In montem excelsum.

patiãtur? An nõ frequẽter ueneficijs, parricidijs, incestis nuptijs, alijsq; nõ referẽdis probris, regnũ emitur? Quot cædibus aliquoties unius ciuitatis ditio uindicatur? Dulcis est honos, præclarũ est imperare, magnificum cæteris antecellere. Et omnino regnum diuinitas quædã uidetur inter homines. Hoc blando ueneno capti sunt primi parentes. Arridebat oculis pomi blãdientis illecebra, sed magis arridebat animo, falso promissæ scientiæ sublimitas, ac dijs æquanda dignitas. Hac igitur machina tẽtator adortus est Iesum, nec ille refugit tẽtatoris improbitatẽ, ut nobis illũ uincæret, utq; nos illũ uincendi rationẽ doceret. Sustulit igitur diabolus Iesum in montem excelsum, atq; ex eo uelut è specula, subito, in puncto temporis, subijcit oculis illius omnia regna totius mũdi (potest enim hoc permissu dei spiritus impius, rerũ imagines nouo quodã more repræsentare humanis obtutibus) simulq; quicquid in orbe magnificũ habet magnorũ regũ strepitus: præstigio quodã exhibuit oculis, opes, famulitiũ, palatia, copias, tubas, adorantium obsequia, pompas, triumphos, legationes, nutum omnipotentem, aliaq; permulta, quibus populorum adulatio principes homines, nõnunquam stultos & impios, certe fragiles ac mox perituros, pro dijs colit ac suspicit, atq; ipsi interim sibi fluxarum rerum successu sublati, plus quàm dij uidentur. Harum rerum omniũ præstigiator ille, mirum quoddam theatrũ, repente obiecit oculis do-

mini Iesu, qui præstigijs falli non potest, quum nihil illum lateat. Ad hanc magnificam speciem rerũ, adiecit mendax & improbus Satanas orationẽ magnificentiorem. Hæc, inquit, omnia tam splendida, tam opulenta, tam magnifica, tradita sunt potestati meæ, ut ea largiar cuicũq; libuerit. Sum enim princeps ac deus huius mundi. Quod si meum numen agnoueris, & prouolutus ad genua mea, me adoraueris, potestatem omnium regnorũ uniuersam quæ uides, tradam in manus tuas. Vides quantũ ubiq; sit nomen Cæsaris, & quota portio mundi agnoscit illum dominum? Tu unus obtinebis hæc omnia, & in terris pro deo coleris, modo me tantæ felicitatis autorem agnoueris. Agnoscis pie lector mendacissimam ac superbissimam uocem illius, qui quondam dixit parentibus illis infelicibus. Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Hic dominus Iesus impiam Satanæ uocẽ, diuinæ scripturæ uerbis retudit, dicens: Abi Satana cum tuis fallacibus promissis. Damnosum lucrum est, quod pietatis iactura emitur. Quod stipularis impium est, quod promittis inane est. Scriptum est enim in libro Deuteronomij. Dominũ deum tuum adorabis, & illum solum coles. Deus suam gloriam non patitur in alium transferri, non patitur sibi cum quoquam esse communem. Ille uerus deus ac dominus est omnium, quæcunq; sunt in cœlis aut in terris. Is suis cultoribus pollicetur hæreditatem regni cœlestis.

Huius

Huius uoci magis obtemperandũ est, quàm tuæ, qui ut honorem soli deo debitum impie tibi postulas, ita promittis non solum inania, moxq; peritura, uerum etiam aliena. Poterat respõdere dominus Iesus. Quid mihi pollicearis, quæ mea sunt? Qua fronte postulas, ut tibi accidam ad genua, quum deus sim, qui te condidi, qui te superbientẽ cœlo depuli, deiecturus in tartara simul atq; mihi uidebitur? In hæc ipsa regna nihil habes iuris, nisi tibi mortalium error & impietas ius faceret. Illorum stultitia tu potens es. Reuiuiscet pietas, ubi fuerit regnum tuum? Verum id temporis fallendus erat Satanas, non docendus. Nec admoneri meruit, qui corrigi non poterat. Nobis agebatur hæc fabula, nos doœbamur, magno animo respuendũ, quicquid cum impietate coniunctum est. Nõ quod per se malæ sint opes, aut per se malum regnum, aut magistratus publicus: sed quod ad hæc ferè nullus penetret nisi malis artibus, quodq; non sine graui pietatis discrimine possideantur, propterea quod innumeris periculis obnoxia sint. Quisquis autem harum rerum cupiditate corruptus negligit præcepta dei, fraudat, rapit, peierat, occidit, fas nefasq; miscet: is iam adorauit huius mundi principem, ac deum abnegauit, inito fœdere cum aduersario dei. Quoties autem solicitatur animus Christiani, ut ob augendas opes, aut obtinendum imperium, aut parandam gloriam, deseratur ueritas, & admittatur impietas, exemplo Christi du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cis sui respondeat intrepide. Abi Satana cũ tuis fallacibus promißis, solus deus adorandus est: qui illũ habet propitium, is cum illo dominus est omnium. Nec sic repulsa desistit à tentando Satanæ improbitas. Repetit, sæpius uincendus: ut nos intelligamus, nobis in hac uita perpetuum esse conflictum cum aduersario, neq; quicquam esse tam nefarium, ad quod ille nõ audeat solicitare cultores dei, sed non esse formidandũ pijs, quibus iam uicit Iesus Christus, & quibus è diuinis literis efficacißima tela suppetũt, quibus illico retundatur tentatoris improbitas. Nec enim in aliud ille proficit tentando, quàm ut præbita occasione maiorem, ac spectatiorem reddat bonorum uirtutẽ. Abducit igitur dominum Iesum è monte sublimi Hierosolymam, statuitq; eum in summo templi fastigio, rursumq; prouocat, ut aut inani gloria uictus, sese præcipitem det & pereat, aut eo signo se prodat esse filium dei. Ac fraudis suæ patrocinium mutuatur à sacris literis, sed perperam intellectis, neq; quò oportuit accommodatis. Sic enim & impij nonnunquam & hæretici diuinis scripturis abutũtur ac fallunt incautos, sermonis diuini regulam ad suos affectus deprauantes. Hic, inquit, declara, utrum sis filius dei an
Mitte te deorsum. nõ. Præcipitem da teipsum, & si nihil acciderit mali, palàm sit omnibus, te esse filium dei. Neq; periculum est ne quid accidat. Scriptum est enim in psalmis de filio dei, quod angelis suis mandabit de te, ut conseruent

uent te, quodq; manibus suis tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Hæc prophetia nõ proprie prodita est de Christo, sed de quouis homine pio, qui fretus ope diuina, nõ debeat sibi metuere ab ullis huius mundi malis, quemadmodum & ipse dominus iußit, apostolos suos animo securo esse: nec enim pilum capitis illis periturum nolente patre cœlesti. Iesus autem dißimulans interim, se natura filium esse dei, tantum illud respondit, quod à quouis homine pio responderi poterat, & scripturam falsò citatam, alia scriptura recte adducta, ceu clauũ clauo, retudit. Sed è diuerso scriptũ est, inquit, in Deuteronomio: Nõ tentabis dominum deum tuũ. Illius auxilium aderit, quũte casus quisquam, aut religio pertraxerit in periculum, non quum ad ostentationem prouocaris dei uirtutem. Neq; diuina pietas seruit humanæ gloriæ, aut libidini, sed suam gloriam declarans, quũ uult, in hominibus, succurrit humano destitutis auxilio. Indignus est autem ope diuina, qui suæ gloriæ causa semet ultro conijat in manifestum uitæ discrimen. Neq; piorum hominum est, deo præfinire, quando quibus ue modis nos debeat è periculis eripere, quũ certi simus, siue liberat, siue non liberat, hoc agi per illum, quod nobis saluberrimum est. Nonnunq; felicius est ægrotare, quàm bene ualere: mori, quàm uiuere: affligi, quàm rebus sequundis uti. Pietas est, ab illo simpli à pendere animo: impium est humana curiositate tentare

Universidad de Deusto
Biblioteca

tare quid possit. Potest enim omnia, sed non uult nisi optima. His aliisq; modis princeps ac magister noster Iesus, passus est se tentari à Satana mox à baptismo, ne nos satis putaremus baptismi lauacro condonata esse nobis peccata, sed acre bellū suscipiendum cum hoste, nihil nō molituro, quo nos in pristinā retrahat seruitutē. In baptismo damus nomina duci nostro, sub illius uexillis aduersus Satanæ copias bellaturi. Neq; uero nobis res est cum hominibus, cum Christus iubeat & inimicos diligere, sed cum impijs spiritibus, qui telis igneis, multaq; artē nos impugnant è sublimi. Sed horū uires semel fregit princeps noster, ac proinde nobis uincibiles tradidit, quos rursus uicturus est in nobis, si modo nos pugnandi rationem, qua Christus eos deuicit, imitemur. Oppugnant autem nos interim per se, cogitationes impias suggerentes animo nonnunquam per malos homines, ueluti satellites suos, dum subornant qui nos ad uoluptates solicitent, qui rixis & conuicijs ad iram & cædem prouocent. Escam qua capiamur aliquando petunt ab hoc mundo, cuius honores, opes ac pompas ingerunt oculis nostris, nonnunquam & è nobis ipsis sumunt. Insunt enim nobis quidam affectus naturæ, quos abijcere non possumus, nisi prorsus humanam naturam exuamus, ueluti cibi & potus appetentia, coëundi libido, posteaquàm pubertas genitalia membra distenderit humoribus. Quanquam autem congredi moderatē

rate cum uxore scelus non est, neq; nefas est cibo ac potu sitim & famem cōpescere, tamen hic nobis insidiatur hostis callidus, ut his affectibus uel indulgeamus ultra necessitatem, uel his modis quibus nō oportet eos placemus. Quod genus sit, si quis contingat uxorē alienam, aut cū sua supra modū, aut ratiōibus indecentibus cōgrediatur: siue si cum offendiculo fratris uescatur Idolothytis, quū liceat uitato offendiculo succurrere corporis necessitati. Sunt autem & peculiares corporum & animorū propensiones ad certa uitia: siue quod hæ nobis è parentibus inhæserunt siue consuetudine collectæ sunt: siue aliunde accesserunt. Velut alius est ad auaritiam natura procliuior, alius ad luxum, alius ad uenerem, alius ad iram, alius ad ambitionem. Horum nihil non obseruat hostis noster, quo nos in exitium pertrahat. Verum aduersus omnes huius insidias, oportet simul & fortes esse, & uigilantes. Aduersus omnes illius machinas, robur & ingeniū suppeditabit Christi spiritus, arma suppeditabunt diuinæ literæ. Qui patitur nos tentari, nō patietur uinci, sed ita temperabit conflictum, ut certaminis exitus nobis cedat in bonum. Victus hostis non desinet inuidere, sed aliquando desinet impetere, quoque sæpius repetet, hoc redibit fractior. Quid in nobis futurum esset, Christus in se expressit. Etenim quū diabolus omnes artes expediisset in dominum, neque quicq̄ procederet, simul & uictus, & elusus discessit,

Cōsummata omni tentatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit, sed ad tempus: uidelicet, alia captata occasione rediturus ad tentationem. Etenim ex quo non potuit elicere professionem filij dei, quem nulla rerum specie corrumpere potuit, post per suos satellites pharisæos, scribas & sacerdotes conatus est occidere. Verũ & hic arte diuina uersutiam hostis elusit. Quod hic molitus est in perniciem, ille nobis uertit in salutem. At tum deniq; sensit Satanas deiectam esse suam tyrannidem, quum sibi polliceretur certissimam uictoriam. Præcessit baptismus qui cõfert innocentiã. Successit eremus, ac assidua precatio, ieiunium, atq; interim conflictatio cum Satana, aduersus quem nos potissimum armat fuga multitudinis, in qua nusquam deest, quod animos imbecilles ad uitia solicitet. Munit deprecatio, & ieiunium robur detrahit corpori, addit spiritui. Supererat ut ad docendi munus accingeretur. Est autem hoc propriũ munus episcoporum, quod nemo recte suscipit, nisi multis modis exploratus, ac probatus, uictor omnium malarũ cupiditatũ, quæ corrumpunt ac uitiant sermonem dei, quo possit & alios docere, quibus modis resistant Satanæ. Non enim satis est, doctorem Euangelicum esse purum à uitijs, sed & fortem atq; incorruptum esse oportet, ut nec quæstu, nec ulla corporis uoluptate, nec ambitione, nec metu malorum deflectat à rectitudine ueritatis Euangelicæ, quam non desinit ullo tempore Satanas oppugnare per eos, qui mundũ hunc diligunt

plus

plus quàm dei gloriam. Hoc nos docere uolens dominus Iesus, peractis his omnibus, iam magna uirtute spiritus, quo plenus erat, recepit sese in Galilæam. Si quidẽ è tentatione spiritus robur collegerat, nõ quod illi quicquam accessisset nouæ uirtutis, sed quod id quod habebat in animo, magis sese promeret atq; exereret: nobis interim depingens, quid Euangelico doctori curandum sit, & expectandum. A Galilæa, contemptissima Iudæorum regione, uoluit auspicari prædicationẽ Euangelicam: partim ut responderet Esaiæ uaticinio, quo prædictũ erat, circa fines Zabulon & Neptalim, hoc est, iuxta Galilæam gentium, exorituram lucem diuinæ ueritatis: partim ut ne quid Euangelici successus, huius mundi præsidijs imputaretur, si per eruditos, si per opulentos, si per potentes proditum fuisset Euangelium, si à celebri regione exortum. Delegit enim deus omnia contempta iuxta mundũ, ut tota gloria rei tam mirificæ rediret ad ipsum. Iam autem Iesu fama non erat incelebris apud Galilæos, apud quos miraculis aliquot priuatim æditis, multis innotuerat & ante baptismum, collectis interim paucis discipulis, quos totus uitæ doctrinæq; suæ testes esse uoluit. Quo tempore paulatim sese subduxit ab affectibus cognatorum, docens & hos officere frequenter syncritati doctrinæ. Cæterum ubi Ioannes esset coniectus in uincula (nam hoc prædicantẽ siluerat propemodum, ne quid inter utriusq; discipulos

Et regressus est Iesus in uirtute.

Universidad de Deusto Biblioteca

pulos æmulationis oriretur) palàm magno animo docendi negocium aggreditur. Tempus enim erat, ut astricta lege, cuius typum gerebat Ioannes, proferret sese libertas Euangelica. Vmbrosæ & ænigmatis obscuræ legi conuenit carcer. Lucem autem Euangelicam oportebat in altum tollere, ut uniuersis mundi regionibus esset conspicua, maximis ac minimis, doctis & idiotis. Ergo simulatq; repetisset Galilæam dominus, uirtute spiritus diuini, quo plenus erat, doctrina & miraculis ex parte iam prodita, fama, quæ prius de illo uolitarat inter paucos, tum diuulgata est in uniuersam eam regionem. Congruit enim Euangelico doctori celebre nomen: non quod illi sit affectanda gloria apud homines, sed quod honesta opinio doctoris, fidem ipsi conciliet & autoritatẽ. Verum hæc opinio, ut non est affectanda, ita nec quibuslibet paranda rationibus. Ad exemplũ Iesu sic uiuat doctor, ut quum ipse sese non ostentet, tamen patris testimonio, spiritus sancti uirtute, Ioannis, hoc est, optimi cuiusq; suffragio commendetur. Sic uiuat, ut morũ integritate oculos omnium in se conuertat. Deniq; ea sit erga deum fiducia, ut miraculis etiam, si res postulet, deum glorificet. Quanquam hoc seculo abunde magnum miraculũ est, nec opibus, nec uoluptatibus, nec honoribus, nec tormentorum terriculamentis, nec mortis metu, uel tantillum deflecti à synceritate ueritatis Euangelicæ. Erat autem apud Iudæos consuetudo, ut

Et ipse docebat in synagogis.

do, ut frequenter, sed præcipue sabbatis ac festis diebus cõuenirent in templum, aut in synagogas, ut ociũ quod illis indixit lex ab operibus sordidis & profanis, non in aleam, scorta, compotationes, rixas, aliaq; flagitia consumerent: sed in his quæ sunt animi collocarent. Illic erat confabulatio non de nugis humanis, sed de lege domini, de uenturo Meßia, qui flagrantissimis uotis ab omnibus pijs expectabatur. Et quod quisq; poterat conferebat in medium cuiuscunq; status esset. Porrò qui præ se ferret habere, quod doceret populum, huic dabatur codex diuinæ legis, unde promere debet doctor Euangelicus, quo pascat animos multitudinis, non ex somnijs humanis. Quicquid autem hic dicebatur aut gerebatur, nõ poterat esse clàm quod eò promiscua populi multitudo conflueret. Iesus igitur uolens suam doctrinam esse notam omnibus, perambulans Galilææ ciuitates, iuxta laudatam Iudæorum consuetudinem, uentitabat in synagogas eorum, ubiq; promens admirabilem illam & efficacem doctrinam regni cœlestis, tanto potentiorem doctrina pharisæorum, qui corticem legis aut constitutiunculas hominum prædicabant, quanto uinum est aqua efficacius. Nec deerant etiã apud Galilæos animi dociles, qui mirarentur nouũ hoc doctrinæ genus, quiq; doctorem admirabilem suspicerent, ac laudibus ueherent. Et hactenus quidem satis succeßit Euangelij negocium, donec ad cognatos ac domesticam noti-

Et magnificabatur ab omnibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciam est uentum, ut intelligeremus eum qui docet cœlestia, oportere quãtum licet, à carne, à sanguine alienum esse. Peragratis enim aliquot Galilææ uicis, ac ciuitatibus, tandem uenit Nazareth, ubi quoniam fuerat infans educatus, diuq; uixerat cum parentibus & cognatis, natus credebatur à multis, unde & Nazaræus uulgo dictus est. Porrò ne et hi queri possent, quod patriam ac propinquos suos fastidisset, malens apud alienos uenari gloriam, uenit huc quoq; iam fama celebris, quam illic non habuerat. Vtq; declararet sese iam domesticis negocijs renunciasse, ex more suo uenit in publicam synagogam. Nusquam enim magis oportet uersari eum, qui publicis commodis dicatus est. Quum autem audisset alios de lege disserentes, surrexit & ipse, hoc gestu significans, se quoq; spiritu afflatum habere quod loqui uellet apud multitudinem. Qui mos & hodie perseuerat in ecclesijs, ex institutione Pauli, ut uicißim dicant & audiant, & si cui fuerit reuelatum aliquid dignum cognitu, cedat qui prior dixerat, & det locum successori, ne tumultus & confusio nascatur in congregatione sancta, in qua decet omnia cum pace & tranquillitate geri. Datus est Iesu codex, idq; ex more, ut nos doceremur, unde proficisci oporteat salutiferam doctrinam, nimirum non ex commentis hominum, nõ ex philosophorum placitis, sed ex sacris uoluminibus, quæ nobis afflatu diuini spiritus prodita sunt. Nõ egebat dominus

Iesus

Iesus codice, in quo erant omnes scientiæ & sapientiæ thesauri reconditi, sed tamen accepit codicem, ut nobis studium sacræ lectionis commendaret. Minister synagogæ porrigit codicem, sed clausum. Iesus qui solus habet clauem, & aperit quod in lege ueteri reconditum est, codicem acceptum explicat, ac reuoluit. Iesus enim ipse latebat in lege reconditus & abstrusus. Decebat autem, ut ipsi Iudæi traderent unde mox conarguerentur. Traditus est autem non quiuis liber, sed Esaiæ prophetæ, quo nemo clarius aut euidentius uaticinatus est de Christo, deq; doctrina Euãgelica. Nec illud fortuito accidit, sed diuina prouidentia factum est, ut explicato reuolutoq; uolumine, is locus potißimum uenerit ad manum, qui Christum clarißime prædicaret, & in quo Christus ipse per os prophetæ de se loquitur hunc in modũ: Spiritus domini super me, eo quod unxit me, ut lætum nuncium adferam pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, ac cæcis uisum, ut cõfractos dimittam liberos, ut prædicem annum domini acceptũ & optabilem, ac diem retributionis. Hæc ubi stans è libro sua uoce pronunciasset dominus Iesus, librum ut acceperat complicatum reddidit ministro, hoc facto significans pertinacem quorũdam Iudæorum incredulitatem, qui literæ legis assidentes, Christum, legis animam, nec intelligerent nec agnoscerent. Iam doctoris personã sumit, & assedit explicaturus quod

 legerat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

legerat. Quod stans legit, datum est autoritati scripturæ diuinæ, cui par est omnem humanam dignitatem assurgere: quod sedens docuit, declarat diuinæ scripturæ interpretem, omnium humanarum tumultu cupiditatum oportere uacare. Cæterum fama recens quæ iam cœperat spargi de Iesu, tum nunc primũ assumpta doctoris autoritas, postremo cœlestis quædam gratia relucens in uultu eius, efficiebat, ut omnium quotquot aderant in ea cõgregatione, oculi essent intenti in eum. Tale siquidem auditorium amat dominus Iesus, qui sabbatum agunt, quiescentes ab huius mundi tumultuosis cupiditatibus, qui mutua concordia congregati sunt in unũ, qui mentis oculos habent nõ aliò spectantes, quàm ad Iesum, quàm ad salutem æternam. Loquitur enim ille quotidie nobis in arcanis literis. Loquitur per Euangelicos prophetas, hoc est, sacrorum uoluminum interpretes. Felices autem quibus sic attentis loquitur dominus Iesus. Talibus enim dignatur aperire sensus reconditi mysterium. Etenim simulatque uidit omnium oculos in se unum coniectos ac defixos, cœpit illis dicere. Audistis Esaiã sancti spiritus afflatu uobis promittentem eximium quendam, ac potentem doctorem, qui non ex spiritu humano doceat constitutiones hominum, aut fabulas inutiles, sed affatim unctus ac delibutus diuino spiritu mittendus sit à deo, ut his qui mites ac pauperes spiritu, eoq; doctrinæ salutaris capaces, lætũ & optabilem

Et omniũ in synagoga oculi.

bilem adferret nunciũ salutis: quiq; potens esset præstare quod annunciaret, nimirum cœlesti uirtute præditus: quiq; gratis salutem adferret omnibus, qui suorum malorum conscij salutem optarent: qui gratis cõdonatis peccatis omnibus, mederetur his, qui cor haberent uarijs uitiorum ac malarum cupiditatum morbis corruptum: qui prædicaret omnibus libertatem, qui uel idololatriæ dediti, captiui tenerentur à diabolo, uel legis superstitioni seruientes, non possent aspirare ad libertatem spiritus: qui cæcis animo & in altissima errorum caligine uersantibus per fidem aperiret oculos, quibus aspicerent lucem æternæ ueritatis, iuxta uaticinium, quod alio in loco idem prodidit propheta: Populus qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam: qui eos, qui prorsus omni malorum genere confracti, contritiq; uiderentur à Satana, restitueret pristinæ libertati: qui uerum iubileum domini prædicaret adesse, ut omnibus exoptabilem, ita ab uniuersis flagrantibus animis acceptandum. Prodidit Moses sabbatum dierum, quo iussit septimo quoq; die cessari ab operibus sordidis. Prodidit sabbatum annorum, quo præcepit septimo quoq; anno, quiesci à cultura terræ, nec aliud ab ea exigi, nisi quod suapte spõte proferret. Prodidit & annum instauratorem pristinæ libertatis, cui nomen apud Hebræos inditum ex re, Iubileo. Is post septem annorum hebdomadas recurrebat quinquagesimus. Hic optabilis erat omnibus

Iſraëlitis, qui ſeruitute aut ære alieno grauabantur. Verum ut ſabbatum Moſi corpora tantum reficiebat ocio, ita ſeptimus annus terræ quieti duntaxat cõſulebat. Nunc perpetuum ſabbatum annunciatur, quo liber animus & uacuus omni tumultu malarum cupiditatum, uacare debet quieto ſtudio rerum cœleſtium, nec iam anxia ſolicitudine curare terrena, quũ nihil deſit diligentibus deum. Quin & Moſi iubileus non ſuccurrebat niſi Iſraëlitis, nec gratuitam, nec plenam libertatem largiebatur, & hoc ipſum quod largiebatur, corporale erat ac temporarium. Hic autem annus domini, omnibus quicunque culpis obærati ſunt diabolo, qui dæmonibus ſeruitutem ſeruiunt, qui ignorantia ueri cæci ſunt, qui malis omnibus perditi ſunt, & inhabiles ad omne opus bonũ, adfert perfectam & gratuitam remiſſionem, libertatem, uiſum, ſanitatem, & integritatem. Quo magis oportet uos omnes amplecti pmptis ſtudijs, quod offertur. Quod enim audiſtis à prophetia promiſſum, re licet experiri. Auribus audiſtis, ſed animis promptis & auidis opus eſt, ut tantæ felicitatis ſitis capaces. Summũ eſt quod gratis offertur. Sed uæ illis, qui dei benignitatẽ tam obuiam ſpreuerint. Annus eſt iubileus, gratis offerens libertatem ac ſalutem ijs, qui ſe manſuetudine & credulitate præbent dociles ac ſanabiles, ſed huic ſuccedit annus retributionis ac uindictæ, pœnas æternas exacturus ab his, qui dei bonitatem fuerint aſpernati.

nati. His uerbis dominus Ieſus modeſte ſignificabat, ſe eſſe eum, de quo promitteret Eſaiæ uaticiniũ, quum pleriq; crederent eum locum non ad Meſſiam, ſed ad ipſum Eſaiam pertinere. Siquidem quum baptizaretur Ieſus, ſpiritus ſanctus è cœlo uiſibili ſpecie delapſus, & inſidens illius capiti, populũ admonebat hũc eſſe, de quo ſenſerat uaticiniũ. Vnctio mite quiddam ac placidum ſignificat. Nihil enim oleo placidius, unde & nomen inditũ Meſſiæ, quod Græcis χρίσμα, Latinis unctũ ſonat. Erat autem Ioannis auſtera munáxque prædicatio: Chriſtus manſuetudine, comitate, beneficentia ſolicitabat omnes ad ſalutem. Hæc ſumma cum autoritate, ſed pari cum manſuetudine diſſerentem Ieſum pleriq; ſuſpiciebãt, & admirabantur ſermonem, longe diſſimilem phariſaico, placidũ, manſuetum, amabilem, multa gratia conditum, nihil habentem ſupercilij, nihil toruum aut arrogans, ſed cui interim ſua nõ deeſſet autoritas. Siquidem phariſæorum uerba, quoniam è corde promanabant, ambitione, auaritia, liuore, cæteriſq; cupiditatibus malis corrupto, plerũque reſipiebant fontem ſuum. Cæterum ſermo, qui proficiſcebatur ab ore Ieſu, quoniam à pectore manabat ſpiritu cœleſti pleno bonis omnibus et amabilis erat, & efficax ad ſalutem. Erant tamen inter hos, apud quos generis, & familiæ humilitas nõ nihil eleuaret autoritatem doctrinæ cœleſtis. Etenim quum omnes adhuc crederent illum eſſe filiũ Ioſeph

Nónne hic eſt filius Ioſeph.

& Mariæ, nec esset ignota parentis utriusq; & affinium ac propinquorum tenuitas, uidissentq; illũ multis annis à pueritia nihil aliud didicisse quàm artem patris, nec unquam triuisse scholas pharisæorum ac legisperitorum, qui magno fastu docebant sacrorum uoluminũ mysteria, demirabantur unde repente contigisset illi tãta uirtus, quam in alijs urbibus ante prodiderat uarijs miraculis, unde tam admirabilis diuinorum uoluminum cognitio, unde tanta cum autoritate facundia. Nondum enim intelligebant, quanto plus ualeret unctio spiritus, quàm pharisæorũ doctrina. Aestimantes igitur eum ex his quæ in eo nouerant secundum carnẽ, dicebant: Nónne hic est ille filius Ioseph fabri? Non enim nouerant patrem cœlestem qui per filium operabatur. Quum autem Iesus longe pauciora miracula proderet in Nazareth, quàm in alijs ciuitatibus prodidisset, cóq; cognati quidam subindignarentur, suggillabãt eum, quasi uel non haberet ubiq; paratam potestatem, uel suis inuideret, uenantes interim humanã quandam gloriam ex negocio, cuius tota gloria debebatur deo. Horũ impiam murmurationem Iesus huiusmodi sermone compescuit: Quoniam audistis, inquit, me apud alios sanasse morborum omne genus, nimirum dicetis mihi, quod uulgo dici solet: Medice cura teipsum. Audiuimus prodigiosa quædam patrasse te in ciuitate Capernaum, ubi peregrinus eras, nec ullos habes tibi sanguinis propinquitate

tate coniunctos. Atqui conuenit potißimum in tuos esse beneficum. Quod ciuibus tuis & cognatis præstas, hoc tibi ipsi præsta. Proinde si tibi uirtus ista propria est ac perpetua, quicquid apud Capernaitas & alienos patrasti, patrato & hic apud tuos, tibi coniunctißimos, et in patria tua. Horum impio murmuri prodito sic respondit dominus: Ego quidem medicus sum paratus sanandis omnibus omnium morbis, si quis se præbeat sanabilem. Nullus enim quantumuis doctus ac benignus medicus mederi potest ægrotis, si pharmacum oblatum reijciant, ac fideli medico diffidant. Est autem hic affectus uulgarium hominum, ut medicum hoc pluris æstiment, quod è longinqua regione uenerit ignotus, & illic plus inuenit fiduciæ, ubi non alijs ex rebus æstimatur, quàm ex arte sua. Et arte quidem, quam secum circunfert semper & quouis loco idem est, uerum ubi reperit diffidentes, & contemptores, non perinde multis potest arte sua prodesse, non quod illic minus uelit aut poßit ex sese, sed quod hi, quibus succurrere uolebat, ipsi sibi salutis beneficiũ inuideant. Quod medicis accidit, multo magis accidit prophetis. Nam ars medicorum nõnunquàm opitulatur & inuitis. Propheta uero quoniam potißimum medetur animis, ne potest quidem succurrere ijs, qui salutem oblatam recusant. Recusat autẽ qui diffidit. Et ideo diffidũt multi prophetis, quoniã illos æstimant non ex uirtute dei, per illos operantis,

sed imbecillitate corporis, quam in illis conspiciunt, quẽadmodum & in cæteris hominibus. Reuoluite ueterum prophetarum historias, & certissimum esse cõperietis, quod dico uobis, nullũ unquam prophetã in precio fuisse habitum in patria sua, & apud cognatos suos: non quod minus aut possint aut uelint benefacere suis, quàm alienis, sed quod incredulitas cognatorum reddat ipsos indignos diuino beneficio. Nam dei munera, non dantur cognationi, sed affectui: nõ propinquitati carnis, sed promptitudini spiritus: nõ genti, sed fidei. Illud enim pro certo confirmo uobis, ætate, qua uixit Helias prophetã, quũ totos ãnos tres, ac mẽses sex nõ decidisset ulla pluuia, atq; hinc terræ sterilitas ingenti fame regiones illas omnes occupasset, multas fuisse uiduas in gẽte Israëlitica, et tamẽ prophetã fame periclitans ad nullam harũ mittitur pascendus, nisi ad uiduam Sarephthanam, in regionem Sidoniorum. Quur non potius missus est ad uiduas Hierosolymitanas, ut illic augeret hydriam farinariam ac lecythum olei? ut apud harum aliquam æderet insigne miraculum, puero in uitam reuocato? Nimirũ quoniam apud Israëlitas nulla erat, quæ huius ethnicæ ac barbaræ synceram fiduciam æquaret. Rogata prompte dedit aquam: pollicenti non defecturã hydriam ac lecytham, habuit fidem, ac parauit pultem ut erat iussa. Hic nimirum erat animus Israëliticus in muliere non Israëlitica. Adeo apud deum plus

habet

habet momenti animus quàm genus. An non simile quid accidit temporibus Helizæi prophetæ, qui successit Heliæ? Nec enim dubium est, quin inter Israëlitas cõplures fuerint leprosi, qui desiderarent sanitatem. Quur igitur horũ nullus mũdatus est ab Helizæo, sed solus Naaman Syrus, idololatra, & à gente Israëlitica alienus? An propheta non poterat apud suos, quod poterat in exterum, & ethnicum? An promptior fuit ad benemerendum de profanis, & alienigenis, quàm de suis popularibus? nequaquam: sed fiducia uiri promeruit dei beneficium. Credidit enim hoc, deum per suos cultores præstare posse, & iussus ter mergi in Iordane, obtemperauit. Eadem fiducia si fuisset apud leprosos Israëlitas, sensissent & ipsi diuinam beneficentiam. His dictis quum dominus Iesus exprobrasset ciuibus suis incredulitatem, ob quam se redderent indignos dei beneficijs, atq; interim subsignificaret futurum, ut Euangelicæ uirtutis munus non solum à ciuibus incredulis, uerum etiam ab uniuersis Iudæis ad uiduam Sidoniam, hoc est, ad ecclesiam gentium, & Naaman Syrum, hoc est, ad gentes prius idololatras demigraret: inuidum murmur uersum est in manifestam indignationem. In tantum enim commoti sunt omnium animi, quod hæc ausus sit dicere in publica synagoga, Sidonios & Syros homines apud Iudæos abominandos genti præferens Israëliticæ, ut coorto tumultu, eiecerint Iesum è ciuitate Nazareth, nec hoc

contenti

contenti perduxerunt illum usq; ad supercilium mon
tis, supra quem ea ciuitas erat ædificata, ut inde præ
cipitem darent. O ciues impios, ò subito in quantam
insaniam uersum mobilis uulgi fauorem. Et postea
mirantur ad se non uenire salutem, quum in exilium
exigant salutis autorem. Indignantur ethnicorũ lau
dari piam credulitatem, neq; corrigunt interim suam
impiam incredulitatem. Efflagitabant medicum, nec
sustinent deuorare salutiferam amaræ ueritatis cata
potium: uolunt sanari corpora, animorum morbos ne
gligentes. Animũ uero ægrotãtis medicina est, uerax,
& ideo mordax oratio. Malunt blandum sed lætife
rum uenenum, quàm amarum & salutiferum phar
macum. Requirunt ad humanam gloriam ædi mira
cula, quæ Christus non ædebat nisi ad salutem homi
num & gloriam dei. Nec in hoc uenerat, ut corpori
bus mox alioqui perituris, mederetur, sed animis in
æternum uicturis. Iam mihi uide præposteram Naza
renorum religionem. Sabbatum erat, & nefas esse
ducebant eo die calceum consuere, & nefas esse non
ducunt, ciuem ad salutem inuitantem, in præcipitium
impellere. Nimirũ per hos perficere conabatur, quod
ante per se suaserat Satanas, & reperit satellites ipso
nequiores. Siquidem ipse nihil aliud ausus est, quàm
suadere præcipitationem. Hi conglomerati, ciuem no
tum, ac benemeritum pertrahunt ad præcipitium, &
quantũ in ipsis erat præcipitarunt. Perfecit quicquid
potuit

potuit impia uoluntas, sed non est data prauæ uolun
tati facultas. Nondũ enim uenerat tempus quo nobis
expediebat mori Iesum, qui moriturus uenerat pro no
bis, sed suo tempore quod illi præfinierat pater, sed
eo genere mortis, quod delegerat. Non placebat illi
quoduis sabbatum, sed sabbatum paschæ, quo decer
bat immolari agnum liberatorem orbis: non placebat
præcipitium, sed altitudo crucis. Lucifer præcipita
tus est ob superbiam, & idcirco solicitat alios ad ruĩ
nam. Dei filius sponte sese demiserat in terras, ut ex
altatus in crucem omnia attraheret ad sese, et suo ex
emplo per humilitatem subueheret in cœlum, quos ila
le superbiæ princeps per arrogantiam & incredulita
tem præcipitare conabatur in tartara. Nec illi sacrifi
cio peragendo conueniebat Nazareth, sed Hierosoly
ma. Iesus itaq; passus est eijci sese, ne prædicaret indi
gnis, quod idem ut facerent, docuit apostolos suos,
præcipitari se passus non est, qui sponte mori uoluit.
Quid igitur? Non se uertit in auem aut serpentẽ, aut
aliud præstigij genus, ut sic elaberetur, sed innocuus
transijt per medium illorum, qui ad præcipitandum
pertraxerant, palàm declarans nihil in ipsum posse
maliciam hominum, nisi suapte sponte sese præberet
capiendum & occidendum. Atq; hac uindicta contem
tus fuit clementißimus dominus Iesus, reliquisse quos
comperit insanabiles. Alioqui poterat illos solo nutu
in præcipitium impellere, qui ad præcipitandum per
traxerant

traxerant. Sed maluit eos superesse, ut progressu temporis resipiscentes, ex nocentibus fiãt innocentes, quàm perdere nocentes. Nonnunquam enim subtracta beneficij copia prouocat desiderium eius qui paratus est benefacere. Hoc certe miraculo prouocari poterant uel ad suspiciendum illius potentiam, aduersus cuius uirtutẽ nihil potuit insanæ multitudinis cõspiratio, uel ad amandũ eius bonitatem, qui extremamolitos seruare maluit ad pœnitẽtiam, quàm perdere ad pœnam. Itaq; relicta superba Nazareth, & aduersus sermonem Euangelicum rebelli, Iesus descendit proficiscens ad ciuitatem Galilææ Capernaũ, opulentam et ideo perditam luxu, uoluptatibus, ambitione, superbia, cæterisq; uitijs, quæ comitari solent opulentiam. Sed aberat hic familiaritas carnis, contemptum gignere solita. Et hic igitur iuxta morem suũ, sabbatis ueniebat in congregationem, ac docebat eos. Non enim tantum apud illum potuit Nazarenorum parricidialis impietas, ut offensus atroci facinore relinqueret Iudæorum regionem, & protinus Euangelij munus ad gentes transferret, sed re præstitit, quod post docuit suos discipulos: nimirum ut electi ex una ciuitate profugerent in aliam, non cogitantes de uindicta, sed de Euangelio propagando, ut eijcientiũ malicia proficeret etiam ad celeritatẽ diuulgandæ professionis Euangelicæ. Capernaitas autem, tametsi rebus mundi deditos, nec ita multũ abhorrentes à gentium

tium moribus ob commerciorum mixturam, candidiores expertus est quàm suos Nazarenos, quibus ob notam ac perspectam perpetuam uitæ integritatem debebat esse charior. Siquidem Capernaitæ uehementer admirabantur doctrinam Iesu, propterea quod nõ esset diluta fucataq;, qualis erat phariſæorũ, de lotionibus, decimationibus mentæ & rutæ, de donarijs conijciendis in corbonam, deq; rebus similibus, quæ superstitionem habebant uerius, quàm pietatem, quæq; simplicibus imponebantur ad gloriam aut quæstum phariſæorum, quum ipsi interim qui talia docerent, nec ea seruarent, quæ sunt in legis præceptis præcipua: sed erat solida & autoritatis plena. Primũ enim ueriſſima erant quæ docebat, & naturæ sensui consentanea. Deinde ad ueram pietatem ac salutem æternam faciebant. Adhæc doctrinam eius uitæ singularis integritas commendabat. Accedebat his omnibus miraculorũ insolita uirtus, quæ declarabat à deo proficiſci, quod docebat, nõ ab humano spiritu. Nõ enim ad quæstum aut inanem ostentationem dominus Iesus ædebat miracula, sed primum his, calamitosorũ hominum necessitatem subleuabat, ut beneficio sibi conciliaret beneuolentiam: deinde in hoc ad tempus corporalibus oculis exhibebantur, ut per hæc discerent ea credere, quæ quum uideri non possent, magis tamen erant expetenda. Postremo figuram & imaginem habebant eorum quæ gerebantur in animis illorum

rum. Sabbatũ erat & populus magna religione quie
scebat ab operibus interdictis, quæ tamen per se mala
non sunt, quod genus est: facere iter, aut incendere
ignem, aut molere triticum, aut exprimere uinũ, aut
reconcinnare dissutam tunicam. Foris igitur sabbatũ
erat, sed intus in animis magni tumultus erant, quos
illic Satanæ spiritus excitabat, uarijs motibus exagi
tans illorum mentes: auaritiæ, superbiæ, iræ, uindictæ,
Et in syna/goga erat homo. inuidiæ. Nam ibi demum uerum est sabbatum, ubi spi
ritus domini tranquillat animum ab omnibus prauis
cupiditatibus. Adest igitur huius rei figura quædam,
in synagoga, homo quidam cuius corpus impuro dæ
monio erat obnoxiũ, tacite submonens, quanto essent
infeliciores, quorũ animi tetrioribus etiã malis essent
obnoxij. Quis enim impurior aut nocentior dæmon,
quàm libido, q̃ ira, quàm ambitio, quàm pecuniæ cu
piditas, quàm liuor, quàm hypocrisis? Huiusmodi dæ
monibus maxima ex parte erant obnoxij Iudæi, qui
uersabantur in synagoga, quæ nondũ acceperat spiri
tũ Christi, sed à tot dæmonijs agitabãtur, quot seruie
bat uitijs. Nec capaces esse poterant mansuetissimæ
spiritus Euangelici, nisi prius dominus Iesus expulis
set ab eis spiritum Satanæ malũ, ac uindicem. Dæmo
niacus igitur ille non ferens nouã uirtutem Iesu, quæ
se tacite quoq; proferebat, uociferari cœpit ingenti
clamore: Eia, quid tibi nobiscũ rei est Iesu Nazare
ne? Veniisti perditurus nos ante tempus? Scimus quæ

supplicia

supplicia nos maneant in extremo die. Sed nunc tua
præsentia nos ante diem torquet & cruciat. Non pre
camur salutem, nec deprecamur pœnam, sed dilatio=
nem flagitamus. Tale nihil sensimus unquam ex alio
rum prophetarũ præsentia. Proinde nõ nos latet, qui
sis. Tu es enim ille unicus sanctus dei, debellaturus o
mnem impietatem, & propulsaturus omnem impuri
tatem. Habet lex suam sanctimoniã, habet suam mun
diciam, sed tu es unicus ille, quem deus cœlesti sancti
monia sanctificauit. Non tulit dominus Iesus prædica
ri ab impio spiritu, qui totam hanc gloriam uoluit in
unum patrem referri, nõ ignarus, dæmonis professio
nem non ex syncera fide, sed ex malicioſa uoluntate
proficisci. Profitetur enim ut eliciat confessionẽ, non
aliud agẽs per os hominis, quàm quod prius satanas
tentator egerat per seipsum. Profitetur subdole, non
ut ipse salutem assequatur, sed ut aliorum salutẽ im
pediat. Nec amor uocem expressit, sed supplicij me
tus. Eoq; ueluti malum ac deploratæ mentis mancipi
um audire meretur: Obmutesce impure spiritus, &
exi ab homine, quem per tyrannidem possides. Homi
nibus seruandis ueni. Ad hanc imperiosam & omni=
potentẽ Iesu uocem spiritus impius, posteaq̃ proiecis
set hominem in terram, & conturbasset, exijt ab eo,
sic ut in homine liberato nulla læsio remaneret. Quod
proiecit, argumentũ erat peruersæ uoluntatis, indiciũ
erat, quod admodum inuitus relinqueret possessionẽ

i suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuam. Quod illæſum reliquit, arguit, impios ſpiritus nemini nocere poſſe, qui ſe totos tradiderint ſeruatori. Plus enim ualet unius Ieſu bonitas ad ſalutẽ, quàm innumerabiliũ dæmonum malicia ad perniciem. Solent autẽ hi, qui conantur hominum corpora à ſpiritibus noxijs liberare, nihil non adhibere remedij, quo malum depellant, preces certis uerbis conceptas, ſuffitus, aſperſiones, herbas efficaces, aliásq; magicis non diſſimiles ceremonias. Et his tamen omnibus raro fieri, ut exigatur ſpiritus. Quod ſi quando diſcedit, relinquit ſuæ maliciæ ueſtigia, uel amputato membro, uel relicto morbo immedicabili. Cæterum ubi uidiſſet populus, ad ſimplicem, & auſteram Ieſu iuſſionem, ſic repẽte ſpiritum egreſſum ab homine, ut perfecta ſanitas nullum haberet ueſtigium priſtini mali: ſtupor quidam & admiratio cepit omnes qui uiderant hoc factum, atq; inter ſeſe miſcebant huiuſmodi ſermones de Ieſu: Quid eſt hoc nouæ rei, quod uidemus antehac nec lectum, nec auditum? Imperat enim ſolo uerbo ſpiritibus immundis, & adeſt illius iuſſis tanta uis & autoritas, ut mox uelut agnoſcentes potentiorem ſe, relinquant hominem, ſic ut poſt abitum illorum redeat plena ſanitas? Huius itaq; tam ſtupendi miraculi ſpectaculum effecit, ut Ieſu fama non ſolum in ciuitate Capernaum, uerumetiam per uniuerſam illam regionem diuulgaret hoc factum in ſynagoga Iudæorũ, quæ carens ſpiritu Chriſti, tumultuabatur

batur ſpiritu ſatanæ aduerſus Euangelicam ueritatem, cuius inſtinctu Nazareni moliti ſunt exitium ſeruatori. Reliquit igitur ſynagogam, & ingreſſus eſt domum Simonis, cui nomen additum Petro, cuius ſocrus tenebatur febri uehementi. Affines autem & cognati rogauerunt Ieſum, ut qui non rogatus expulerat à uiro dæmonium, daret hoc amicorũ precibus, ut affinem diſcipuli, quem inter primos habebat, leuaret febri. Ieſus autem ut oſtenderet ſeſe & priuatim & publice, erga notos & ignotos, erga omnẽ ætatẽ, ſexum, conditionem eſſe beneficum, aſtans atq; immines mulieri, interminatus eſt febri, ut abiret. Simulq; ad domini iuſſum aufugit morbus, non paulatim recedente corporis uigore, quemadmodum accidere ſolet in his qui medicorum ope ſubleuantur, ſed repente depulſo morbo, ſuccreſſit uigor omnis, & alacritas, ſic ut ſurgens è lecto, pararet cœnam Ieſu & diſcipulis eius, ac diſcumbentibus miniſtraret. Tanta autem erat promptitudo domini ad beneficiẽdum omnibus, ut nec temporis importunitatem excuſaret ijs, qui ſimplici fiducia flagitarent illius opem. Etenim re diuulgata per uniuerſam ciuitatem, quotquot habebant domi ægrotos, uarijs morbis obnoxios, adducebant illos ad fores ædium in quibus uerſabatur Ieſus. At ille clementiſſimus, nec excuſauit priuatum, cui debebatur, ocium, neq; noctem intempeſtiuam rebus gerendis, ſed omnibus oblatis manus ſalutiferas impoſuit, ac mor-

Surgẽs aũt Ieſus de ſynagoga.

Cum ſol aũt occidiſſet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac morborum omne genus nullo negocio gratisq; depulit ab omnibus, hac rerum imagine docens omnes, qui uellent esse liberi à morbis animorum, non aliò cõfugiendum, quàm ad ipsum Iesum, qui paratus est omnibus gratis cõdonare quicquid admißum est, qui per synceram fiduciam cõuertuntur ad ipsum, unicũ ueræ salutis autorem. Nullum est enim morbi genus tam immedicabile, tam tenax, tam letale, quod ad illius contactum ac iussum non aufugeret. Atq; interim exemplum paratur episcopis ac pastoribus in Christi locum succedentibus, quanta cum mansuetudine recipere debeant peccatores, à uitijs suis resipiscere cupientes. Etenim si dominus Iesus, in quo ne uestigium quidem ullum fuit morbi aut uitij, nulla morborum fœditate alienatus est, quin reciperet, quin contingeret, ac sanaret: quanto magis decet idem facere eos, quos ante Iesu benignitas purgauit à morbis animi, nec interim tamen omni culpa uacantes, præsertim quum ipsi non auferant morbos, sed ministri tantum sint doni cœlestis, adhortantes eos ut expetant sanitatem, & ad medicũ potentem eos adducentes, nec non misericordiam illius precibus solicitantes, ut mentes illorum suis manibus dignetur contingere. Nec morbi solum ad iussum uocis, & contactum manuum fugiebant, uerumetiam dæmonia, non ferentia diuinam uirtutem Iesu, ultro fugiebant è corporibus infeliciũ, quos diu possederant. Adeo magna felicitatis pars est appro-

Ducebant illos ad eum.

Exibãt aũt dæmonia.

est appropinquare Christo. Appropinquat autem, qui sibi displicens cupit fieri melior, quiq; certam fiduciam concepit, per ineffabilem Iesu clementiam peccata omnia, quamlibet enormia, condonari. Sunt autem in corporibus uariæ morborum species: sed nec pauciores sunt, & sunt perniciosiores, animorũ, nisi forte pauciora sunt intemperantiæ genera, quàm febrium, aut periculosius est corpus æstuare febri, quàm animum insanire libidine. Sunt autẽ in corporũ morbis quidam adeo fœdi, ut nec amici proximi sustineant adesse, qualis est morbus pedicularis: quidã adeo contagiosi, ut non sit tutum adesse, quales sunt præcipue lepra & quam uocant pestilentiam: quanquam uix ullus est morbus, nõ aliqua ex parte contagiosus. Rursus sunt quidam adeo uel uehementes, uel familiares, ut opem & artem medicorum superent. Sed maior est nostri medici uis, quàm ut ullius morbi magnitudine sit inferior: maior est puritas, quàm ut ullis hominũ malis possit inquinari: maior est misericordia, quàm ut ullam fœditatẽ auersetur. Admittit omnes optimus, cõtingit omnes ipse purißimus, sanat omnes potẽtißimus. In nullos aũt corporum morbos medici minus habent iuris, q̃ in eos qui uitiant animi domicilium: quod genus sunt phreneses & lethargus, quanq̃ & his immedicabiliores sũt dæmoniaci, quorum & animos & corpora spiritus impij, sed humana natura potentiores, pro sua libidine agitant. Nec

enim mos est hos ad homines medicos adducere, sed auxilio cœlesti relinquere. Tanta enim est huius mali uis, ut hos spectare etiã miserabile sit. At nõ uidẽtur fortassis æque miserabiles, sed longe miseriores etiã sunt, qui cupiditate regnandi ad ueneficia, ad parricidia, ad sacrilegia, & his atrociora facinora pertrahuntur: quos ira ad prædationes innocentium, ad cædes immerentium, ad bella, ad incendia, ad publicum orbis tumultũ transuersos rapit. Quantulũ enim est mali, quod uel facit uel patitur ille corpore dæmoniacus, si conferas, quantis intemperijs agatur, quantã perniciem afferat rebus mortalibus prinœps tyrãnico spiritu uesanus? Superat humanas uires huius mali uis, sed fortior est Christi spiritus, quem si semel cõceperit animus hominis, necesse est ut effugiat, quicquid est impurorum spirituum. Hoc ubi factum erit, subito fiet è tyranno pater, è crudeli clementissimus: ex expilatore populi, subleuator oppressorũ: è furioso bellatore sectator pacis: è prædone beneficus: è glorioso Thrasone sobrius ac prudens princeps. Tantum adducatur ad Iesum, & abducatur è mundo. Siquidẽ id temporis sub solis occasum nõ pauci uenerant ad ædes Simonis, hoc est, ad ecclesiam Euangelicam, & uirtute spiritus Christi exibant spiritus impij, profitẽtes adesse, cuius bonitas potentior esset ipsorum malicia. Clamabant enim exeuntes: Tu es ille filius dei. Nondum autem uenerat tempus, quo dominus palàm omnibus

omnibus esse uoluit, se esse Messiam illum filium dei: & si uoluisset, noluit impuros spiritus suæ gloriæ præcones: uel quia non simplex, sed subdola erat illorum professio: uel quia periculũ erat, ne si pondus habere cœpisset illorũ testimoniũ in re tanta, in cæteris quoq; fidẽ inuenirent, in quibus mendacio fallere gauderent. Etenim quum satanas natura sit mendax, etiã si quando uerum prædicat, non in aliud tamen hoc agit, nisi ut fallat. Nimirum hanc artem ab illo didicerunt quidam, qui pia impijs, qui uera falsis admiscent, ueluti salubribus cibis uenenum letiferum addentes, quo plures in perniciem pelliciant. Iesus igitur nos docens, quàm non oporteat eos, qui se semel sancto spiritui consecrarunt, quicquam habere commercij cum impijs spiritibus: compescuit illorum clamores, ac minis additis imposuit silentium. Sentiebant enim admirabilem uirtutem ab eo proficisci, & hinc suspicabantur eum esse Messiam illum promissum filium dei. Iesus autem, qui non in hoc uenerat, ut corporibus mederetur, sed animis, nec uni ciuitati uenerat, sed cunctis totius mundi regionibus, quum in Capernaum miraculis æditis, doctrinaq; salutari fecisset bonam sementem Euangelicæ philosophiæ, diluculo, prius quàm rursum cõflueret multitudo, magis admirans & expetens sanitatem corporum quàm salutem animarum, relicta Capernaum secessit in desertum, ueluti fugitans popularem turbam. Nos interim

Et increpãs non sinebat ea loqui.

docens, non ad ostentationem, nec ad plebis arbitriũ esse proferenda miracula, sed quatenus conducit ad salutem hominum ac dei gloriam, semper autem fugiendam inanis gloriæ suspicionem. Quod enim sanarat omnes, exemplum erat paratæ in omnes benignitatis. Quod se clanculum subduxit, exemplũ erat modestiæ, laudem, & ostentationem sui fugitantis. Porrò quum iam dies esset, cõfluxerat denuo magnauis promiscuæ multitudinis, ob pridie gestorum magnitudinem. Cæterum ubi cognouissent iam abesse Iesum, multi consequuti sunt illum. Ac repertum conati sunt remorari, ne relinqueret ipsorum ciuitatem, sed illic sedem sibi perpetuam deligeret. Erat ille quidem affectus non impius, sed beatiores sunt qui dominum Iesum nõ sinunt à sui pectoris domicilio decedere, qui parantem abire precibus reuocant. Verum id temporis postulabat carnis aßumptæ dispensatio, ut subinde locũ mutans, latius ac latius propagaret nouam adhuc ac recentem Euangelicam doctrinam. Seminator enim missus erat in mundum, ut late sparger et semen sermonis euangelici, nõ apud omnes æque feliciter prouenturum. Reuocantibus itaq; placide respondit hunc in modũ. Quod gratis in uos collatum est beneficij, boni cõsulite. Nõ aspernor uestrum hospitium, sed oportet ut & alijs ciuitatibus annunciẽ regnum dei. Siquidem in hoc me misit pater, non ut uni ciuitati prædicem, sed ut omnes inuitem ad so-

Quia & alijs ciuitatibus oportet m.c.

cietatem

cietatem regni cœlestis. Quod tum fecit Iesus, docuit discipulos suos, ut peragrãtes orbem terrarum docerent omnes gentes. Non erat ille morbus instabilitatis, sed pluribus benefaciendi studium. Sic uagari nõ humanæ leuitatis est, sed apostolicæ charitatis. Cæterum ubi iam satis est Euangelicæ doctrinæ, uigilans pastor non desinit tamen obambulare, solicitus pro grege sibi concredito, ut quod aberrarat reuocet, & quod morbidum est sanet: quod lupis obnoxium eripiat, quod sauciũ curet: quod tenerũ & imbecille, foueat. Nec enim ideo adhibetur pastor, ut uni aut alteri familiæ succurrat, sed ut omnibus uigilet. Hac excusatione placatis Capernaitis, Iesus perambulabat uicos & ciuitates Galilææ, prædicans iuxta morem suum in synagogis eorum. Identidem miraculis ædendis fidem doctrinæ suæ concilians apud Iudæos, qui sine miraculis nihil credere poterant.

CAPVT QVINTVM.

QVVM autem indies latius inclarescceret apud omnes fama Iesu, tantus erat hominum affluxus, ut iam non satis esset illum sui copiam facere in synagogis, in uicis, in oppidis, uerum etiam quocunq; se subduceret dominus, eò simul accurreret promiscua multitudo uirorum ac mulierum. Plerosq; pellexerat amor sanitatis, nonnullos inuitabat miraculorum nouitas, permultos cœlestis doctrinæ uis attrahebat. Non eos deterrebat deserta uastitas, nõ mon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium laboriosus ascensus, non arcebat eos pudor irrũ
pendi priuatam domum, si forte se domi occultasset.
Deniq; uentum est ad stagnum, nec nauigare paran/
tem poterant relinquere. Confluebant, irruebant, ir/
rumpebant, hærebant, urgebant. Hic uero mihi Theo
phile fac oculos mentis aperias, quo perspicias in nar
ratione rei, iuxta carnem gestæ, nascentis, & exube/
rantis ecclesiæ imaginem. Iesus stabat in littore uici/
nus lacui Genezareth, quem Hebræi nõnunquam ap
pellant mare, quod magno spacio porrigatur in lon/
gum, & in latũ, & ex sese gignens auram, crebris un
darum motibus agitetur. Videbatur abnauigaturus.
Sed improba turba confluens urgebat, & immine/
bat illi, cupiens ex eo audire sermonem diuinũ. Nam
sermonem pharisaicũ iam plerique fastidiebant, quod
præter hominem nihil resiperet. Non offendit hæc im
probitas mitissimum dominum, sed ueluti compul/
sus & constrictus, hinc urgente turba populi, hinc la
cu proximo, uidensq; locum esse parum commodum
Euangelico concionatori, quod neq; turba, sese uicis=
sim impellens, facile consistere possit in loco decliui,
& uox ex imo missa ad pauciores fertur: tum autem
decet Euangelicum doctorem quietũ esse, ac tutum à
promiscuæ multitudinis tumultibus: subducit sese in
locum quietiorem. Commodũ autem stabant eodem
in littore duo scalmi piscatorij. Piscatores autem ipsi
egressi nauim, lauabant retia sua, ueluti parantes in
proximã

proximam piscationem. Hos ubi uidit Iesus, in alte=
rum illorũ ingressus: is porrò erat Simonis Petri: ro
gauit illum, ut scalmũ paululum deflecteret à terra.
Quod ubi factum esset, submotus hoc pacto à com/
pressione multitudinis, cõsidens, de naui, ueluti de ca
thedra docebat populum in littore stantem. Vocaue/
rat dominus piscatores ad munus Euangelicæ prædi/
cationis, Iamq; hoc ipsum, quod de scalmo agebat Ie/
sus, erat piscari homines. Lacus erat mũdus uarijs re
rum motibus sursum ac deorsum fluctuans. Nauis Si
monis erat ecclesia, primũ à Iudæis collecta, cui præfi
ciendus erat Simon Petrus. Simon autem obedientẽ
sonat. Iudæi siquidẽ prodigia requirebãt, & in ope/
ribus legalibus fiduciam ac spem salutis collocabant.
Contrà philosophi rationibus humanis de summo bo
no, quo felicitatem hominis metiuntur disputabant,
quũ Euangelica doctrina per fidem promittat omni/
bus salutem. Fides autẽ obedientia est. Obedit enim,
qui iussus credere credit, nihil hæsitãs, nihil disputãs:
qui iussus sperare, sperat, totus pendẽs ab eius nutu,
cuius fidei se semel dedidit. Habes ecclesiæ rudimen=
tum, nunc audi prouentum ex Euangelica piscatione
consequuturum. Peracta concione Euangelica, domi
nus loquutus est Simoni, nauiculæ moderatori: Abdu
cito nauigium longius à terra, & in profundum pro
uehe, atq; ibi laxate retia uestra ad piscandum. Hic
Simon suo respondens uocabulo, respondet hunc in
modum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum: Præceptor tota nocte laboratum est à nobis in piscando, neq; quicquam cepimus: itaq; diffisi, laxauimus, & composuimus rete. Tamen ad tuum iußum laxabo rete. Meum erit obsequium, tuus euentus. Obtemperatum est dictis domini Iesu, nauis abducta est in profundũ lacus, late sparsum est rete, cui mox inuoluta est tanta piscium multitudo, ut rete discipulorum, impar ponderi piscium, rumperetur, nec una nauis sufficeret prædæ capiẽdæ. Erant in altera naui socij Simonis: his procul, non uoce sed signis indicarunt, ut adnauigarent, & opitularentur in exonerando rete. Venerunt, adiuuerunt, tantaq; uis piscium reperta est, ut ambæ nauiculæ implerentur unius retis prouentu: adeo ut parum abesset, quin onere depressæ periclitarẽtur. Habes in Simone formam & imaginem doctoris Euangelici. Huius propriũ ac peculiare munus est, laxare rete prædicationis Euãgelicæ, non è phariſæorum laqueis, non è philosophorum argutijs, sed è sacrorum uoluminum præceptis, è Christi factis dictisq; sic cõtextũ, ut quàm plurimos inuoluat, nec inuolutos sinat elabi. Habet & mundus hic sua retia: habet & Satanas piscatores suos, qui miseras animas blandimentis illectas in nassam infelicitatis conijciant, atq; in æternum pertrahant exitiũ. Sed felices, quas inuolutas sagena apostolica de profundo criminum & errorum pertrahit ad auram liberiorem: è tenebris ad lucem, è sordido limo ad uitam puriorẽ

riorem: è uagis cupiditatibus ad innocẽtiæ perpetuæ constans studium. Neq; enim pertrahuntur ad cædẽ, sed ad salutem. Sic inuoluuntur, ut elabi nolint, & si elabãtur, pereant. Cinguntur undiq; ueritatis Euangelicæ nexibus, agnoscunt suam calamitatem, & gaudent se pertrahi ad nauim ecclesiæ. Quoniam autem sagena prædicationis interim trahit & inuoluit undecunq; pisces uarij generis, fieri nõ potest, quin bonis admixti sint mali. Malorum itaq; culpa rumpitur rete, sed nõ ideo elabuntur boni pisces. Hæretici scindere conantur doctrinam Euangelicam, sed Christus suos undiq; sepiens, illorum impios conatus uertit in profectum partis synceræ. Quidam onerant ac perturbant nauim suis tumultibus, graues huius mundi cupiditatibus, & cupiẽtes reuerti ad limũ relictum, sed non mergitur, quam Christus semel intuitu suo dignatus est. Quanquam autem non est nisi unica per orbem terrarum ecclesia, tamẽ ideo typus habet duas naues, ut intelligeremus ecclesiam Christi è duobus populis collectam. A Iudæis profectum est salutis initium: illic Petrus post Christum omnium primus rete iecit apostolicæ prædicationis, & uno iactu attraxit hominum promiscuæ multitudinis tria milia, uidelicet agens piscatorem hominum. Non erat huius oratio rhetorum arte contexta, non philosophicarum argutiarum subtilitatibus perplexa, sed uirtute spiritus sancti potens, & efficax. Non enim laxauerat rete,

cõfisus

confisus humanis uiribus, sed tantum ad iussum Christi, cuius spiritu tum agebatur. Alioqui frustra soluitur, nisi Christus iactum hominis bene fortunet. Sed quemadmodum ex Iudæis fuit huius prouentus initium, ita ex gentibus accessit ubertas, adeo ut qui primi laxauerant retia, coacti sint implorare sociorum auxilium. Post enim irrumpentibus undiq; gentibus in Euangelicæ salutis consortium: Petrus & Iacobus dederunt dextras Paulo & Barnabæ, symbolum Euangelicæ societatis, & utriq; pro suo studio conati sunt implere naues ambas, & successit res usq; ad miraculum. Simon igitur ubi uidisset rem non agi uiribus humanis, aut casu, sed uirtute diuina Iesu, rursus facto suo docuit, quid faciendũ sit apostolico doctori, si quando feliciter suæcdit opera prædicationis. Quanquam enim nauis esset ipsius, quanquam suum rete iecerat, quanquam princeps attraxerat, nihil tamen hinc laudis sibi uindicat, sed ex magnitudine successus factus est etiam modestior, accidit ad genua Iesu, eiq; totã huius facti gloriam trãscribit, se nihil aliud quàm peccatorem confitetur, indignum, qui diuinæ uirtutis minister sit, & organum. Domine, inquit, nunc demum agnosco meam indignitatem, quum tuam consídero celsitudinem. Discede à me. Sum enim indignus tuo consortio. Hanc Petri uocem expressit, non aliqua cupiditas discedendi à domini contubernio, quem unice diligebat, sed admiratio quædam uehemens

Quod cũ uideret Symõ Petrus.

hemens uirtutis humanæ maioris. Nec aliter erant affecti socij Simonis, quàm Simon ipse. Cunctorũ enim animos occuparat incredibilis quædã huius facti admiratio. Sed nullus horum binc quicquam sibi uindicat. Agnoscebant enim operam quidem esse suam, sed prouentum fuisse eius qui iusserat. Quis autem non obstupesceret, considerans prædicatione paucorum, humilium & idiotarum hominum ex uniuersis orbis nationibus, intra paucos annos tot hominũ milibus fuisse persuasum, ut cõtemptis affectibus cognatorum, contempto dispendio rei familiaris, contemptis minis principum, contemptis supplicijs, ac morte deniq; ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, credentes ea, quæ rationibus humanis probari nõ possint, sperantes ea, quæ iuxta naturæ uires planè desperanda sint? Oportet igitur episcopum promptũ, & alacrem esse ad laxandum retc, ut studeat quàm plurimos lucrifacere Christo: laxabit autem, non ad suam gloriam, non ad quæstum, non ad principum arbitrium, non ad aliquam humanam cupiditatem, sed ad arbitrium ac iussum Christi, qui non iubet laxari rete, nisi ad salutem eorum qui captantur, & ad gloriam bonitatis diuinæ. Hæc enim demum est apostolica piscatio. Ea tametsi peragitur humanæ uocis & industriæ ministerio, tamen summa laudis totius uni Christo tribuenda est, cuius auspicijs soluitur ad dicendum lingua: cuius spiritus afflat dicentis pectus,

cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuius occulta uis attrahit animos auditorũ. Et si quid etiam hinc sibi suo iure posit sumere doctor, tamen tutius est totum ad illum referre, sine cuius auxilio nihil humano conatui succedit ad salutem. Non nouit auferre quod dedit: non nouit exprobrare, quod largitus est. Tanto magis uolet esse tuum, si quod aliquo modo tuum uideri poterat, illius esse uolueris. Sinet utilitatem esse tuam, gloriam autem non patietur nisi soli deo tribui. Et si gloriari libet, tutius in illo gloriabimur. Quum autem admiratio facti sic haberet attonitos omnes, qui cum Petro fuerant in captura piscium, inter quos erant Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, socij Simonis, & præ admiratione diuinæ uirtutis non auderent sese adiungere Iesu, consolatus est eos dominus, dicẽs Petro, in quo solitus est proponere formam, quam uolebat cæterorum omnium animis imprimi: Non est quod formides Simon. Agnoscis tuam imbecillitatem, & expertus es uirtutem diuinam. Hæc amanda est, non formidanda. Quod enim potest non expromit ad opprimendam imbecillitatẽ peccatorum, sed ad erigendam, tantũ ut iußis meis obtemperes: nec expendas, quid tuæ poßint uires, sed quid ego uelim fieri. Nihil non succedet, si mihi fidas. Admiraris quod ita successerit res in captura piscium. Leue quidem hoc est, mirabilius succedet, ubi piscari cœperis homines. Ad hoc piscandi genus te delegi cũ tuis socijs. In præsentia satis istius piscatiõis. Posthac

Similiter autem Iacobũ & Ioannẽ.

dabis

dabis operam: non ut nauim impleas piscibus, sed ut ecclesiam meam impleas Euangelicæ doctrinæ professoribus. Quod dominus loquutus est Petro, id oẽs intellexerunt & sibi dictum esse. Mox itaque subductis in terram nauibus, atq; inibi relictis omnibus, sequuti sunt Iesum, uacui solicitudine rerum corporalium, ac totis animis in hoc intenti, ut fierent piscatores hominum. Ad hoc præclarum munus erant formandi præceptis, erant mysticis exemplis instituendi. Vt igitur ostenderet nullum esse uitium tam fœdum, tam capitale, quod non ilico condonetur agnoscenti morbũ suũ, & per fidem Euangelicã implorãti remedium à cœlesti medico Iesu, factum est, ut in ciuitate quadam esset uir quidam non leuiter infectus lepræ uitio, sed toto corpore fœdissima scabie plenus. Hoc hominum genus sic erat abominabile apud Iudæos, ut procul submouerentur ab hominum consortio, ac lex uetaret cõtingi, ob cõtagionis præsens periculum. Sed fœdior ac detestabilior est animi lepra, q̃ corporis. Porrò Iudæi, quum ipsi uitijs intercutibus maderent, tamen ethnicos, publicanos, ac notos peccatores sic execrabantur, ut si quando cõtigisset cũ his colloqui, perinde quasi cõtracto cõtagio, domũ reuersi, totũ corpus abluerent. Ab hac arroganti Iudæorũ mundicie, Christus uoluit suos quàm longissime abesse. Profuit igitur misero, uidisse Iesum. Agnouit immundiciam suam, seq; iudicauit indignum, qui fœdis

Et factũ est quũ esset in una ciuitate.

Videẽs Iesũ.

k maculis

Universidad de Deusto
Biblioteca

maculis abominandam faciem attolleret in dominum, sed sui pudens prostrauit sese in faciem, ac uocē emisit modestiæ simul ac fiduciæ plenam. Quod faciem texit, erat agnoscentis suum malum: quod rogat mundari, cōfidentis de omnipotenti & cunctis obuia Iesu Christi bonitate. Domine, inquit, scio malum meū esse immedicabile, & fortasse non sum dignus tuo beneficio, sed tamen illud habeo mihi persuasum, posse te mū dare me, si uelis. Habes meam de tua potentia fiduciam, superest ut tua bonitas iudicet, utrum hunc calamitosum ac deploratum hominem dignari uelit sua misericordia. Non potuit esse plenior erga dominum fiducia, quàm agnita potestate, beneficij conferendi arbitrium illi deferre, qui nouit aliquotics expedire nobis ut malis corporis affligamur, & inutilem esse rerum temporaliū sucæssum. Iesus autem delectatus hominis miserandi, tam absoluta fiducia, non solum non submouet illum ab oculis suis, sed prostratum erigit, & porrecta manu contingit faciem eius, dicens: Si requiris bonitatem meam, uolo: & quia profiteris potestatem, mundus esto: simulq; cum dicto discessit à toto corpore lepra, qua fuerat oppletus. Discunt interea discipuli, quàm non oporteat abominari quemuam hominē, quamlibet enormibus ac detestandis peccatis obnoxium, modo morbum suum agnoscens, cum fiducia medelā expetat à bonitate Christi. Etenim si dominus, qui solus erat purus ab omni lepra uitiorum, contactu

Si uis potes.

suo

suo dignatur hominem, cunctis abominabilem, quanto minus conuenit ut discipuli, quos à peccatis emundauit domini bonitas, qui nec omnino sunt immunes à culpis, & labi possunt in omne flagitium, aspernentur curam impendere sanandis aliorum morbis. Huiusmodi contactus non inquinat contingentem, sed cōtactum purgat. Purus ilico fit, qui contingitur: nec impurior fit, qui contingit, si modo per apostolicam manum dignetur contingere Iesus. Quoniam autem lepræ iudicium lex deferebat: non quibuslibet, sed duntaxat sacerdotibus, dominus noluit hoc miraculum populari rumore tantum diuulgari, sed quo certior esset fides, interdixit sanato, ne protinus euulgaret acceptum beneficium, sed primum adiret iuxta legis præscriptum sacerdotem, cuius iudicio damnatus esset de lepra, & ab hominum consortio semotus, quod si is, inquit, inspecto corpore, iudicarit te esse uere mundum, offer quod Mosaica lex præscripsit offerendum his, quibus contigit à lepra liberari. Ita pariter fiet, ut nec queri possint sacerdotes sibi per me decrescere quæstum suum, nec uiolatam esse legem, aut contemptā, quam ut absoluerem ueni, non ut abolerem: nec calumniari beneficium meum, ut aut negent te fuisse leprosum, aut iudicent te non fuisse sanatum. Etenim ilico res ipsa respondebit illis, si leprosus non erat, quur uos qui iudicandi peritiam uobis sumitis, cum leprosum pronunciastis, ac submouistis

Et ipse præcepit illis, ut neminu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab hominũ conuictu? Sin autem mundus nõ est, quur uelut à mundato sumpsistis oblationem lege præscriptam? Hæc ideo tam accurate mandauit dominus Iesus, ut omnibus perspicuum esset, uenisse lege maiorem, qui citra legis opem solo contactu, sola uoce, solo nutu, pro suo arbitratu conferre posset perfectam mũdiciem, & ita tolleret omniũ immundiciam, qui se per fidem sanandos offerrent, ut ipse nullius inquinaretur contagio: quiq; gratis succurreret omnibus, quũ sacerdotes ne pronunciarent quidem gratis, de reddita corporis puritate. Siquidem Mosaici sacerdotes nec immittebant lepram, nec auferebant: sed de lepra nata, aut sublata iudicabant duntaxat. Solus autem Iesus omne morborum genus tollit ab omnibus, nullum aliud exigens sacrificiũ, quàm simplicem ac puram erga se fiduciam, ut agnoscamus in eo diuinam uirtutem, qua potest quicquid uult, adoremus in eo bonitatem ineffabilem, ac misericordiam, qua gratis cupit omnes peccatores saluos fieri, de suo dependẽs, quod pro illorum peccatis expiandis erat immolandũ. Porrò quod dominus Iesus interdixit mũdato, ne cui prædicaret quid accidisset, quum sciret non esse taciturũ, suis discipulis parauit exemplum, ne quam ex beneffactis suis auram gloriæ uenentur apud homines. Nec enim nostra sunt, quæ deus per nos operatur, nec proillis ullam laudem ueluti præmium conueniet expetere, sed tacite proximo cui contigit beneficium gratulabimur,

labimur, ad deum gloriam omnem referemus: adeo nobis inde nihil uindicantes, ut quod ad nos ipsos attinet, cupiamus etiam ignotum esse cunctis, quod diuinum beneficium nostro ministerio contigerit proximo. Ne is quidem qui beneficium expertus est, debet huius laudem ad eum referre, per quem accepit, sed autori deo gratias agere, qui per suos famulos tanta largiri dignatur hominibus. Felicius autem sequitur gloria fugientem, & speciosior contingit non affectata. Etenim ea demum uera gloria est, quam inuito ac fugitanti, uirtus ipsa cõciliat, & quam non defert popularis assentatio, nec exigit ambitio: sed quam ipse non agnoscit, qui promeruit, & ultro defert adulandi nescia syncerítas. Ex huiusmodi mirabilibus factis indies magis ac magis inclarescebat domini Iesu fama, dũ alij quod uiderãt, & audierant, narrant alijs: & rursus hi quod acceperant à narrantibus alijs, oratione tradunt per manus. Itaq; confluebant undiq; turbæ multitudinis, indies confertiores, partim ut audirent efficacem illam doctrinam, quæ sanat morbos omnes animarum: partim, ut qui morbis corporum essent obnoxij, uirtute Iesu sanarentur. Crassus enim populus magis illa miratur, quæ uisibilia sunt, quàm quæ non uidebantur. Ingens & homine maius ducebant, leproso cutem puram esse redditam contactu manus, quum longe maius ac diuinius beneficium sit, sermonis Euangelici pharmaco ab animo depulisse fe

Perambulabat autem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

brim fœdæ libidinis, hydropem auaritiæ, dæmonium ambitionis, aliasq; lœtales animorum pestes. Iesus autem nos suo facto docens opera bona, nec ad ostentationem theatricam, nec ad fatictatem esse facienda, subduxit sese in desertum, atq; illic semotus ab hominum frequentia precationibus uacabat, gratias agens deo patri pro beneficijs, quæ per filium suum largiretur hominibus. Siquidem hac uicissitudine fit, ut primum intermissio beneficij excludat satietatem, & excitet appetentiam: deinde qui secessit ab hominibus ad diuinum colloquium, instructior redeat, atq; alacrior ad munus intermissum. Sic autem moderatus est totam uitam suam dominus Iesus, ut frequenter nobis exhibere uolens uiuendi formam, hominem ageret, nonnunquam diuinitatis suæ proferret indicia. Nihil autē magis uegetat Euangelicum doctorem: nihil æque munit & armat aduersus omnem huius uitæ corruptelam, ac frequens à turba secessus, non ad ocium, lusus, aut uoluptates, quales sunt ferè secessus huius mundi diuitum, sed ad lectionem sacrorum uoluminū, sed ad precationem puram, ad gratiarum actionem, ad contemplationem rerum cœlestium, denique ad expurgationē animi: si quid forte labis contractum est ex populari conuictu. His rebus nihil opus erat Christo, sed in se nobis formam uoluit exprimere. Pastoris assiduus cum populo conuictus, plerunq; gignit contemptum: & prodesse non potest, qui se perpetuo subducit ab hominum

num commercio. Prodibit igitur uir Euāgelicus, quoties populus eget ábo sermonis Euangelici, quoties ingraucscentes morbi poscunt medicantis opem. Rursus ubi satis pasti sunt, ubi subuentum est multorum malis, ne familiaritas pariat contemptum, ne copia fastidium, secedat in suum secretum, ut sacratioribus studijs, uelut à diuino colloquio semper seipso maior ac melior redeat ad iuuandos proximos. Sic nimirum dominus Iesus à secessu reuersus Capernaum, se reddidit iritatis iam omnium desiderijs. Ibi quum in domo quadam priuata sedens doceret, (Siquidem ubicunque sedens docet Christus, illic est ecclesia:) confluxerant eodem, non iam plebēi tantum, uerumetiam pharisæi sanctimoniæ specie turgidi, nec non Mosaicæ legis doctores, qui prouocati fama rerum ab Iesu gestarum huc profecti fuerant, non solum ex omnibus oppidis Galilææ, in qua erat Capernaum, & Iudææ uicinæ, uerum etiam ex ipsa ciuitate Hierusalem, quæ sibi religionis totius ac sapientiæ fastigium arrogabat. Totus autem Iesus, quoniam fons erat omnis salutis, nihil aliud spirabat, quàm uim quādam diuinam ad sanandos homines, cuius rei gratia uenerat in terras. Et potior hominis pars, priorem curam sibi uindicabat. Oratione sanabat morbos animorum. Prius itaque docuerat, idq; sedens, iustam doctoris autoritatem merito sibi uindicans. Supererat corporalis morbi depulsio, quæ quoniā erat oculis omniū expo-

Et factū est in una dierum.

Et uirtus domini erat.

sita, fidem astruerent ijs, quæ maiore fructu simul & uirtute, sed non perinde perspicue gerebantur in animis. Et ecce parata uirtutis exercendæ materia. Adest enim paralyticus, lecto affixus, qui à quatuor baiulis deportabatur. Tanta uis erat mali, ut omnibus totius corporis neruis occupatis, miser nihil aliud quàm iacere posset: nec aliter, quàm cadauer circunferretur. Quanquam & alioqui morbi genus ipsum tale est, ut cum eo non magno successu luctari soleant medici. Tanta autem erat baiulorum erga Iesum fiducia, ut non dubitarent, quin Iesus, cui sciebant nullum morbi genus esse immedicabile, conspecta nouæ calamitatis imagine misertus succurreret. Tantum in hoc labor erat, ut miser ueniret sub oculos Iesu. Siquidem ille iam sanitati proximus est, qui relictis latebris peccandi, ut miserabilis semet offert conspectui Iesu, suam agnoscens calamitatem, & illius expectans benignitatem. Quo minus autem inferrent eum ad pedes Iesu, turbæ densitas obstabat, quæ multis obstat alioqui properaturis ad salutem. Verum ea res, quanquã remorarctur ingressum, tamen illustrabat ingens, & baiulorum, & paralytici desiderium simul & fiduciam. Quanquam enim deus natura propensus est ad miserendũ omnibus, tamen differt nõnunquã beneficẽtiam suam, quo magis acuat nostrũ desiderium, docetq; nihil nobis nõ esse tentandũ, ut à morbis animi liberemur. Amat hic improbitatem nostram, qua uelu-

ti com-

ti compellitur ad id, ad quod suapte natura propensissimus est. Itaq; mihi uide, quid ausi sint baiuli, imò quid ab illis extorserit paralyticus. Deferunt sarcinã suam in ipsum tectum, eoq; nudato, ueluti per fenestram funibus demittunt paralyticum, ut erat lecto affixum, in medium multitudinis ante pedes Iesu. Quid impudentius, quàm mouere tegulas alienæ domus, & tam abominabile spectaculum tali theatro ingereret? Hic turba quæ in foribus nolebat locum dare misero, coacta est ex alto delabenti cedere. Quid autem inter hæc mitissimus ille medicus? Non exprobrat impudentiam, & importunitatem: non destomachatur abominando spectaculo interruptum sermonem suum. Nihil rogant baiuli spectantes è tecto, nihil paralyticus cui morbus etiam linguæ usum ademerat. Et hoc magis loquebatur misericordi medico, quia loqui non poterat. Nihil erat opus precibus, miserabile spectaculũ flagitabat misericordiam: & quod fecerant baiuli, satis arguebat quid sperarẽt à domino. Iesus igitur perspecta illorum admirabili fiducia, plus præstitit, quàm expectabant. Summa uotorũ erat, ut paralyticus corporis morbo liberaretur. At Iesus ostendens esse diuinius, ac magis expetendũ liberari morbis animi, uersus ad paralyticum, ait: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Hæc uox quoniam planè diuinam quandam potentiam sonabat, commouit animos scribarum, ac phariſæorum nunquam nõ ad calumniandum procli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uiũ. Siquidem ſacerdotes, qui pro peccatis offerebant uictimas, non ipſi remittebant peccata, ſed tantum precibus intercedebant apud deum, ut cõdonaret illis admiſſa. Ieſus autem abſque holocauſtomatis ſacerdotalibus, abſque precibus, uelut autoritate propria perpetuaq; dicit: Remittuntur tibi peccata, generali nomine ſummam & corpus omnium peccatorum ſemel complectens, quum ſacerdotes, non uniuerſa peccata, ſed certas aliquas culpas uictimis expiandas curarent. Docuerat hoc illos Eſaias, ſolum deum eſſe, qui gratis cõdonaret hominibus peccata. Ita enim loquitur per os ſui prophetæ: Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Sed quum uiderent in eo diuinæ uirtutis indicia, tamen offenſi corporis conſpecti imbecillitate, partim etiam inuidia cæci ſcribæ & phariſæi, malunt calumniari quàm credere. Tacitis enim cogitationibus ſic intra ſeſe loquebantur, & quod eſt phariſaicæ calumniæ proprium, impietati ſummæ prætexunt pietatem, & ſtudium gloriæ diuinæ. Nulla enim pernicioſior impietas. Quis eſt, inquiunt, iſte, qui loquitur blaſphemias, ſibi arrogans, quod proprium eſt dei? Quis enim poteſt remittere peccata, niſi ſolus deus? Porrò dominus Ieſus ut hac quoque parte declararet ſibi diuinæ naturæ conſortium eſſe, ad tacitas illorum cogitationes reſpondet hunc in modum: Quur iſta cogitatis in cordibus ueſtris? Vtrum iudicatis facilius dicere

peccatis

peccatis obnoxio, remittuntur tibi peccata tua, an dicere huic, quem uidetis totum paralyſi reſolutum: ſurge & ambula. Quod ſi uideritis homini deplorato ſubito reſtitui ſanitatem corporis ſimplici uerbo, credite pari facilitate & animam ſuæ ſanitati reſtitui. Ex hoc quod oculis conſpicamini, credite qd' oculis cerni non poteſt. Ne uos offendat infirmitas huius corporis, ſed ex ipſis factis agnoſcite diuinam potentiam. Accipite igitur uiſibile documentum, quod filius hominis habeat in ſeſe perpetuam ac propriam potentiam in terris remittendi peccata cunctis, qui ſyncera fide quærunt ipſius opem, ſimulq; illis attentis, & arrectis, dominus dicit paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Nec mora, ſurgit, iuſſus paralyticus, ſub oculis omnium, & ſublato in humeros lectulo, in quo decubuerat, pedibus ſuis abijt domum ſuam: ſubito ſic receptis uiribus corporis, ut qui prius decumbens geſtabatur à quatuor baiulis, nunc etiam lecto geſtando ſufficeret. Abijt autem ille totus ſanus & animo & corpore, geſtiens, & alacer, glorificans deum, cuius bonitate reſtitutus eſſet, quum ab hominibus nulla fuiſſet ſpes ſalutis. Populus uero nouo ſpectaculo commotus uehementer obſtupuit, ac plerique laudabant deum, qui tantam poteſtatem dediſſet homini. (Nihil enim aliud adhuc de Ieſu ſuſpicabantur.) Quidam autem ſibi male conſcij, metu etiam correpti ſunt, non intelligentes,

quod

quod Christus in hoc uenerat, non ut perderet nocentes, sed ut redderet innocentes. Dicebant autem inter sese: Cõspeximus hodie mirabilia, quæ nec audiuimus unquam facta, neq; legimus. Miratur ac timet populus, & hic nonnullus est gradus ad salutem, sed mussant & inuident pharisæi. Iesus autem egressus illinc quum docuisset apud lacum, docens interim nullo non loco spargenda semina sermonis Euangelici, præteriens conspexit publicanum quendam nomine Matthæum, qui idem dictus est Leui, filium Alphæi, sedentem in Telonio. Non id casu accidit, sed aspexisse delegisse erat. Delegit autem publicanũ in consortium apostolorum, ut suos doceret, nullum hominum genus repudiandum ab Euangelica professione, modo relictis pristinæ uitæ studijs, totos sese dedant pietati. Ait igitur illi: Sequere me. Atq; is ad uocem Iesu, uelut efficaci quopiam incantamento transformatus in alium hominem, surgit, & relictis ut erat omnibus, sequutus est dominum. Iam hoc erat insignius miraculum, hominem infami quæstui deditum, & negocijs inexplicabilibus inuolutum, repente uertere in alium, quàm paralytico suos neruos reddere. Atq; hoc ipsum iam tum urebat pharisæos, quod ipsis contemptis ascisceret publicanos, quorum commercio Iudæi sibi uidebantur inquinari, sed accessit quod inuidiam illorum cogeret erumpere. Matthæus enim iam factus Christi discipulus, domi suæ conuiuium magnificum instruxit

xit. Eò non dedignatus est uenire Iesus cum discipulis suis. Simul autem uocatus erat magnus numerus publicanorum, quos ut Matthæus habuerat prioris instituti sodales, ita cupiebat habere noui instituti sectatores. Id conspicientes pharisæi & scribæ, iam nõ cõtinent impium murmur animi sui, nec audent tamen interpellare dominum, sed discipulos appellant, apud hos suggillant præceptorem, quo ab illo alienarent. Aiunt autem: Quum deceat sanctos cum sanctis habere commercium, quur uos publicanos & peccatores palàm infames non solum admittitis ad colloquium, uerum etiam in ipsorum ædibus familiariter editis ac bibitis cum illis, nec mensam communem auersamini, non uulgare necessitudinis symbolum? Iesus autem intelligens, quorsum tenderet hæc pharisæorũ impia murmuratio, p discipulis respõdet illis: Quid, inquit, calumniamini, quod cum publicanis & peccatoribus habeam consuetudinem? Imò cum nullis potius me decet habere cõmercium. Apud quos enim magis decet uersari medicum, quàm apud ægrotos? Ego in hoc ueni, ut medear animabus peccatorum morbis obnoxijs. Et sanabiliores sunt hi palàm peccatores, agnoscentes morbum suum: & ideo medicum accersentes, quàm alij qui sibi sani uidentur, iusticiæ specie sese uenditantes apud homines, quum intus grauioribus malis laborent, & insanabilius ægrotent, quàm hi quorum morbus in aperto est. Quare quum medicus sim, non

sim, nõ par est mihi indignari iustos, ut sibi uidentur, si cum ipsis non habeam consuetudinem, quum sanis non sit opus medico. Porrò qui uere iusti sunt, non debent inuidere peccatoribus, ad meliorem uitam resipiscere conantibus. Quod si faciant, nõ minus damnandi sunt, quàm si qui sanus est indignetur medico, uisenti ægrotum ut eum morbo leuet. Nam in animi negocio, sanus non est ipse, qui sanitatem inuidet ægrotanti: & ipse morbo tenetur, qui quum possit, non subleuat morbo proximum suum. Hac tam mansueta, tamq; probabili responsione dominus Iesus & patrocinatus est suis discipulis, nondum satis instructis ad retundendum pharisæorum & scribarum malicios as captiunculas, & suam erga peccatores comitatem docuit esse misericordiam, non fauorem iniusticiæ: & eorum arrogantiam tacite, sed acriter coarguit, qui magno supercilio despicerent cæteros homines, quum ipsi hoc ipso essent immedicabiliter impij, quod sibi falsò placerent nomine religionis. Sed calumnia calumniam excipit. Ea nata est partim ex his, qui fuerant discipuli Ioannis. Ioannes enim quum esset confinium legis mox cessaturæ, & Euangelicæ libertatis mox emersuræ, quædam tradebat, quæ non prorsus abhorrebant ab institutis pharisæorum, quum Christus qui multorum opinione uidebatur Ioanne inferior, indulgentius ac mollius haberet suos: in his duntaxat, quæ ad corporales obseruationes pertinent, quod genus sunt iciu

nia

nia ac preces. Nam his præcipue rebus pharisæi sibi sanctimoniæ famam conciliabant apud populum. Christus autem quanquam ipse frequenter oraret, tamen suos docuit, & paucis & clàm esse orandum: nec ullum exegit ieiunium, ad quædam etiam conniuens, quibus legis præscripta negligi uidebantur, quum eos alia ratione fingeret ad fortiora, quæ propria sunt Euangelicæ fortitudinis. Siquidem longe fortius est iniuriam condonare ex animo: benemereri etiam de male meritis: pro salute proximi uitæ iacturam facere, quàm inediam proferre usque ad uesperam, aut psalmos aliquot lingua sonare. Pharisæi qd' erat uisibile, quodq; per hypocrisim geri poterat, plurimi faciebant, negligentes ea, quæ ueræ perfectæq; uirtutis sunt. Sed hi scribis impudentiores audent ipsum dominum interpellare, dicentes: Quid est causæ, quod discipuli Ioannis frequenter ieiunant, & orant prolixe, tui uero edunt ac bibunt pro suo arbitrio, neque perinde conspiciuntur frequentes in precando? Si constanter probas Ioannis sanctimoniam, quur dissides ab illius institutione? Ad hanc calumniam dominus, quoniam ad ipsum proprie pertinebat, ciuiliter ac placide respondit, dicens: Non damno preces ac ieiunia, sed in his interim indulgeo meis discipulis, ut alia ratione paulatim ad fortiora proueham. In his quæ corporis sunt & ad legis accedunt ceremonias, lenior est nostra institutio: sed in his quæ sunt animi, longe seuerior est.

Hæc

Hæc quæ uos ueluti ſanctitatis faſtigiũ admiramini, ſua ſponte facient mei ſi quando res ita poſtulabit. Nolite meis interim inuidere hanc libertatem. Exitus rerum indicabit, utrius inſtitutio fuerit efficacior. Ioannes gloriabatur ſe ſponſi amicũ eſſe, non ſponſum. Non conuenit autem, ut qui ſponſo familiariter adhærẽt, & in thalamo uerſantur: ubi par eſt omnia eſſe læta, compellantur ad ieiuniũ. Teneri adhuc ſunt, ac toti pendent à ſponſo. Huius non erit illis diutur na copia. Veniet autem tempus, quum orbabuntur ſponſo, tum facti firmiores ultro ac uolentes non ſolum ieiunabunt, uerumetiam in mortem & in carcerem ibunt, quoties exiget charitas. Ieiunium per ſe nec bonum eſt nec malum. Proinde qui ieiunant tantum ut ieiunent, nihil magni faciũt: uerũ qui poſſunt iuxta meam inſtitutionem contemnere gloriam huius mundi, negligere uoluptates, ſpernere opes, affectus omnes pro nihilo ducere, refrenare irã, inuidiam, bene uelle male uolentibus, bene dicere maledicentibus, orare pro perſequentibus: denique uitam habere uilem pro ſalute fratris, hos agnoſcam ut me dignos diſcipulos. Carnis præſentia reddit illos interim infirmos: ſed quum ablata fuerit huius corporis copia, poſteaquàm hauſerint ſpiritum Euangelicum, tum arcanis dotibus erunt fortes, & inuicti. Qui iuſticiæ laudem conſtituunt in corporalibus obſeruationibus, quoniam confidunt ſuis operibus, imbecilles reperiun

tur ad

tur ad ea perpetienda, ad quæ meos præparo. Sed quẽ ſuis diffiſi factis, præſidium omne collocant in animi dotibus, quas mihi acceptas referent, hos nulla frangit aduerſitas. Diuerſa eſt Ioannis ac mea inſtitutio, quia diuerſus eſt ſcopus. Non poſſunt iſta duo miſceri. Qui meus uult eſſe diſcipulus, totus ſpiritualis ſit oportet, nihil fiduciæ collocãs in rebus corporalibus, in quibus ſita eſt tota phariſæorum iuſticia: & ideo nihil iſtarum rerum meis præcipio, quæ quicquam hæ beant affine cum carnali legis obſeruatione, ne ſi uel paulum admiſcro, toti relabantur cò, unde uolo illos eſſe alieniſſimos. Vt autem oſtenderet dominus Ieſus, quantũ intereſſet inter Ioannem, qui ſuos ad priſtinæ legis hauſtam ſaliuam inſtituebat, & ſe, qui longe diuerſa ratione formabat ſuos ad perfectiora, propoſuit huiuſmodi ſimilitudinem: Nullus, inquit, tam ſtultus eſt, ut ſi ueteris ueſtis rupturam ſarcire uelit, immittat pannum nouũ ex noua ueſte reſectum. Quod ſi faciat, duplex eſt incommodum. Primum enim lacerat ueſtem nouam, ut ueterem ſarciat, deinde pannus nouus additus ueteri ueſtimento, quoniam non conuenit, prodit ſarturæ deformitatem. Rurſum nemo tam ſtultus eſt, ut uinum muſtũ condat in utres antiquos: alioqui fiet, ut uis uini muſti efferueſcentis dirumpat utres ueteres, & conſequetur duplex iactura. Nam & utres peribunt, & uinum effundetur. Quid igitur faciendũ eſt? Ne miſceantur ea quæ non congruũt

inter sese. Vetus uestimentum ueteri panno sarcia/tur, nouæ uesti ne quid admisceatur ueteris panni. Vinum mustum condatur in utres nouos, sic fiet ut & utres seruentur, & uinum. Scio quàm sit difficile nouam hanc, & spiritualem doctrinam commendare ijs, qui iam diu ueteri assueucrũt. Vix enim quicquam placet cuiquam, diuersum ab eo cui diu assueuerit. Protinus enim offenditur ad gustum inusitatæ rei. Quemadmodum qui diu bibit de uino ueteri, non statim delectatur musto. Requirit enim gustũ, cui assueuit, & dicit uetus fuisse melius, non ob aliud, nisi quod assueuit. Ita qui consenuerunt in Iudaismo resiliunt ad gustum doctrinæ spiritualis, & illa crassiora quibus assueuerunt, requirunt, circunciſionem, festos dies, sabbatismos, discrimina ciborum, uestes, ieiunia, Hierosolymam, templum, uictimas, lotiones, uota, cõstitutiunculas pharisaicas, aliáq; his consimilia. Atque hæc non solum requirunt, uerumetiam præferũt his, quæ sunt longe potiora: cuiusmodi sunt, animus à prauis cupiditatibus circunciſus: animus ab omnibus profanis studijs perpetuo feriatus: animus ab omni malorum affectuum tumultu tranquillus: animus abhorrens ab omnium contagio, quæ inquinant mentis puritatem: animus fide, charitate, modestia, puritate redimitus: animus ab omnibus malis semper temperans: animus semper aspirans ad cœlestem patriam: animus spiritus sancti templum & hospitium: animus

semper

semper seipsum offerens gratam ac puram uictimã deo: animus ab omni labe purus per fidem Euangelicam: animus ab omnibus quæ sunt huius mundi abdicatus, seq; totum diuinis rebus dedicans: animus obseruantiſſimus eorum, quæ præcipit ac requirit Euangelica doctrina. Requirit autem fidem, & præcipit charitatem. Hoc nimirum est uinum meæ doctrinæ nouum, quod non ferent utres assueti uapæ Mosaicæ, sed requirit utres nouos ac puros, spiritualibus dotibus fortes ac firmos.

CAPVT SEXTVM.

ET ecce accomodum succeſsit occasio, per quã explicaretur quid esset uinum nouum, qui ueteres utres: sabbati religio uinum erat uetus: Charitas autem per omnem occasionem parata subuenire proximo, uinum est nouum. Accidit itaq; sabbato quodam (quod Iudæi δευτεροπρωτον, hoc est, secundoprimum uocãt: propterea quod incidens inter duo sabbata, uideatur geminam habere religionem, quod & finis sit sabbati præcedentis, & initiũ sequentis) ut Iesus iter faceret per segetem. Porrò discipuli, quĩ forte fortuna esurirent, reuulsas spicas aliquot confricabant manibus, & granis uescebantur. Erat hoc populare famis urgentis solatium. Quo quidem in casu, quũ Euangelica charitas ultro fuerit esurientibus suppeditatura cibum: pharisæi ueteres utres, antiquæ superstitionis uapam requirunt, dicentes: Quur

ista facitis, quæ nefas est facere sabbatis? Hic dominus rursum suis patrocinans respondit: Vos qui legis cognitionē profitemini, non saltem illud legistis, quid fecerit Dauid in simili casu, quum esuriret ipse cum suis comitibus, quemadmodū uidetis nunc meos esuriētes? Non solum ausurus erat in famis discrimine facere, quod mei nunc faciunt, sed homo profanus ingressus est templum dei, nec ueritus est uesci sacris panibus, quos illi propositionis appellant, quibus solis sacerdotibus uesci fas erat. Nec ipse solum ausus est uesci, sed ex ijsdem pauit comites suos, nihil commotus, neque templi religione, neq; legis interdicto, uetantis quenquam attingere panes illos, præter sacerdotes, idq; tantisper donec in tēplo uersantes sacris operarentur. Ne sacerdos quidem ueritus est illos panes sacros tradere, nimirum intelligens obseruationes huiusmodi non esse institutas ad perniciem hominum, sed ad salutem, & idcirco cessare, quoties maior quædam urget causa. Quumq; hac de re multa disseruisset dominus Iesus, sermonem hac conclusit sententia: Illud habetote pro certo, quod filius hominis, qui dominus est omnium, dominus est etiam sabbati. Etenim qui condidit sabbatum, abrogare potest sabbatum. Et qui uenit salutem daturus omnibus, non impeditur à suo officio religione sabbati. Successit & aliud exemplum, quàm non ferant ueteres utres uinum mustum Euangelicæ libertatis. Accidit enim, ut alio quodam sabbato

sabbato iuxta morem suum ingrederetur synagogam ac doceret. Ferebant hoc utcunq; pharisæi, quoniam ex more præscriptoq; legis erat. Sed aderat illic inter multos homo quidam miserabilis, manum, cuius opera solitus est alere seipsum ac liberos, circunferens arefactam ac mancam, ut præstiterit non habere manum, quàm onerari mortua. Atque interim scribæ & pharisæi, quos oportebat misertos hominis interpellare Iesum pro sanatione, taciti obseruabant eum, an restitueret homini manum. Nouerant enim domini clementiam ubiq; promptam ad opitulandum omnibus. Atque hinc captabant ansam calumniandi de uiolato sabbato, si eo die manum restituisset homini calamitoso, quo lex uetuerat operari. Iesus autem, non ignarus quæ apud sese cogitarent scribæ et pharisæi, compellat hominem cui manus erat manca, quoq; cōspicuus esset omnibus, iussit ut surgeret, & prodiret in medium populi. At ille, ut statim intelligas fuisse dignum beneficio Iesu, obediens surrexit, inq; omnium conspectu constitit, exhibens suæ calamitatis spectaculum. Hic Iesus uersus ad scribas & pharisæos, non prodidit quidem populo malicios as ipsorum cogitationes, sed interrogatione perculit illorum conscientias, dicens: Libens à uobis didicerim, qui profitemini legis scientiam, utrum liceat sabbato beneficio iuuare proximum, an potius deserere proximum in calamitate, cui possis subuenire? Et utrum fas est, seruare

uitam hominis in sabbato, an perdere? Perdit enim uitam alterius, qui cum posit seruare, non seruat. Cūq; dominus circuntulisset oculos, neque quisquam esset, qui responderet, dixit homini: Extende manum tuam. Extēdit ilico manum prius mancam, contractam & immobilem. Tanta uis erat iubentis. Quid hic facerent scribæ & pharisæi? Miraculum euidentius erat quàm ut negari posset: sensus communis approbabat, esse pium quouis tempore succurrere saluti mortaliū. Sed nō ferunt mustum Euangelicæ charitatis, assueti uapæ legis Mosaicæ. Quū ex his factis debuerint agnoscere uirtutem diuinā, & agnoscere legis autorē, uertuntur in amentiam. Iamq; inter sese ineunt parricidiale cōsilium, qua uia perderent Iesum. Hoc apud illos religionis proceres licebat sabbato, quū religio esset homini miserabili salutem cōferre sabbato. Rursus dominus Iesus, relictis urbibus & hominum frequentia, secessit in montem ad deprecandum, eamq; noctem peregit in deprecando deum, nos interim docens, si quid auspicari uolemus, quod felix ac faustū esse cupimus, à deprecatione auspicemur, ut deus nostris cœptis dexter ac fauens aspiret. Vbi uero diluxit, uocauit ad se discipulos suos, quos iam habebat perpetuos comites, ac testes eorum quæcūq; gerebat. Ex his præcipuos aliquot delegit, quos ideo nominauit apostolos, quod eos missurus esset ueluti legatos Euāgelicos in orbem uniuersum, nihil aliud acturos, quàm

Factū est autem in diebus illis.

quàm quod haberēt in mandatis. Horū nomina sunt hæc: Simon cui postea nomen additum Syriace Cephas, Græce πέτρος, latine saxum, uidelicet ob solidam professionē, qua, uacillante populo, ceu uox apostolorum omnium pronunciauit Iesum filium dei uiui: huius collega fuit Andreas, frater ipsius. Deinde Iacobus & Ioānes, Philippus & Bartholomæus, Matthæus & Thomas, Iacobus Alphæi filius, & Simon cui cognomen Zelotes, Iudas Iacobi filius, & Iudas Iscariotes, qui prodidit Iesum, quem nō per imprudentiam elegit, sed per prouidentiam, ut huius exemplo doceret omnes, quàm horrendū sit abuti lenitate seruatoris erga nos. Ac ne in toto quidem apostolorum numero quisquam erat potens aut diues, aut doctus, aut pharisæus, aut scriba, aut pontifex. Rudes delegit omnes, ut nouis utribus nouum uinū infunderet. His ita delectis, descendit è monte, donec ueniret in planiciem multitudinis capacem. Siquidem, quæ perfectissimam puritatem desiderant, in monte sunt peragenda. In his primum locum tenet deprecatio, proximum delectus eorum quibus credēda est dispensatio sermonis Euangelici. Aderat autem & reliqua discipulorū multitudo, præterea copiosa multitudo promiscui populi, qui eò confluxerat ex tota Iudæa, atque ab ipsa etiam Hierosolyma, itē à ciuitatibus maritimis Tyro & Sidone: nam multos etiam è longinquo pertraxerat auiditas audiendi sermonē Euangelicū, nonnullos

spes sanitatis. Liberabat enim omnes ab omni morbo/rum genere, quibus tenebantur. Quin etiam hi qui ue/xabantur à spiritibus impuris sanabantur. Hæc autem omnia peragebantur tanta facilitate, ut alios solo ius/su, alios uestis etiam cõtactu subito redderet sanitati. Erat enim in eo fons ac plenitudo uirtutis diuinæ, quæ proficiscebatur ab eo, non secus ac lumen à sole, ca/lor ab igni, ac salutem adferebat omnibus. Seruator enim erat, & omnibus sanandis uenerat. Posthæc cœ/pit proferre mustum Euangelicæ doctrinæ, cui delege/rat aliquot firmiores, ueluti nouos utres. Beati, inqt,

Beati pauperes. estis, qui nihil habetis elati spiritus, ac uobis ipsis di/splicetis, quoniam tametsi iuxta mundum uidemini contempti & aspernabiles, tamen uestrum est regnũ dei, longe magnificentius omni regno mundi. Videtis profligari morbos, profugere dæmones, aboleri pec/cata. Quid habet huius mundi celsitudo cũ hac sublimitate conferendum? An non magnificum regnũ est: nulli seruire uitio: nullis obnoxium esse cupiditatibus: conculcasse Satanam cum omnibus suis copijs: uicisse mundum cum omnibus suis terroribus & illecta/mentis: ascitos esse in consortium dei: ascriptos esse regno cœlesti? Beati qui nũc tenues, esuritis, sititis, & contenti frugalitate, spernitis opes ac luxum huius mũdi: esuritis autem animi cibum, qui est sermo diuinus, sititis uiuam aquam Euãgelici spiritus, quoniam con/tinget uobis salubribus his delicijs expleri, quas desi/deratis.

deratis. Beati, qui uos ipsos orbastis ultro uoluptati/bus huius mundi, studio pietatis Euangelicæ, præfe/rentes ea quæ per temporarias afflictiones perducũt ad æternæ uitæ gaudia, quia ueniet tempus, ut uersis rerum uicibus, dolor uester uertatur in gaudium, & luctus in risum. Vulgus felices appellat, quibus ap/plaudit populus, qui ad honores prouehuntur, qui ma/gnificis titulis celebrantur. Vos autem me autore beati eritis, quum uos deriserint homines, quum uos ut execrabiles è contubernio suo eiecerint, quum in uos mea causa multa probra congesserint, quum no/men etiam uestrum ac memoriam uel abolere pror/sus, uel abominabilẽ posteris reddere studuerint, idq; nulla uestra culpa, sed odio filij hominis, cuius doctri/nam & gloriam prædicabitis. Ne quid ob hæc displi/ceatis uobis, quin potius gaudete, quũ hæc uobis ac/ciderint, & exultate. Etenim si non respondebit meri/tis fauor hominum malorum, tamen manet uos copio/sa merces benefactorum in cœlis. Homines non pote/rũt abolere uestra nomina, quæ scripta sunt in cœlis: nõ poterunt suis probris obscurare gloriam uestram, quæ cum mea gloria semper iungetur. Imò quo ma/gis insectabuntur nomen ac famã uestram, hoc magis illustrabunt. Etenim impijs displicuisse summa laus est. Non nouum est hoc exemplum. Semper malis in/uisa fuit egregia uirtus. Quod in uos facient huius ætatis homines, hoc idem horum maiores fecerunt in

ſanctos prophetas, non ob aliud, nuſi quia iuxta uoluntatem dei non ſilebant ueritatem, ſemper inuiſam improbis. Horum exemplo uos ipſos conſolabimini. Quorum nomen illi conati ſunt abolere, horum memoria nunc ſacroſancta eſt apud omnes. Vobis tamẽ ueſtra fretis innnocentia, non eſt cogitandum de uindicta. Nõ enim cedet illis impunc, quod faciẽt in uos, licet interim uideantur huius mundi bonis felices ac florentes. Differuntur enim ad æterna ſupplicia. Proinde uæ uobis diuitibus, qui uobis interim placetis, oblectantes animos ueſtros opibus, honoribus, & illecebris huius mundi, nec cogitatis breui futurum, ut iſta uana felicitas uobis auferatur, & ſuccedat infelicitas æterna. Væ uobis qui nunc ridetis, deliniti rerum fluxarũ ſucceſſu, dulciq; fortuna ebrij, quia mox, uerſis rerum uicibus, lugebitis & flebitis, ac momẽtaria uoluptas in perennem cruciatum commutabitur. Ne placete uobis, quum ob falſam felicitatis ſpeciem uobis gratulantur & applaudunt homines, ignari ueræ felicitatis, quum ea quæ turpiter & impie geruntur à uobis laudibus uehunt, impiam inſectationem Euãgelicæ ueritatis appellantes zelum legis: ac bonorum afflictionem, cædemq; uocant pietatem. Laus iſta falſiſſima non liberabit uos à uindicta dei, ſed grauioribus etiam ſupplicijs dignos reddet, quod non ſolum non puduerit impiorum facinorum, uerum etiam ex malefactis laudem quæſieritis. Qui uos laudabunt ob impia

Verũtamẽ uæ uobis diuitibus.

impia facta, horũ maiores itidem applaudebant olim pſeudoprophetis, aduerſus domini prophetas rebellantibus, & in horum cædem principes ac populum concitantibus. Prophetæ domini non quæſiere uindictam aduerſus perſequutores, & tamen nec pijs defuit ſua merces, nec impijs ſua pœna. Sero pœnitebit ſcelerũ, qui nunc audire negligunt monitorem. Vide rint ipſi quid commerecant, qui pro benefactis repo nunt maleficia. Vobis autẽ qui præbetis aurem meis dictis, hoc nouum præceptũ trado, ueluti muſtũ Euãgelici uigoris. Non ſolum nõ rependite malum malo, uerum etiã diligite inimicos ueſtros, benefacite his, qui uobis malefaciunt. Pro conuicijs ac probris, ſermonẽ amicũ ac ſalutiferum rependite. Orate pro his qui uos calumniantur, ut ueſtris precibus reconcilientur deo, cõdonatis ueris criminibus, qui uos falſis criminibus deferunt apud homines. Tantum autem abſitis ab iniuriæ retaliendæ cupiditate, ut ſi quis tibi percuſſerit unam maxillam, citius alteram offeras cædẽdam, quàm ulciſcaris. Et ſi quis tibi conetur auferre pallium, ſine potius ut auferat & tunicam, quàm in iniuriæ uenias contentionem. Ille tum uere iniuriam paſſus eſt, qui fecit iniuriam: cõtrà qui damno rei cõſuluit paci & tranquillitati, lucrum fecit nõ damnũ. Veſtrum ſtudium ſit, omnibus benefacere, lædere neminem. Si quis læſerit, uindicem habet is deũ. Si quid beneſeceritis, remuneratorem habetis deum. Penes illum

Sed uobis dico q auditis

lum sit utriusq; rei cura. Esto promptus ad donandũ, si quis qd abs te petierit sic cõciliatur amor mutuus. Quod si quis per fraudem aut uim rem tuam tibi eripit, sine potius habere illum, quàm descendas in contentionem. Præstat perdere pecuniam, domũ aut fundum, quàm ob hæc recuperanda deserere bona potiora. Absit autem dolus ab omni uita uestra, sed quòd quisq; uelit ab alijs erga se fieri, si res poscat, id faciat erga proximum. Et quod in se fieri nolit, ne moliatur in alterum: hoc est enim diligere proximũ, non secus quàm teipsum. Vnusquisq; sibi charus est, nec aliquod à seipso præmium amoris exigit. Sit igitur et erga proximum simplex & gratuita charitas, parata benefacere quoties erit opus, nullo mercedis ad te redituræ respectu, sed tantum ob hoc quia proximus est, etiam si non sit unquam relaturus gratiam, ac ne in amore quidem mutuo responsurus. Et amoris & beneficij uestri præmium ab uno deo sperate. Nam si diligatis eos, qui uos diligunt, quid præmij postulabitis à deo? Amor amore pensatus est. Qui redamat amantẽ, non amaturus nisi redametur, is multũ abest ab Euãgelica charitate, quæ amicos pariter & inimicos complectitur. Qui uero redamat amantem, quid facit eximium, ac dignũ Euãgelica sublimitate? Nónne qui mundum hunc diligunt, & alioqui peccatores sunt, tamen ductu naturæ diligũt diligentem, & auersantur eũ, qui nõ respõdet amore mutuo? Et si beneficium

cium contuleritis in eos, qui in uos fuerunt benefici, quid præmij debebitur uobis? Non est ista beneficentia Euangelica, sed permutatio beneficiorum. Siquidem & peccatores, & ab Euangelicæ professionis sublimitate alieni, ductu naturæ referunt acceptum beneficium, execrantes ingratitudinem. Ista non facere turpißimũ est: facere, nihil magnæ laudis. Adhæc si mutuum dederitis his, à quibus speratis uos receturos sortem, quid dignum facitis Euangelico uigore? Nónne mali malis uicissim dant mutuum, ac recipiunt? Vulgare officium est, cõmodare in tempore, ut uicissim tibi commodetur. Non est purum officium, quod spe redituri officij cõfertur. Si tuam opem deside rat proximus, & petit mutuum, dato, etiam si nulla spes sit reddendæ pecuniæ: sed hoc animo dato, ut si non reddiderit, donũ esse uelis, non mutuum. Sit uestra gratuita & charitas, & beneficentia. Bene uelitis etiam ijs, qui uobis male uolunt. Benefacite etiam his, qui uel non referent beneficium, uel beneficium maleficio pensabunt. Et dato mutuum hoc animo, ut etiam si nihil sit ad te rediturum, tamen gaudeas opẽ tulari proximo. Nec est periculũ, ne uobis pereat merces uestra. Siquidem hoc copiosius præmium rependet deus, quo minus repensum aut speratum fuerit ab hominibus. Et ita faciẽtes, ut germanos filios suos agnoscet altissimus, si bonitatem ipsius fueritis prouiribus imitati. Nam ille adeo natura beneficus est, ut tantum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum liberalitatis conferat, non solum in bonos, uerum etiam in malos. Omnibus enim impartit uitam. Deinde cœlũ ac terram tot ornamẽtis, tot opibus, tot cõmoditatibus instruxit ad usum etiam impiorũ, malos sua lenitate benignitatéque prouocans ad resipiscendum, bonos autem excitans ad gratiarum actionem. Hanc largam & omnibus expositam patris beneficẽtiam tanquam germani filij referre debetis, ut huius exemplo, quantum in uobis est, modis omnibus prodesse studeatis uniuersis, & bonis quo fiant meliores, & malis ut uestra mansuetudine prouocentur ad meliorem frugem. Si deus, qui nouit omnium mortalium corda, tamen ex immensa naturæ suæ bonitate tam beneficus est erga plurimos indignos, in quibus scit perituram largitatẽ suam: quanto magis uos idem oportet facere, quos sæpe latet, digni an indigni sint qui beneficio iuuantur, & incertus est rerũ exitus? Etenim sæpenumero fit, ut qui prima specie mali uideantur, boni sint: & rursum qui nunc pessimi sint, mox uertantur ad mentem meliorem, præsertim quum quisq; talem sit experturus deum erga se, qualẽ ipse se præbuerit erga proximum. Est autem & hoc Christianæ mansuetudinis ac simplicitatis, proximi dicta, factaq;, quæ quo animo fiant dubia sunt, in meliorem interpretari partem. Syncerus enim animus semper propensior est ad bene opinandum, quàm ad male suspicandum. In manifestis autem malis, quod genus sunt,

Nolite iudicare.

sunt, obtrectatio, turpiloquium, rapina, adulterium, uestræ bonitatis erit mederi uitijs, quantum in uobis est, homines ipsos non odisse, nec ulciscì. Ne iudicetis igitur quenquam. Ita fiet, ut ipsi uicißim nõ iudicemini. Ne condemnetis quenquam. Ita fiet, ut uicißim non cõdemnemini. Remittite si quid in uos admissum est, et uicißim deus remittet uobis peccata uestra. Estote liberales ac benefici in proximum, & redibit ad uos multo cum fœnore uestrum beneficium. Refundetur enim in sinum uestrum mensura bona, conferta, agitata & exubcrans, etiamsi ab hominibus nulla redeat ad uos beneficij pensatio. Eadem enim mensura, qua uos mensi fueritis uestram erga proximũ liberalitatem, referetur uobis præmium. Si cõtracti parciq; fueritis erga proximum, talem sentietis & remunerationem. Quo magis autem hæc dominus Iesus infigeret animis suorũ, adiecit similitudinem. Nunquid potest cæcus cæco dux esse? Quod si tentet, nónne futurum est, ut ambo in foueã incidant? Purus sit ipse ab omni crimine oportet, qui uelit alteri præire. Quid sit agendum, quomodo docebit alium, qui ipse tenetur errore? Sed durum est perpeti quorundam obstinatam maliciam: Quur grauamini perferre, quod ego perfero? An par est, potiorem esse discipuli cõditionem quàm magistri? Satis erit perfectus, si magistro æquetur. Quur autem iniquum iudicem te præbes proximo, ipse grauioribus malis obnoxius? Quur in aliorum uitijs

Dicebat aũt illis & similitudinem.

Non est discipulus super magistrum.

uitijs tam oculatus es, cum ad tua ipsius mala cæcutias? Quur uides festucam in oculo fratris, & trabē quæ in oculo tuo est, non consideras? Qua uero fronte possis dicere fratri tuo: Frater patere ut eijciā festucam ex oculo tuo: quum ipse trabem infixam oculo tuo non dispicias? Vera bonitas in alios iudex clementior, in se seuerius animaduertit. Contrà simulata sanctitas hinc sibi uenatur opinionem integritatis, si ad sua ipsius errata cōniuens, in aliorum humanos lapsus seuerißime debacchetur. Condemnas fratrem ex cibo potúue, & ipse proximo moliris exitium? Audi simulator iusticiæ: Si uere uis esse iustus, primū eijce trabem ex oculo tuo, ac tū si uidebitur dispicies, ut eximas festucam ex oculo fratris tui. Nūc præpostero iudicio tuis ipsius bonis blandiris, exaggeras aliena: ad tua ipsius mala lenis es ac remissus, sæuus in aliena. Quur uobis sanctimoniæ laudem arrogatis ex his rebus, quæ communia possunt esse bonis ac malis? Neque uestis, neque cibus, neque prolixæ preces, neque lata phylacteria declarant hominem bonum. Non enim ex folijs æstimatur arbor, sed ex fructibus. Fructus autem ex radice succum suum trahit: qui si amarus est, non potest arbor gignere fructum suauem: Sin bonus est, non potest arbor alium proferre fructum, quàm suo succo respondentem. Folia cortexq; uidentur & fallunt, succus & radix non uidentur. Si corruptus est animus, malū est quicquid hinc proficiscitur, si syncerus est, syncerum est quicquid hinc nascitur. Habet unaquæque arbor suos fœtus, quos dißimulare non potest. Neq; enim è spinis colligitur ficus, neq; de rubo colligunt uuam. Bonum est, quicquid bonus homo fecerit, quicquid ederit, quocunq; uestiatur, aut quicquid agat earum rerum, quæ per se neq; bonæ sunt, neq; malæ, sed speciem habent pietatis potius, quàm ueram pietatem. Vescitur bonus homo, bene facit: non uescitur, bene facit. Vtrūq; enim ex affectu bono proficiscitur. Rursum malū est quicquid homo malus facit, propterea quod ex corrupto proficiscitur animo, quomodocunq; uestiatur, siue ieiunet, siue comedat, siue oret, siue non oret. Vultis autem nosse fructus arboris Euangelicæ, cuius radicem impleuit suauißimus succus fidei & charitatis? Amat omnes, odit neminem, bene uult etiam inimicis, tantū abest ut quenquam afficiat iniuria. Bene precatur ijs, à quibus deuouetur. Orat pro salute eorum, à quibus falsò accusatur. Studet seruandis etiam his, à quibus occiditur: gratis omnibus benefacere studet, præmiū expectans à deo. De nullo male suspicatur. Quicquid ambiguum est, interpretatur in meliorem partem. Neminem condemnat, sed ipse iudicium deferens deo, tantum benemereri studet. Impios tolerat, ut resipiscant. Proximum errantem amanter admonet: peccanti in sese libenter condonat, nec offensæ meminit. Hos fructus sicubi uideris, agnosce arbo

Hypocrita eijce primū.

Nō est enim arbor bona.

m rem Euan-

rem Euangelicam, quia fructus habet Euangelio dignos. Iam mihi agnoſce fructus arboris, cuius radix amaro ſucco phariſaicæ ſuperbiæ, liuoris, et auaritiæ infecta ſit: Nulli bene uult, niſi uni ſibi, nec amicos amat, niſi ſua cauſa: ſuam gloriam præfert gloriæ dei: iniuriæ uindex eſt, imò ultro iniuriam facit: ſibi placet etiam in malefactis, aliorum benefacta calumniatur. Suis priuatis commodis proximorum malo conſulit. Diſſidet ab animo oratio, nec deo fidit, nec diligit proximum: ſe iactat, alios condemnat. Sibi blanditur, in fratrem errantem ſeuerus cenſor. Hos autem fructus, quum producat, tamen foliis & cortice ſimulat bonam arborem. Obambulat in latis phylacterijs, lauat ſubinde, quieſcit in ſabbato, fugitat colloquium publicanorum, ſed obſeruat uiduas beatas: in miſeros ſæuus, in diuites palpo: ieiunat frequenter, ſed palàm, domi gulæ ſeruit: orat prolixe, legem, templum, deum habet in ore. Verũ ad occaſionem erumpit quod latebat in corde, ubi recõditus eſt theſaurus bonorum ac malorum. Ergo quoties urget res, tum euaneſcit illa fucatæ ſanctimoniæ ſpecies, & profert ſe, quod reconditum erat in fibris. Obijcitur iniuria, ingeritur immerenti conuicium, pertrahitur in carcerem, ſpoliatur facultatibus: ibi bonus homo, de bono theſauro cordis ſui profert rem bonam. Non iniuriam atrociore retaliat iniuria, ſed aut tolerat, aut iniuriam etiam beneficio penſat. Conuicianti miti placi-

doq;

doq; ſermone reſpondet. Pertractus in carcerem, deo gratias agit, honorum iacturam cum gaudio ſuſcipit. Contra autem hæc omnia arbor illa phariſaica, ad occaſionem oblatam longe diuerſos fructus profert. Deo non poteſt imponi, qui perſpicit intimos cordis receſſus. Nec mouetur corporalibus ceremonijs, quæ frequenter imponunt hominibus falſa ſanctitatis imagine. Honorifice loquuntur, & moliũtur ignominiã. Quorſum enim attinet, quod me honoris gratia compellatis, domini nomen ſubinde ingerentes, quum negligatis ea quæ præcipio? Si dominum agnoſcitis, obtemperate iuſſis meis. Si non agnoſcitis, quid ſibi uult in me domini uocabulum? Vbi res exigit obſequium, factis proferendus eſt domino debitus honos. Obſeruatio præceptorũ arguit fidelem ſeruum, non honorifica cõpellatio. Poſt hæc quod docuerat dominus per ſimilitudinem bonæ ac malæ arboris, cuius fructus ex ipſa radice ſunt æſtimandi, idem inculcat adhibita ſimilitudine ædificij, ceſſuri aut nõ ceſſuri procellis imminentibus. Etenim quod radix eſt in arbore, id eſt in ſtructura fundamentum. Quod folia ſunt in arbore, hoc eſt ædificij ſpecies, quæ foris contemplantibus adblanditur. Quiſquis, inquit, animo ſyncero uenit ad me, & ſic audit ſermones meos, ut quum res exigit, ex huius theſauro proferat argumenta perfectæ uirtutis, indicabo uobis cui ſimilis ſit. Similis eſt prouido ſtructori, qui domum ædificat nõ ad inanem oſten-

Quid autem uocatis me domine.

Omnis qui uenit ad me

Universidad de Deusto
Biblioteca

tationem, nec ad temporarium usum, sed ad firmitatem nulli tempestati cessuram. Eoq; defodit in altum, & fundamentum solidum iacit super petram. Hoc facto superstruit. Deinde ubi inciderit inundatio, aut ualida uentorum tempestas, nec impetu fluminis irruentis, nec ui uentorum potest labefactari, nixa solido fundamento. Rursus autem qui sic uenit ad me, ut audiat quidem quæ doceo, cæterum non demittit mea præcepta penitus in animum suum, similis est improuido structori, qui sic ædificat, quasi nulla tempestas esset unquã exoritura. Huic cum nulla sit cura solidi fundamenti, sed ad ostentationem substruat in altum, simul atq; ingruerit uel exundatio fluminũ, uel uẽtorũ procella, continuo corruit quod extruxit, quoq; magnificentius ædificauit ad inanem ostentationem, hoc maiore ruina concidit ædificium. Quicquid autem nititur ceremonijs, constitutionibus pharisaicis, obseruationibus rerum corporalium, ædificium est cessurum quoties incident iniuriæ, damna, ignominiæ, mortes, aut alioqui grauis aduersæ fortunæ procella.

CAPVT SEPTIMVM.

CVM huiusmodi sermones, quibus discipulos suos ac populũ instituebat ad sublimitatem Euãgelicæ philosophiæ, loquutus fuisset dominus Iesus, repetijt Capernaũ, in qua ciuitate plerunq; uersabatur. Ac rursum uaria miraculorum ædendorũ occasio, quo magis autoritas doctrinæ factorũ sublimate con-

firmaretur. Erat illic Centurio quidam cui domi erat seruus, qui paralysi sic periclitabatur de uita, ut iam uicinus esset morti. Ea res discruciabat animũ hominis, nõ æstimantis cum ex cõditione, sed ex fide, & synceritate morum, & quorundam interim imbu manitatem arguentis, qui seruos non alio habent loco, quàm equos aut boues. Itaq; quum resciisset, quod Iesus ingressus esset Capernaum, subornauit quosdã primores Iudæorum, qui suis uerbis rogarent dominum, ut dignaretur adire ædes ipsius, & sanaret seruum eius. Pudoris erat, non diffidentiæ, quod Centurio, primum ethnicus, deinde militaris ordinis, per alios dominum interpellat. At illi quum uenissent ad Iesum, suspicantes futurum, ut ægre impetraretur tantum beneficium, & seruo, & ethnico, et Centurioni, multa cum solicitudine rogant eum, dicẽtes: Noli rationem habere, quod ethnicus est, quod miles, quod seruo militari petitur hoc beneficiũ. Nam dignus est alioqui cui præstes hoc officij. Amat enim nostram gentem, ac synagogam nobis ædificauit. Iesus autẽ, ut ostenderet apud se nullam esse uilem personam, quæ fide cõmendaretur, ibat eò quò uocabatur. Cúmque iam uicinus esset ædibus, in quibus decumbebat ægrotus, Centurio sentiens aduentũ domini, iußit amicos illi ire obuiam, qui dicerent illi: Domine, non est, quur istuc laboris capias ut huc uenias. Plus præstat tua benignitas, quàm audebã petere. Agnosco dignitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatẽ tuã, nec ignoro meipsum: ethnicus sum, Centurio sum, & de seruo tantum agitur. Indignum me iudico, cuius tectũ subeas, atq; hac de gratia non sum ausus uenire ad te. Existimant enim Iudæi sese nostro congressu cõtaminari, quia simus à religione cultuq; dei alieni, uarijsq; peccatis obnoxij. Ingens autem dolor animi, & summa de te fiducia fecit, ut ausus sim famulo meo periclitãti salutẽ petere. Eam tu uerbo præstare potes. Humilius est hoc, & leuius, quàm ut per teipsum peragatur. Ex meipso coniecturam facio. Sum enim homo subditus alienæ potestati, cuius iussis obtempero, habens & mihi subditos milites, qui mea ĩperata faciũt. Nec est necesse, ut per meipsum obeam omnia. Sed si quid est humilius, dico huic: uade, et uadit. & alteri: ueni, & uenit. dico cuiuis è seruis meis, fac hoc, & obtemperans facit. Si tantam habet autoritatem mea iussio, ut me quiescente peragatur per homines mihi subditos, quod uolo, quanto magis te quiescente fiet, si quid simplici uerbo mandaris tuis? Hoc sermone, qui plenus erat et affectus erga seruũ, & modestæ opinionis de seipso, & admirabilis fiduciæ erga dominum, delectatus Iesus, substitit, & admirantis speciem præ se tulit, nõ quod illi nouum esset, quod audiret, quum nosset Cẽturionis animum, antequam hæc dicerentur: sed hoc agebat, ut admiratione sua Iudæis cõmendaret fiduciam erga deum, & eis incredulitatem ipsorum, hominis ethnici & militaris

exemplo

exemplo exprobraret. Dilato itaq; respõso, dominus se uertit ad turbas Iudæorũ, qui comitabãtur ipsum, & ait: Illud affirmo uobis pro certo, quod hactenus nec in Israẽlitica gente tantam fidem cõpererim. Minus enim credebant seniores, qui domini præsentiam flagitabant, qui suspicabantur eum non sanaturum ethnici seruum, nisi studium allegassent erga gentem Israẽliticam, quasi dominus sua beneficia darct humanis affectibus, aut dignitati personæ, ac non potius fiduciæ postulãtis. Iesus itaq; quum affirmasset illis, futurum ut ethnici & peccatores iuxta Iudæorum æstimationem, fidei commendatione reciperentur in dignitatem generis Israẽlitici, reiectis his, qui quum natura essent filij Abrahæ, per incredulitatẽ sese reddidissent indignos hoc generis autore, ait Cẽturioni, qui tandem & ipse accesserat: Vade, nam quod credis posse fieri, factum est. Seruus tuus sanus est. Quũ autẽ rediret domum, ex famulis obuijs cognouit, eodem tempore seruum subito fuisse morbo liberatum, quo dominus dixerat: seruus tuus uiuit. Hæc nimirũ fuit imago gẽtium, per fidem puram absq; Mosaicæ legis obseruatione uenturarũ in consortiũ Euangelicæ gratiæ, sed tamen quodammodo legis commendatione. Lex enim pædagogus erat ad Christũ, & à Iudæis profecta est ad gentes Euangelij prædicatio. Videlicet in huius rei typum seniores Iudæorum Centurionis causam commendant Iesu, eumq; ad domum

illius adducũt, quem è suo templo erant profligaturi. Dominus aũt, quo latius spargeretur semen Euangelicæ doctrinæ, frequenter aliunde aliò commigrabat. Itaq; relicta Capernaũ, accidit ut præteriret ciuitatẽ Naim. Ea duobus fermè passuũ milibus abest à monte Thabor ad plagam australẽ, haud procul ab Endor. Huc cuntem comitati sunt discipuli, quorum iam magnus erat numerus, cumq; his copiosa turba promiscuæ multitudinis. Quum autem dominus Iesus non procul abesset à porta ciuitatis, ecce noui miraculi occasio: Effertur funus magna hominũ frequentia. Erat enim flebile, primum quod adolescens esset mortuus, & in ipso uitæ flore uitæ exemptus: deinde quod uiduæ filius unicus periisset, quæ mariti solatio orbata, totam uitæ spem collocarat in filio. Hæc igitur & lachrymis, & miserabilibus uocibus, quas impotens dolor solet suggerere, testabatur animi sui cruciatum. Viduæ ploratus, & præmaturus adolescentis interitus prouocauit & reliquos, qui funus officij gratia comitabantur, ad lachrymas. Hoc spectaculum ubi uidisset clementißimus dominus Iesus, misertus est uiduæ, sesq; illi, quæ consolatorem non haberet, efficacem cõsolatorem præbuit, & uerbis & re opitulaturus. Mulier, inquit, noli flere. Hoc loquutus accessit ad loculũ quo efferebatur defũctus, ac manu cõtigit. Et ilico qui portabant funus restiterunt. Hic utraque turba intenta in euentum, tum ea quæ comitabatur uiduam

Et factũ est deinceps.

uiduam, tum ea quæ comitabatur dominũ, Iesus uersus ad adolescentem exanimem: Adolescens, inquit, tibi dico surge. Ad hanc uocem ilico adolescens, uelut excitatus à somno, resedit in loculo, quoq; certius esset uitæ redditæ argumentum, cœpit loqui. Sermo uigorem etiam animi declarabat. Quumq; iam exilisset à loculo adolescens, ac Iesu adhærens, per quem intelligebat sibi uitam esse restitutã, gratias ageret, dominus tradidit illum matri, ut uiuum domum reduceret, suis inambulantem pedibus, quem mortuum quatuor baiulis extulerat. Atque ita quidem res iuxta historiam gesta est, non sine significatiõe doctrinæ spiritualis. Vidua mater ecclesiæ gerit imaginem. Nimirum hæc est illa uidua, quam consolatur Esaias propheta dicens: Lætare sterilis quæ non paris, exulta quæ nõ parturis, quoniam plures filij desertæ, quàm eius quæ habet uirum. Synagoga confidit in sponso suo Mose. Iactat filios Abrahæ, pares numero arenæ, quæ est in littore maris. Ecclesia iuxta mundum uidetur destituta sponso, qui se subduxit in cœlum, ac primum uidebatur sterilis & absq; spe posteritatis, hoc agentibus Iudæis, & huius mundi principibus, ut Iesu, quem extinctum putabant, omnis memoria funditus tolleretur. Hæc uidua quotidie gignit non filios huius seculi, sed filios lucis: nec Mosi gignit, qui terrena docet, sed Christo, qui docet & promittit cœlestia. Gignit autem non morti, sed immortalitati. Par-

turit autem quotidie fœtus informes adhuc & imperfectos, donec hauriant spiritum Euangelicum, & formetur in eis Christus. Vera mater est, & unice diligit filios suos, quos magna solicitudine format et instituit, donec adolescant et corroborẽtur in uiros perfectos. Habet enim & pietas infantiam suam, habet ætatis profectus. Quod si quando contigerit aliquem è filijs mori, plorat inconsolabiliter, nec aliter deflet, quàm si unicum illum habuisset quem perdidit. Innocentia quæ per fidem Euangelicam cõfertur, uita est, peccatum mors est. Videmus quanto affectu lugent matres corporea funera, sed multo tenerius ecclesia deflet hominem à baptismo relapsum ad culpam letalem, magisq; solicita est de morte unius peccatoris, quàm synagoga gaudet de nonaginta nouem iustis. Effertur ergo defunctus à quatuor baiulis, hoc est, huius mundi cupiditatibus, quæ spiritu sancto iam destitutum, iam sui sensu carentem, iam suis uitijs indormientem, deferunt ad sepulchrum æternæ desperationis. Habet autem ecclesia portas, per quas eijcit mortuos, ne fœtore cadaueris inficiantur & alij. Habet portas, per quas recipiat à domino reuocatos in uitam. Vt non parit in uitam, nisi de spiritu Christi, ita non recipit ad uitam, nisi reuocante Christo. Non cõsistunt baiuli donec peruenerint ad sepulchrum. Etenim qui semel conquieuit in hoc mundo, qui semel se se permisit cupiditatibus noxijs, non desinit infelici profectu

profectu semper in deteriora prolabi, donec uenerit in profundum malorum, ac traditus fuerit in reprobum sensum. Interim nihil aliud quàm plorat mater, plorat & turba ciuium, dolentes eijci mortuũ, quem optant reuiuiscere. Hæc nimirũ sunt uota matris ecclesiæ, hæ lachrymæ, hi gemitus piorum hominum de morte peccatoris dolentium. Adolescens perierat nõdum cõfirmatus spiritu Euangelico, & hoc dignior misericordia, quod quem per spiritum Christi sperarant profecturum ad culmen Euãgelicæ pietatis, nũc uident exanimem, ac spiritu uacuũ per immitissimos baiulos efferri ad sepulchri latebras. Sed tamen interim comitatur mater, comitantur ciues (uix enim desperare potest charitas) lachrymis, gemitu, lamentis declarant quid optent. Sed quod optant, dare non possunt. Nec retinere ualent exanimem, nec excitare possunt mortuum. Hominibus irreuocabiliter mortuus est. Sed bene res habet. Ad ecclesiæ suæ lachrymas occurrit Iesus. Felix semper est seruatoris occursus. aspicit uiduam suam, semper felix clementis obtutus. Nondum respicit mortuum, qui quoniam sibi miser non uidetur, nondum dignus uidebatur misericordia Iesu, sed impetrat affectus ecclesiæ, quod deploratus peccator nec optat. Iubet dominus sisti luctum, spem faciens successuri gaudij. Admouet manum loculo, consistunt baiuli. Prima spes ad innocentiam resipiscentis est, non progredi in malis. Qui desinit esse peior,

peior, spem de se præbet, fore ut aliquando fiat melior. Nec hoc contingit, nisi Iesus potenti manu sua dignetur contingere loculum. Illa finem imponit impijs cupiditatibus, ut cesset à malis qui prouehebatur ad sepulchrum. Orat quidem, obsecrat, hortatur, obiurgat ecclesia peccantes, ut resipiscant, ut cõquiescant à uitijs suis. Sed hæc omnia frustra, nisi Iesus arcana uirtute contingeret animum peccatoris mortuum. Iesus enim uita est omnium, etiam mortuorum. Bona spes est redituræ uitæ, quum Iesus dignatur loculum contingere: sed nondum redit uitæ uigor, nisi mortuo loquatur dominus. Ad cuius unius uocem reuiuiscunt mortui, etiamsi sepulti fuerint & quatriduani: ne quis putaret ullos esse peccatores tam deploratos, de quorum salute desperare debeat ecclesiæ charitas. Lazarus elatus erat, sepultus erat, iam fœtebat in sepulchro. Flebatur tamen interim, & ad Iesu uocantis uocem prodijt è sepulchro. Maiore quidem negocio suscitatus est Lazarus: tum enim infremuit Iesus spiritu, lachrymatus est, ac turbauit se, nõ quod illi difficilius erat suscitare quadriduo sepultum, quàm modo mortuũ: sed ut ostenderet, quàm difficile resipiscant, qui diu uitijs assuerunt. Aspexit Iesus uiduam, & desijt flere: aspiciet & mortuum, & incipiet uiuere. Versus est itaq; clementissimus dominus ad eum qui mortuus iacebat: Adolescens, inquit, tibi dico surge. Non potest non reuiuiscere quisquis audierit sermonem

nem Iesu, etiam si mortuus fuerit. Nam quæ ille loquitur, spiritus sunt & uita. Quid consequutum est? Reuixit innocentiæ, qui erat mortuus peccatis: erigit sese, qui prius iacebat sui carens sensu: & quod est certissimum animi correcti documentum, incipit loqui, confitens peccata sua, gratias agens clementiæ diuinæ. Redditur matri rediuiuus, & qui prius cum ingẽti multorum luctu deferebatur ad sepulchrum, nunc maiore omnium gaudio domũ reducitur. Habet enim hoc ucra pietas, ut chariores etiam illos habeat, qui à magnis criminibus resipuerint ad studium uitæ melioris. In his enim magis elucet diuina bonitas, quàm in his qui nunquam in aliquod crimen prolapsi sunt. Gaudet mater recepto filio. Gaudent qui funus ante lugebant. Nec gaudent solũ, uerũ etiam omnes quotquot aderant huic spectaculo, timor quidam corripuit. Nam adeo palàm malos & insanabiles uelut cædaucra è suo contubernio eijcit ecclesia, quo multi unius exemplo formident peccare. Sed ijdem laudibus uehunt misericordiã dei, cuius uirtute reuiuiscũt mortui. Dicebat enim populus ille, uiso tam insignẽ miraculo: Propheta magnus inter nos exortus est, & respexit deus populum suum. Nihil enim adhuc altius de Christo suspicabantur Iudæi, nisi quod prophetа quispiam esset insignis. Creuit autem & hinc fama domini Iesu, rumore facti sparso, non solum per uniuersam Iudæam, uerum per omnem undiq; finitimã

Iordanẽ

Iordani regionem, in qua prius baptizauerat Ioãnes, atq; ipsum etiam Iesum. Porrò quidam discipuli Ioannis subinuidentes tanto successui rerum quæ gerebantur ab Iesu, ac nomini indies magis ac magis inclarescenti, Ioannisq;, de quo præclare sentiebãt, gloriam uelut obscuranti, referunt ad illum in carcere uinctũ, omnia quæ dicebat ac faciebat Iesus. Ioannes igitur, ut huic affectui suorũ mederetur, auocauit duos è discipulis suis ad se, eosq; misit ad Iesum, qui ex ipso sciscitarentur: Num tu es ille qui dicebatur uenturus, an alium expectamus? Ioannes iam toties testificatus fuerat de Christo, quem etiam digito demonstrando dixerat: Ecce agnus dei, ecce q tollit peccata mundi. Nihil autem absurdius quàm putare, ut tantus propheta, iam morti uicinus, dubitare cœperit. Nec enim uinculis fuit alligatum illius de Christo testimonium, nec carceris tenebræ obscurabant illius de Christo iudiciũ. Agnouit in carcere, quem agnouerat in utero. Sed uir optimus ita iudicauit expedire, ut hac ratione suos discipulos Iesu, uelut in manum, traderet. Quum igitur discipuli retulissent totidem uerbis quæ mandarat Ioannes: Dominus Iesus primum illis non respondit, sed æditis coràm illis multis miraculis, depulsis cõpluribus morbis, ac malis immedicabilibus, cæcis uerbo spiritibus immundis, reddito multis cæcis uisu, tandem respondit illis: Quid attinet me de me ipso pronunciare qui sim? Nullum testimoniũ certius, quàm

quàm factorũ. Ite renunciate Ioanni quæ uidistis oculis, quæ audistis auribus: Cæci uisum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui reuiuiscunt, pauperes & humiles amplectuntur lætum salutis nuncium, iuxta prophetiam Esaiæ, quæ dicit: Ad Euangelizandum pauperibus misit me. Ioannes prædicauit instare regnum cœlorum. Expendite uos an hæc, quæ uidetis, digna sint regno cœlorum. Beatus autem qui hæc, quæ ago ad salutem hominũ, sibi non uerterit in occasionem offendiculi. Vt enim operum magnitudo nonnullis mouebit inuidiam, ita corporis huius infirmitas nonnullis erit offendiculo. Hoc dicto Iesus tacite taxauit inuidiam discipulorum Ioannis, simul subindicans futurũ, ut ignominia crucis, qua maxime peragendum erat mysterium regni cœlorum, multos alienaret à doctrina Euangelica: felices autem futuros, qui nec inuiderent gloriæ ipsius, nec mortis probro perturbati, resilirent à doctrina salutifera. Quum autem abissent discipuli Ioannis, ei relaturi Iesu responsum, dominus cœpit apud turbam prædicare laudes illius, ne quid ex interrogatione discipulorũ suspicarentur ipsum Ioannẽ uacillare: deq; suo ipsius testimonio, quod prius tulerat de Iesu, iam animo commutato subdubitare. Amolitur igitur ab eo suspicionẽ inconstantiæ, & illius de se testimonio fidem & pondus arrogat, sic extollens illius eximias uirtutes, ut tamen Messiæ titulum non tribuat, quem

Universidad de Deusto Biblioteca

quem aliquandiu quidam illi tribuere conabantur. Lo quutus est autem hunc in modum: Si suspicamini, in quit, Ioannē pridem de me testificatū, nūc uacillanti esse animo: quid igitur olim sic relictis urbibus cōcurrebatis in loca deserta, ad illius uiri spectaculū? an ut uideretis arundinem, quæ uento agitatur, nec sibi cōstat? Sed agedū, quid tandem existis uisuri? num hominem mollibus uestitū, ut delicijs aut ambitione corrumpi potuerit? At hæc suspicio non cadit in hominem, qui pilis camelorum uestiebatur, qui pellicea zona strinxerat lumbos, qui locustis & aqua simplici uictitabat, quiq; hoc uictu sustentans uitam, frequenter etiam ieiunabat. Quibus placet uestitus splendidus, quibus cordi sunt ciborum deliciæ, hi captant aulas regum. In hos, qui hæc affectant, fortasse cadere potest corruptæ sententiæ, inconstantiæ, aut assentationis suspicio. Sed Ioannes desertum prætulit aulis principum, pilos camelorum prætulit holosericis, & aureis ac gemmatis uestibus. Mel syluestre & locustas prætulit placentis regum, simplicem aquam prætulit mulso diuitum. Quàm autem nesciat adulari Ioannes, satis clamitat ipse carcer. Nō est igitur quod quisquam suspicetur, illum prius ad gratiam cuiusq; de me tam magnifice testificatum, nunc uertisse sententiam. Sed tamen scire cupiam, quæ res uos euocauerit in desertū: an ut uideretis prophetam? Ille quidem se Meßiam non esse, palàm confessus est. Ego tamen

tamen illud confirmo uobis, si ideo procurristis in desertum, ut uideretis prophetam, nō estis frustrati uestra expectatione. Omnino prophetam uidistis, atq; etiam plusquàm prophetam. Siquidem hic est ille, de quo iam olim uaticinatus est Esaias, quod esset Messiæ præcursor futurus. Ecce, inquit, mitto angelū meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Siquidem prophetæ per ænigmata prædicabāt quædam olim futura: hic aduenientem digito demonstrauit. Proinde qui magnifice sentiunt de Ioanne, recte sentiunt. Nam illud adfirmo uobis, inter omnes quos habet hæc ætas, aut habuere priores, è mulieribus prognatos, nullus exortus est propheta maior Ioanne. Abunde magnum est quod illi tribuo. Cæterum quod quidam illi tribuunt, nec ipse agnoscit. Est enim unus illo maior uirtute ac dignitate, qui tamen iuxta popularem existimationem minor est illo in regno dei. Illius austeritatem ac secessum mirantur, huius familiaritatem contemnunt. Illius dignitatem suspiciunt, huius inuident gloriæ. Illius doctrinam amplexi sunt, huius calumniantur. Prædicauit ille baptismum in pœnitentiam, instare enim regnum cœlorum, & audijt illius uocem rudis & humilis populus, audiere publicani, milites, & meretrices, properantes ad baptismum Ioannis, confitentes se esse peccatores, & à peccatis suis ablui cupientes. Ita illustrarunt dei iusticiam, suam agnoscentes iniusticiam, quū nullus sit mundus

à crimine, nisi solus deus, & amplectentes dei bonitatem, qui syncera fiducia ad se confugientibus promisit se condonaturum omnia cõmissa uitæ prioris. Cõtrà pharisæi, scribæ, & legis periti, dum pudet agnoscere suam iniquitatem, deum maluerunt mendacem facere, quàm amplecti ueritatem, coq; dedignati sunt baptizari ab Ioanne, in suam ipsorum perniciem, spernentes benignum dei consilium, qui hac facillima uia cõstituerat abolere peccata mortaliũ. Quid enim est facilius quàm confiteri, & tingi? Non quod per Ioannem conferretur innocentia, sed quod ad hanc præpararet illius baptismus et prædicatio, quo plures ad salutem perducerentur eius prædicatione, cui Ioãnes erat præcursor, si præparatos iam animos inueniret. Nihil horum temere gestũ est. Sed omnia diuina prouidentia dispensauit ad humani generis salutem. Et amplexi sunt dei beneficentiam idiotæ, humiles, & peccatores, qui uidebantur à uera pietate alieniss imi longeq; submoti à sciẽtia legis. Rursus, hi quos oportebat hæc maxime intelligere prophetarum oraculis promissa, quiq; uidebãtur religionis columina, aspernati sunt oblatam dei benignitatem, nec Ioannis prædicatione, nec mea cõpuncti ad resipiscentiam. Hanc pertinacem maliciam illis exprobrans Iesus, adduxit huiusmodi simulitudinem. Quid igitur dicam de huius generationis peruersæ hominibus, aut cui dicam eos esse similes? Similes sunt pueris, quos uidemus cõsidentes

dentes in foro, qui per lusum sibi uicißim respondentes dicunt: Cecinimus uobis tibijs lætas cantiones, nec estis prouocati ad saltandum: cecinimus uobis lugubria, nec ploraßis. Hoc prouerbium à foro sumptum dominus Iesus accommodauit ad Iudæos obstinatos, qui nec Ioannis austeritate prouocati sint ad timorẽ uindictæ diuinæ, nec comitate beneficentiáq; Christi excitati sint ad amorem. Venit enim, inquit, Ioannes baptista, singulari uitæ austeritate pœnitentiam prædicans, & pœnitentiæ præbens exemplum, neque panc uescens, neque uinum bibens, in deserto uiuens, cameli pilis uestitus, zona pellicea cinctus. His rebus adeo non estis commoti ad resipiscentiam, ut quod factum est ad emendandos uos, uerteritis in calumniam, dicẽtes: Caret sensu communi, dæmonium habet. Venit filius hominis diuersa ratione captans uos ad salutem, expositus ad congressum omnium, nihil præ se ferens nouæ austeritatis, nec minitans pœnam, sed beneficijs omneis alliciens ad amorem, edens & bibens more cæterorũ, uersans inter quoslibet, nec cibo uestitú ue differens à cæteris. Et huius ciuilitatem, qua prouocari debueratis ad meliora, uertitis in occasionem calumniæ, dicentes: Ecce homo uorax, ac uinipotor, amicus publicanorum & peccatorũ. Sed nihil profecit hominũ malicia aduersus sapientiæ diuinæ cõsiliũ: sic enim illustrata est dei iusticia apud omnes filios Euangelicæ sapiẽtiæ deditos, posteaquàm constitit Et iustificata est sapientia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stitit, nihil omissum ad seruandum omneis homines, sed malos ac superbos aspernēteis dei munus, suo merito reiectos ac damnatos esse: publicanos autem, meretrices, peccatores & ethnicos iure admissos ad cōsortium salutis. Sic prædictum erat fore, & sic factū est: sic erat æquum fieri, & factum est. Qui se iactabant pios ac iustos, propter incredulitatem suam repudiati sunt ab Euangelicæ salutis munere. Cōtrà qui per credulitatem ac syncerum affectum irruperūt ad dominum, quamlibet profani, quamlibet abominabiles, quamlibet inquinati peccatis, admissi sunt in consortium regni cœlorum. Et ecce cōsequutum est quid dam, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod dominus uerbis docuerat: de iustis repellendis, & peccatoribus recipiendis. Pharisæi præ cæteris cognitione legis, & sanctitatis opinione turgebant. Ex his quidam rogauit dominum, ut apud se sumeret conuiuiū. Nec dedignatus est id facere Iesus, qui nulli sui negabat copiam. Cum autem ingressus domum eius, iam accūberet, ecce mulier quædam, quæ in ea ciuitate erat nota peccatrix, simulatq; cognouit, quod clementissimus Iesus, qui nullū repellebat ab sese, qui malis omneum omnibus promptissime mederetur, illic adesset, sibi tota displicens, sed ingenti fiducia de Iesu benignitate concepta, irrupit in ædeis pharisæi: ardor animi pudorem omnem excusserat, quum non esset ignara, quanto fastu soleat pharisaicum genus auersari peccatores,

Rogabat autem illum quidam.

peccatores, quum ipsi intus grauioribus maderent uitijs. Attulit autem secum delicias suas, pristinæ uitæ, quam oderat, monumēta, omnia quibus ante male placuerat sibi ac mūdo, in Christum, cuius amore flagrabat, effusura. Attulit autem delicatum uasculum unguentarium, quod ob leuorem, qui obstat, quo minus apprehendi queat, alabastrum appellant. Erat autem unguentum eximium, magnóq; emptum. Olim autē qui uoluptatibus carnis seruiebant, unguentis impendio delectabantur, præsertim in conuiuijs. Vide autem sanctam huius peccatricis improbitatem, non solum ausa est inuocata domum ingredi pharisæi, uerūetiam ingeßit sese, ut erat ornata, conuiuio. Quoniam autem lecti triclinij prohibebant, quo minus corām sese prouolueret ad pedes Iesu, stetit à tergo, & quod licuit, cœpit lachrymis rigare pedes illius, salubriter defœdans oculos, quos olim ad turpitudinē solita est stibio depingere: lachrymarū imbre lotos pedes non aliquo linteo, sed capitis sui capillis exterge bat, quos antehac consueuerat ad carnis uoluptatem ungere, tingere, comere, auro intertexere. Nec his cōtentus mirus peccatricis amor, lotis & extersis Iesu pedibus defigebat oscula, omnia quondam inhonestæ uoluptatis instrumenta uertens in obsequium illius, qui solus est amandus. Habes imaginem peccatoris, per improbitatem ardoris, & pertinaciam fidei irrumpentis in regnum cœlorum. Nunc ediuerso acci-

pe typum Iudæi, qui per arrogantiam, & incredulitatem se reddit indignum oblata dei benignitate. Pharisæus, qui Iesum ad conuiuium uocauerat, conspicatus hæc, quum fauere debuerit mulieri tanto affectu ingerenti, tanta modestia deijcienti sese, tot indicijs testanti uitæ prioris pœnitudinem, quum amare debuerit Iesu mansuetudinem, nullum hominem ab se repellẽtis: prouocatur ad utriusq; calumniam. Sic enim cogitabat intra sese: Hic si esset propheta, qualis habetur, nimirum non ignoraret, quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum. Est enim publica peccatrix, notæq; impudicitiæ. Quod si sciret, non sineret se polluti corporis contactu contaminari. Existimabat enim pharisæus sanctos homines pollui, si cum peccatore uel colloquium habuissent. Hic erat fastus falsæ iusticiæ, qua sibi placebant Iudæi, deo displicentes. Iesus autem ut certiore argumento declararet se esse prophetam, ad tacitam pharisæi cogitationem respondit: Simon, inquit, habeo quod tibi dicam. Tum ille: magister dic. Iesus itaq; iam attento, ne proderet impiam illius cogitationem conuiuis cæteris (nam uiris Euangelicis etiam ciuilitas debet esse curæ) proposuit huiusmodi parabolam. Duo quidam debebant eidem fœneratori, quorũ alter debebat denarios quingentos, alter quinquaginta. Quum autem neuter esset soluendo, condonauit utriq; in solidum quod debebat. Vter igitur horum uehementius amare debet creditorem tam libera

lem? Si

lem? Simon nõdum intelligens quorsum tenderet hæc parabola, simpliciter respondit: Mea sententia, uehementius amare debet is, cui plus cõdonatum est. Tum Iesus aperiens, quur hoc ænigma proposuisset, ait Simoni: Recte iudicasti, sed interim inique iudicium applicas tuum. Moxq; uertit sese ad mulierem, ac loquutus est Simoni: Vidés ne hanc mulierem, quam tu peccatricem uocas? Vidés ne lachrymis oppletam, sparsis capillis, prodigam unguenti sui, prodigam osculorum suorum, prostratam, toto corporis habitu præ se ferentem pœnitentis imaginem? Hæc argumenta sunt immensi cuiusdam amoris in me. Quo uehementius odit seipsam, hoc impensius me diligit. Peccatrix uenit, sed sanata est, ubi contigit medicum. Cõtemnis hanc ut peccatricem, ac tibi places ut iustus, sed huius peccatricis pietas longe uincit tuam iusticiam. Veni in domum tuam inuitatus ac rogatus conuiua, nec aquam dedisti pedibus meis, quod est uulgaris tamen humanitatis officiũ: hæc autem lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis extersit. Osculũ mihi non dedisti, quod ex more etiam dat uulgaris amicus amico: hæc ex quo ingressa est, præ impotenti affectu nõ desijt osculari pedes meos. Ne uulgari quidem oleo unxisti caput meum, quod officij uulgo præstatur conuiuis quibuslibet: hæc pedes meos, id est, abiectißimam mei partem, precioso unguento perunxit. Noli perpendere quãtum peccarit, sed cõsidera,

quantũ amet. Charitas enim operit multitudinem peccatorũ. Nam illud affirmo tibi, quod illi remissa sunt multa peccata, non quia multum ieiunauit, non quia multum precata est, non quia multas constitutiones pharisaicas obseruauit, sed quoniam dilexit multum, quoniã toto pectore cõfisa est mihi. Quo grauius peccauit, hoc sibi magis displicet, ac me, cuius gratuita clementia liberata est à peccatis, uehementius amat. Ita feliciter illi cessit peccatorum magnitudo. Porrò cui minus remittitur, minus diligit. Vos uobis iusti uidemini ob legis obseruationem, neq; multum habere quod uobis ignoscat deus, & ideo frigidius amatis cõdonantẽ. Hæc loquutus pharisæo dominus, ad mulierem ait: Remittuntur tibi peccata. Nihil illa precata fuerat, nihil cõfessa uerbis, sed euidentius confessa est factis, efficacius precata est lachrymis. Hæc est Christo gratissima confessio. Huiusmodi precibus facillime cõmouctur ad misericordiam. Felices lachrymæ, felix unguenti dispendium, felicia oscula, quæ uocem hanc extorquent à Iesu: Remittuntur tibi peccata. Non enim alia condonat, alia reseruat, sed semel condonat omnia, nihil omnino uitæ prioris imputans ex animo pœnitenti. At nunc mihi uide pharisaicam sanctimoniam. Vera pietas perinde gratulatur commodis alienis ac suis. At pharisei, qui simul accumbebant in conuiuio, Iesu clementiam inuidentes peccatrici, cœperũt tacitis apud sese cogitationibus obmurmurare

murare, dicentes: Quis est hic, qui tantum sibi sumit, ut autoritate sua remittat etiam peccata, quod nemo prophetarum, aut patriarcharum hactenus usurpauit sibi? Ne sacerdotes quidem aliud sibi uindicãt, quàm orare pro peccatis populi. Iesus autem cognitis illorum cogitationibus, quo magis confirmaret animum mulieris, ac pro mœsta lætam domum remitteret, ait illi: Fiducia erga me tua tẽ saluam fecit, uade in pace. Pharisæi sibi persuaserant, holocaustomatis, ac lotionibus condonari peccata. Et habebant quidem illa figuram rerum spiritualium. Verũ dominus Iesus ostẽdit illis, per fidem Euangelicam semel omnia peccata condonari resipiscentibus. Atq; in his quæ narrauimus, adumbrata est imago quædam utriusq; populi, Iudæorum ac gentium, quorum alter inuitauit ad se Christum, multis seculis clamitans: Veni dominc, noli tardare. Verum ubi uenit, nec ipsi receperunt illum sicut oportuit, freti persuasione falsa sanctimoniæ ex legis obseruatione cõcepta, & alijs salutem oblatam amplecti uolentibus obstrepuerunt. Dum enim conantur suam stabilire iusticiam ex oblatione rerum corporalium, iusticiæ dei, quæ per fidem gratis datur, non fuere subiecti. At gentium populus, ad quem non uenerat Iesus, quum esset præter idololatriam, omni uitiorum generi deditus, nec ullam haberet fiduciam ex operibus legis, quam nesciebat: ubi cognouit de Iesu, uelut irrupit ad eum, ac fidei simplicitate promeruit re-

ruit remissionem omnium flagitiorum, ac dei donum quod Iudæi uel spreuerunt, uel frigide amplexi sunt, studijs ardentissimis exosculatus est. Quãquam omnibus in genere propositum est exemplum pœnitentiæ in hac muliere, quencunq; sui pigere cœperit, ne se conuertat ad Mosen, aut pharisæos, nec ad philosophos, tantum properet ad Iesum. Nullus eo clementior, nullus ad ignoscendum propensior. In hunc effundat, quod prius prodigere solitus est in impias uoluptates. Huius obsequio cõsecret omnia membra, quæ prius seruiebant fœdis cupiditatibus. Contactus illius auferet omnia peccata. Si non licet cõtingere caput, apprehendat pedes. Nulla pars Iesu tam humilis est, quim sanet à peccatis. Sanata est à profluuio sanguinis, quæ fimbriam modo uestis contigerat. Sibi patitur imputari, quicquid officij fuerit impensum proximis, etiam infimis. Agnoscet beneficium, quod membris ipsius impensum fuerit. Ne consideret igitur peccator, quantum admiserit, ne subducat rationem benefactorũ suorũ, quasi cum Iesu paria facturus, quem admodum faciebant pharisæi: tantum ex animo sibi displiceat, de Iesu toto pectore cõfidat. Incipiat odisse quod male amarat, incipiat amare quod impie neglexerat. Fides impetrabit à clementissimo domino, quod merita sperare non poterant. Atq; hic interim optime Theophile mihi cõsidera triplicem in hoc cõuiuio personam, peccatricis, pharisæi, & iudicis. Iudex so-

dex solus est uere purus ab omni uitiorum inquinamento, imò fons ipse puritatis omnis. Peccatrix nihil aliud quàm lachrymat, rigat, extergit, osculatur, ungit. Agnoscis officia charitatis in proximum. Pharisæus Iudaica iusticia tumidus, calumniatur seruatoris benignitatem, fastidit peccatricem, atq; etiam inuidet, ipse grauioribus malis obnoxius. Talis est ferè iusticiæ persuasio, quæ nascitur ex uestitu, ex ciborum delectu, ex discretione dierum, ex lotionibus corporis & uasorum, ex prolixis precibus, éque similibus rebus, quæ speciem pietatis habẽt apud homines, quũ in his non sit sita pietas Euangelica. Huiusmodi rebus qui confidunt, & sibi stulte placere solent, et proximos fastidire, & inuidere, & Iesu gratuitam bonitatem calumniari. Quid enim, si mulier illa contigisset pharisæum, quo fastu reiecisset, quibus lauacris semet ab eius cõtagio expiasset? Sic aspernantur peccatricem miserabilem, qui ipsi liuore, fastu, & calumniandi morbo laborant, hoc insanabiliores, quod sibi non uidentur ægroti. Nam plerũque fit ut ab insignibus & apertis uitijs citius resipiscãt homines, quàm ab eiusmodi quæ se tegunt specie sanctimoniæ. Adulterum, temulentum, luxu perditum, idololatram, militem citius conuertas ad bonam mentem, quàm pharisæum, inuidum, sibi placentem, obtrectatorem, dissimulatorem. Iam qualis est conuiuator, tales sunt & conuiuæ pharisæi. Quis est, inquiunt, hic, qui peccata remittit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

remittit? At iudex, qui solus nouerat omnium corda, qui solus sibi poterat ob sanctimoniã superciliũ sume re, pharisæi superbiã ciuiliter corrigit, peccatrici pa trocinatur, confitentem absoluit & consolatur. Pa storis igitur Euangelici fuerit exemplum pharisæi fu gere, & in recipiendis peccatoribus Iesu mansuetudi nem imitari.

CAPVT VIII.

TAnta autem erat Iesu benignitas erga pecca tores, quantumlibet humiles, ut nõ solum unã hanc admiserit ad contactum pedum, uerumetiam ali quot secum circũduceret unà cum apostolis suis, ac se, suosq; harum liberalitate ac ministerio subleuari pateretur. Etenim quum Iesus, per omnia comitanti bus duodecim discipulis, quo latius spargeretur semẽ tis Euangelicæ doctrinæ, subinde locum mutaret, per ambulãs per singulas ciuitates, ac uicos, ne quid de esset rerum necessariarum assidue uagis, & uni nego cio intentis, comitabãtur Iesum & mulieres aliquot, quas uel liberauerat à spiritibus immundis, uel à mor bis sanarat. Inter has erat Maria, cui cognomen Ma gdalene, è qua dominus profligarat dæmonia septem: Præterea Ioanna uxor Chuzæ, qui erat procurator Herodis, ex aulica facta Christi discipula, & Susan na aliæq; complures, quæ memores accepti beneficij, qua poterant, iuuabant rem Euãgelicam, Iesu & eius discipulis ministrantes de facultatibus suis. Christus enim pauperes delegerat apostolos, pauper ipse, nec

poterat

poterat ubiq; paratus esse commeatus, subinde sedem mutantibus, & aliunde aliò proficiscentibus. Conue niebat autem illi tempori, ut per humiles, tenues, & idiotas Euangelicæ philosophiæ primordia iacceren tur. Cæterũ Paulus, cuius ego sectator fui, maluit la borare manibus, q̃ ex alieno uiuere. Multo magis quibus res suppetit domi, & idonei sunt Euangelio prædicando, debẽt gratis, quod habent, impartiri fra tribus. Et tamen æquum esse docuit, ut qui seminarent cibum animi spiritualem, ab his, quibus laborarent, subsidio rerum corporalium, quoties opus esset, suble uarẽtur. Sed ut hanc liberalitatem Christus doceret, esse oportere non extortam, sed ultroneam, admisit quidem in comitatum suũ mulieres aliquot, sed ultro sequentes. Cæterum nec accersiuit ullam, nec à quoq̃ aliquid petijsse legitur, quo magis pudefaceret illorũ impudentiam, qui quum non laborent Euangelio, ta men Euangelij nomine extorquent ab inuitis, non so lum quod satis est ad necessitatem, uerumetiam quod superat ad luxum. Nusquam autem deficiet bonorum spontanea liberalitas eũ, qui syncero animo totus est in Euangelico negocio. Iesus autem ut quaslibet admi sit ad iuuandam rem Euangelicam, ita nec matrem, nec fratres suos admittere solebat, ad impediendum Euãgelij successum. Quodam autem die, quum affluente multitudine domo egressus sese cõtulisset ad la cum, atq; ibi sedẽs in littore, doceret populum: tantæ

uis

uis hominum ex uicinis undiq; ciuitatibus concurre/
bat ad audiendum eum,ut cõdensantibus se turbis,co
actus sit ingredi nauim,atq; hinc uelut è cathedra do
cebat promiscuam multitudinem,multa illi loquens
per inuolucra similitudinum,quo magis excitaret in
illis discendi studium,& altius insideret animo,quod
ænigmate fuisset infixũ. Primum itaq; similitudinem
proposuit,quæ moneret omnes,ut auidis animis acci
perent sermonem Euangelicum,nec satis haberent au
disse,nisi quod didicissent,conferrent ad usum pieta/
tis. Egressus est,inquit,seminator quidam,ut faceret
sementem suam. Ac dum ille nusquam non iacit se=
men suum,cupiens prouentum uberrimum,non æque
felici solo excepta sunt semina:nam aliud iactũ ceci/
dit iuxta uiam publicam,id partim conculcatũ est pe
dibus uiatorũ,& contritum est:reliquũ,quoniam nõ
opertum erat terra,uolucres cœli comederunt. Rur/
sus aliud incidit in solum petricosum, & exceptum
tenui superficie terræ,quæ tegebat petram,enatũ qui
dem est,sed quoniam non suberat terra,quæ suppedi
taret humorem ad iustam maturitatem, mox exortũ
ad solis ardorem exaruit, & in prima statim herba
perijt. Rursum aliud incidit in spinas,& enatum qui
dem est,sed simul exortæ spinæ, quoniam & celeri=
us proueniunt,& densius atq; altius sese spargunt,fa
ctum est,ut suffocaretur herba boni seminis,ne lice/
ret in auram liberiorem emergere. Nec omnia tamen

infelici/

infeliciter cadebant. Erat quod incideret in terram bo
nam,& enatum reddidit fructum centuplum. Hæc lo
quutus dominus,quoniam sciebat non ab omnibus in/
telligi quod dixerat,uolens tamen eos in posterũ me/
minisse parabolæ,quæ pertineret ad salutem omnium,
clamabat,dicens: Qui habet aures idoneas ad audiẽ
dum Euangelicam sapientiam,audiat hæc quæ dixi.
Non enim poscunt crassum aut oscitantem auditorẽ.
Ad uestrum unumquenq; pertinent. Sunt qui similes
statuis,habent aures,sed non audiunt, auriti ad pha/
risaicas cõstitutiũculas,surdi ad doctrinam ueræ pie/
tatis. Discipuli autem,qui erant proximi Iesu,roga/
bant,ut explicaret ænigma parabolæ,quibus ait: Vo/
bis tanquam domesticis amicis datum est nosse myste
rium regni dei. Habent aulæ regum arcana sua, quæ
celantur plebeis,& ab aulæ consortio alienis. Habet
& Euangelij regnum sua secreta,non temere cuiuis
proferenda,sed ita proponenda,ut ab ijs tantum cer/
nantur,qui sunt aulæ domestici:cæteris inuoluta pa/
rabolis,ut qui indigni sunt,uidentes non uideant, &
audientes non intelligant. Est autem hic parabolæ sen
sus arcanus. Seminator est filius hominis: solum, est
cor hominis:semen,est sermo Euangelicus. Non est se
men terrenum,sed cœleste,nec ab homine profectum,
sed à deo,& ideo uocatus sermo dei. Hoc semen nus/
quam non spargit filius hominis: sed Satanæ mali/
cia,& hominum uitio fit,ut in paucis feliciter proue

niat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

niat. Semẽ enim quod cecidit iuxta uiam, eos signat, qui leuiter & oscitanter audiũt sermonẽ dei, ac mox priusquàm insidat animis illorum, uenit diabolus, & immissis diuersis cogitationibus tollit ex animis illorum, quod audierant, uidelicet inuidens illorum saluti, & impijs suggestionibus obsistens, ne salutem assequantur. Quemadmodum enim filius hominis nihil non agit, ut peccatores adducat ad salutem: ita ille nihil intentatum relinquit, ut quoscũ q; potest pertrahat in exitium. Hic igitur post iactum semen sermonis Euangelici, subito aduolãs sublegit priusquàm inhæresat animo, ut nihil iam referat audisse. Porrò semen exceptum in terra petricosa, notat eos, qui sermonem auditum cum gaudio excipiunt, & recondũt in animum suum, sic ut uelut enata herba, spem aliquam pietatis de se præbeant rebus quibusdam extrarijs. Verum quoniam quod audierunt, nõ penitus defixũ est, ac ueluti radices egit in intimos affectus eorum, ad tempus obtemperant sermoni diuino, uerum ad exortam malorum procellam deficiunt, deserentes bene cœpta. Facile est enim rebus prosperis seruare doctrinam Euangelicam, cæterum nisi penitus imbiberis affectũ ueræ pietatis, ubi res aduersæ robur illud desiderant Euangelici pectoris, tum euanescit illa temporaria sanctimoniæ species. Iam semen quod incidit in spinas, notat istos, qui postquam acceperunt semen sermonis Euangelici, nullum inde fructum referunt

uerè pietatis, propterea quod affectus ille uitæ melioris, solicitudinibus huius mundi, diuitijs ac uoluptatibus uitæ præsentis suffocatur & obruitur. Porrò semen iactũ in terram bonam, notat eos, qui corde syncero, attento, ac uacuo accipiunt sermonem salutiferum, & acceptum recondunt memoriæ, ac penitus in intimos demittunt affectus, sic ut nullo malorũ incursu possint dimoueri à semel cœpto studio pietatis. Hãc itaque parabolam Iesus dignatus est suis discipulis priuatim explanare: partim, ut ipsi discerent in cæteris item parabolis sensum reconditiorem pia curiositate inquirere: partim ut quod tum priuatim audiebant, post, suo tempore palàm omnibus prædicarent. Siquidem intelligentia sacræ doctrinæ lumen est, hoc qui impartit, non ideo impartit, ut seruetur abscondi tum, sed ut multis præluceat. Nemo, inquit, accendit lucernam, & accensam operit uase, aut sub lectum reponit, sed imponit candelabro, ut qui domum intrant uideant lumen. Nihil enim nunc priuatim, aut parabolis inuolutum traditur uobis, quod post non sit manifestandum toti mundo: neq; quicquam est nunc tam obscurum & abstrusum ab intelligentia rudiũ, quod progressu temporis non sit per uos eruendum, & in omnium noticiam proferendum. Vobis igitur uidendum est etiam atq; etiam, ut quod auditis, magna solicitudine infigatis animis uestris, ne quid excidat aut pereat. Qui auide accipit intelligentiam mystici

sermonis, ac ueluti thesaurum diligenter reponit in animo, dignum se declarat, cui plura committantur, quandoquidem quod datur, haud indiligenter seruat, siquidem habenti dabitur: qui uero sua negligentia perdidit quod habebat, ei non solum nihil addetur, uerum etiam hoc ipsum quod habere uidebatur, auferetur ab eo, quoniam negligenter habebat thesaurum Euangelicū, quo quanto ditior es, tanto magis cupis diuescere. Atq; his de rebus multas alias parabolas dominus Iesus proposuit populo, quas omnes seorsum exposuit discipulis suis. Vt aūt declararet dominus, quàm preciosa res sit Euāgelica doctrina, quantaq; cura & solicitudine tradenda simul & accipienda, accidit die quodam, ut Iesu docente populum, uenirēt mater & fratres ipsius, cupientes illum conuenire de rebus aliquibus familiaribus, nec patebat aditus obstante densitate multitudinis: itaq; per alios nunciatū est illi, matrem ac fratres stare pro foribus, qui cuperent ipsum conuenire. Iesus autem ut doceret sermonem Euangelicum, rem esse precioſiorem, quàm ut oporteret ob ullos affectus humanos, aut curam rerū domesticarum interrumpi, respondit his qui nūciant: Mater mea, & fratres mei sunt hi, qui audiunt sermonem dei, & faciunt: docens non agnoscendam cognationem carnis, quoties animorum saluti consulitur. Quin & illud dominus uoluit rebus ipsis suos docere, in omnibus tumultibus, quibus hic mundus cooriturus

Venerūt autem ad illū.

Factum est autē in una dierum.

turus sit aduersus professum Euangelicum, non oportere, nec despondere animum, nec suis quenq; uiribus fidere, sed ab ipsius auxilio pendere, nec huius opem in ullis periculis defuturam, si modo nos non deficiat fiducia, si precibus ex animo fusis, illius præsidiū imploremus. Eucnit igitur die quodam, ut Iesus, quum toto die docuisset populum, ingressus nauim cū discipulis, iuberet transmittere in alterum littus, iam appetente nocte. Porrò inter nauigādum obdormijt Iesus, atq; interim exorta uenti procella sic commouit lacum, ut undis in nauim irruentibus, discipuli pericli tarentur. Timentes igitur adeunt Iesum, & excitant dicentes: Præceptor, tu dormis, & nos perimus. At ille surgens increpauit uentum, & aquæ motum, iussitq; conquiescere, & agnouerunt elementa dominū suum. Mox ad iussum eius consequuta est tranquillitas magna. Quo facto, uersus ad discipulos, obiurgās eos, quod ipso præsente tam anxie trepidassent, quum toties audissent, nihil illis obfuturum, si modo fiduciam erga se certam, ac perpetuam obtinerent, dixit: Vbi nam est illa uestra fiducia? Nimirum illius defectus excitauit hos tumultus. Porrò qui uehebātur naui, uidentes ad increpantis uocem subito conquieuisse totam tempestatem, ac perspicientes in eo nescio quid homine maius, correpti sunt timore, simul & admiratione, dicentes: Quis nam est iste? Quandoquidem non solum spiritibus præcipit ut exeant, uerum

etiam inanimis ac surdis elementis, mari ac uentis imperat, & obediunt iussis illius. Quoties igitur contin
get & nos periclitari, quoties in nostris animis obdormierit Iesus, uellicemus eum pijs uotis, expergefa
Et nauiga/ uerũt ad re. ciamus eum assiduis precibus, & ilico tempestas uertetur in tranquillitatem. Malus uentus est ambitio: periculosus turbo est iracundia & odium: horribles undæ sunt malæ cupiditates, subuersuræ cymbam mentis nostræ, sed excitandus dominus, ut his motibus imperet, & cessabit tempestas. Reddita igitur tranquillitate, cnauigarunt in terram Gerasenorum, quæ est è regione Galileæ, pars Arabiæ inferioris. Cum autem egressus esset in terram, occurrit illi uir quidam, multo iam tempore obnoxius sæuissimo dæmoni, adeo ut nec uestiri posset, nec domi uinculis ullis cõtineri, sed uagabatur in monumentis mortuorum, ac frequenter insiliebat in prætereuntes. Is quum ad strepitum appellentiũ hospitum procurisset, suo bono uidit Iesum. Iesus enim misertus hominis, imperabat impio spiritui, ut exiret ab homine. Porrò q tenebatur à dæmonio procidit ad genua Iesu. Attraxerat enim illum uis quædam occulta diuinæ uirtutis. Spiritus autem impurus uociferabatur per os miseri: Quid mihi tecum est, Iesu fili dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas. Vrgebat enim illum iussio domini, ut relinqueret hominem, quem diu uexauerat. Frequenter corripiebat illum, ac miseris modis discruciabat, tanta sæuitia,

sæuitia, ut disruptis compedibus, catenis, & uinculis omnibus, à dæmonio ageretur per loca deserta. Inuitus itaq; spiritus ille relinquebat suam ueterem possessionem: quin & illud metuebat, iam adesse diem, quo forent æternis supplicijs addicendi, malorum omniũ quibus hic affligunt homines, pœnas daturi. Has preces non extorserat malefactorum pœnitentia, sed supplicij metus. Iesus autem, quo notior esset omnibus miraculi magnitudo, interrogabat impium spiritũ, quod esset ipsi nomen. Ille respondit: Legio: nimirum militari uocabulo significans, nõ ab uno dæmonio teneri hominem, sed innumera dæmonum multitudine. Nullum enim magnum peccatum est sine magna uitiorum caterua. Sed nullus est animi morbus tam sæuus, nulla tanta criminũ multitudo, quin cedat ad iussum domini Iesu. Id iam metuentes omnes, orant, ut si uitari non possit, quin eijcerentur, saltem ne iuberentur abire in abyssum Tartari, quẽ locum sciunt sibi destinatum in extremo die. Pascebat autem haud procul ab eo loco grex numerosus porcorum in monte quodam, qui lacui imminebat, ut uel hinc intelligamus eam regionem fuisse ethnicam & impietati deditam. Siquidem Iudæi non uescebantur carne suilla. Dæmones autem rogabant, ut permissu domini liceret immẽgrare in porcos illos. Tanta erat nocendi libido impijs spiritibus. Iesus autem, quo miraculum esset euidentius ac formidabilius, permisit quod rogabant.

Mox dæmonia relicto homine, demigrarũt in porcos. Et ilico totus grex impetu delatus est per præceps in lacũ, atq; ibi suffocatus interijt. Id ubi conspexere subulci, territi fugiunt in ciuitates & uicos, ac renũciant quod factũ est. Illi uix credentes quod narrabant pastores, egressi sunt, ut uiderent rei tam incredibilis argumenta. Vident autem perisse gregem paulo ante numerosissimum. Et reperiunt hominem qui prius tenebatur à dæmonijs, & ob insignem sæuitiam notus erat omnibus, iam placidum, ac sanæ mentis, uestitum, sedentem ad pedes Iesu. Erat enim subito factus ex hospite dæmonũ discipulus Iesu, & qui prius ab impijs spiritibus agebatur ad omne facinus, nunc placido mitiq; spiritu clemẽtissimi domini formatur ad omne studium pietatis. Porrò qui adfuerant, quiq; oculis suis uiderant hominem prius dæmoniacum, & audierant legionem esse dæmonum, mox sanatum, narrabant cæteris quid accidisset. Itaq; corripuit omneis timor quidam, quum glorificare potius oportere dcũ, & amplecti potẽtiam eius, qui misero deploratissimo restituit sanitatem. Cupiunt igitur abire Iesum, metuentes illius potentiam, sed ignorantes bonitatem, ac magis mouentur iactura porcorum, quàm hominis restituti salute. Nõ audent tamen eijcere, sed rogãt publicis precibus Gerasẽni, ut decedcret è finibus ipsorũ. Tantus timor omneis occuparat. Iesus autem, ne proijceret sanctum canibus, reuersus est ad nauim. Cæ-

terum is qui liberatus erat à dæmonijs, orabat Iesum, ut liceret esse in illius comitatu, cui salutem debebat. Iesus autem id non permisit: sed redi, inquit, in domum tuam, ut te narrante, teq; conspecto, certo cognoscant omnes, qualis ante fueris, & qualis iam sis dei beneficio. Me recusant hospitem tui, saltem tu testis esto apud illos, quàm sibi inuiderint me eijcientes. Paruit homo iussis domini, ac profectus in Decapolim, perq; omneis ciuitates, prædicabat apud omneis, quantũ beneficiorum accepisset ab Iesu. Erat hoc aliquod rudimentum Euangelicæ prædicationis apud homines crassos & impios, ac porcis illis, in quos demigrarunt dæmonia, simillimos. Nec inanis fuit omnino dæmoniaci prædicatio, credidere multi, & admirati sunt. Hac nimirum imagine docuit nos dominus Iesus, nullis quamlibet impijs non esse offerendam Euangelij gratiam, inuitis tamen, & asper-
nantibus non esse obtrudendam, sed rursus ita discedendum ab illis, ut scintillam aliquam relinquamus ueræ pietatis, olim fortassis per occasionem emicatu-
rã. Reuectus est itaq; Iesus unde uenerat, uidelicet in Galilæã, ubi iam celebris erat, & admirandus omnibus. Redeuntem igitur excepit ingens hominum multitudo, quæ magnis desiderijs expectarat Iesu reditũ à Gerasenis: & ecce rursus occasio, quæ declararet, quàm Iesus esset expositus omnibus ad subueniendũ, diuitibus simul ac pauperibus, bonis ac malis, quan-

Factum est autem cum redisset.

toq; minus haberent fiduciæ, qui apud Iudæos uide/bantur esse religionis proceres, quàm hi qui in plebe habebantur contemptissimi. Adijt enim Iesum quidam ex proceribus synagogæ, nomine Iairus, cui filiæ erat domi puella, annos nata plus minus duodecim, ea iam agebat animam. Accidit igitur ad pedes Iesu rogans, dignaretur adire domum suam, ac subuenire filiæ morienti. Sic uocari solet medicus, ueni, experire quid possis. Quanto plenior fiducia Centurionis, qui negauit esse opus præsentia corporis, sed simplici dicto Iesum sanare posse, quem uellet? Morem gessit Iairo Iesus, properans ad ædes illius. Ecce autem intereundum, condensantibus undiq; sese turbis (tanta erat uidendi, audiendq; sitis omnibus) comprimebatur Iesus. In confertam turbam ingesserat se mulier quædam, quæ iam annis duodecim laborarat fœdo et abominabili morbo, profluuio sanguinis, et amore sanitatis omnem substantiam suam erogarat in medicos, semper meliora pollicentes: sed nihil opis attulerant, nisi quod morbo addiderant aliud malum, paupertatem. Ibi prudens mulier destituta auxilio hominum, confugit ad opem diuinam, mira concepta fiducia de Iesu, ut si quicquam possit illius contingere, fore ut sanaretur. Pudor autem obstitit, quo minus prodiret illi in conspectum, ac morbum pudendum aperiret. Sed ueluti suffurari cupiens ab eo salutis beneficium, adrepsit à tergo, & attigit extremam oram

uestis

uestis illius, quæ in compressu multitudinis huc & huc trahebatur. Nec mora, protinus sensit abisse morbum ac sisti profluuium sanguinis. Iesus autem nequaquam inuidens mulierculæ salutem, sed Archisynagogo cæterisq; Iudæis uolens exhibere formam absolutæ fiduciæ, dixit: Quis me tetigit? Quum cæteri, qui aderant uicini, negarent se tetigisse eum: Petrus cæteriq; discipuli, qui Iesu proxime hærebant, dicebant: Præceptor, undiq; premit te & afflictat hominum confertissima frequentia, & perinde quasi unus aut alter adsit, rogas, quis te contigerit? Iesus autem subindicans se non de uulgari contactu loqui, de quo sentiebant discipuli, respondit: Aliquis nõ uulgari more me tetigit, sibi cõscius est, quisqs ille fuit. Nam ipse quoq; ad contactũ sensi uirtutem à me profectam ad eũ, qui me tetigit. Quũ nemo respõderet, & Iesus circũferret oculos, quasi quæritans quis esset, qui beneficiũ hoc suffurari uellet, mulier intelligens nõ latere Iesum, quod furtim fecerat, multo cũ tremore prodijt in conspectũ Iesu, & accidens ad pedes eius, professa est corã uniuerso populo, et quam ob causam cõtigisset eũ, & quemadmodũ ilico sanata sit à morbo, quo duodecim annos laborauerat, frustra sudantibus medicis. Hanc confessionẽ extorsit clementissimus dominus, nõ ut mulierculam traduceret, sed ut ostẽderet Iudæis, quantũ possit certa fiducia. Iesus autem cõsolans mulierem trepidam, & obiurgationem expectan

 tem, ait:

tem, ait: filia fiducia tua tibi promeruit salutem. Vade in pace, sitq; tibi hoc meum beneficium perpetuũ. Hoc dicto tetigit pharisæos & scribas, qui plus spei reponebant in suis operibus, quàm in bonitate dei. Nondum finierat hæc uerba dominus Iesus, dum accurrit quidam ex ædibus Archisynagogi, qui dixit illi: Noli molestus esse domino, frustra uenturo, filia tua iam mortua est. Qui hoc nunciabat, nihilo magnificentius sentiebat de Iesu, quàm de medico quopiam eximio, qui posßit ægrotanti succurrere, mortuam excitare non possit. Ad hunc nuncium quum Iesus uideret exanimatum Iairum, consolatus est eum, dicens: ne metue, tantũ confide, & salua erit puella. Vbi uentum est ad domum Archisynagogi, Iesus non est passus è turba quenquam ingredi secum, præter Petrum, Iacobum, & Ioannem, cumq; his patrem & matrem puellæ. Ingressus reperit domum plenam luctus. Flebant enim omnes amici, & cognati defunctam, quod officium etiam ambitione solet exhiberi diuitibus uita defunctis. Adhibent enim, qui lamententur, qui canant lugubria, qui planctu testentur dolorem. Hanc pompam omnẽ cohibuit Iesus, dicẽs: Nolite flere. Nõ enim est mortua puella, sed dormit. At illi deridebant eum, scientes certo puellam esse mortuam. Iesus autem cũ paucis ingressus in cõclaue, ubi iacebat exanime cadauer puellæ, uelut excitaturus eam, arripit manum eius, ac uoce clariore dixit illi: puella surge.

Quid

Quid consequutum est? Nemo facilius expergiscitur ad uocem excitantis, quàm illa reuixit ad uocem appellantis. Non enim solum redijt anima in domicilium unde fuerat egressa, uerum etiam ut alacris uegetaq; surrexit, & ambulabat. Iesus autem quo certius esset uitæ restitutæ documẽtum, iußit illi dari cibum. Quo uiso uehementer obstupuere parentes puellæ. Iesus autem edixit illis, ne cui dicerent, quod accidisset, quasi cupiens hoc miraculum paucis esse cognitum: siue quo nos doceret, non esse uenandam ab hominibus benefactorum gloriam, siue ut hac figura significaret in leuioribus erratis sufficere secretam correptionẽ. Puella enim mortua designat hominem per imbecillitatem collapsum in culpam. Mors adhuc erat recens, cadauer nondum prodierat in publicum. Itaq; exclusa turba, res paucis testibus peracta est. Felices autẽ, quos comprehendere dignatur Iesus.

CAPVT NONVM.

ATQVE hactenus quidem Iesus per se gessit Euangelij negocium, duodecim apostolos interim uarijs modis formans atq; instituens, uelut post acceptum spiritum sanctum in prædicandi munus successuros. Eoq; factorum ac sermonum suorũ perpetuos testes esse uoluit. Verum ut interim ipsi quoq; specimen aliquod sui darent in tanti muneris functionem, & uiuo adhuc domino sui periculum facerent; cõuocauit eos omneis in unum, ne quid in prædicatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatione discordarent. Ne uero prædicatio humilitũ & idiotarum omnino careret autoritate, addidit illis uirtutem ac potestatem eijciendi omne dæmoniorum genus, & omne morborum genus sanandi. Congruebat enim, ut qui regnum dei prædicarent, haberent ius in impios dæmones, hostes dei: & qui prædicarent eam doctrinam, quæ sanaret omneis morbos animorum, uirtutem haberent sanandi morbos corporum: simulq; decebat, ut ad Euangelij professionem homines beneficijs potius, quàm terroribus allicerentur. Ad meum, inquit, exemplũ libenter & gratis uestra potestate subuenite morbis & calamitatibus omnium: ne synceritatem Euangelicæ prædicationis aliqua quæstus suspicione uitietis. Præscripsit autem, quid oporteret illos docere. Nec enim mandauit illis, ut docerent legis ceremonias, mox abolendas: non humanas cõstitutiunculas, cuiusmodi docere solent scribæ & pharisæi, circumeuntes mare & aridam, ut facerent unicum proselytum: sed ut docerent adesse regnum dei, quod iam non in rebus corporalibus situm esset, sed in spiritu & uirtute. Hæc satis erat tum prædicare rudibus ad præparandum animos hominũ doctrinæ sublimiori. Ne uero remoraretur illos ab Euãgelij negocio solicitudo rerum ad uitam corporis necessariarum, ait illis: Ne quid impedimentorum tuleritis uobiscũ in uiam, neq; baculum ad defensionem, neq; peram reponendo commeatui, neq; zonam repo

nendis

nendis nũmis, neq; binas tunicas: certi, nihil horum uobis usquam defuturum, si synceris animis, iuxta meum iussum curauertis Euangelij profectum. Nusquam enim nõ erunt, quorũ ultronea benignitas suppeditet, quod in diem uiuentibus, & paulo contentis satis sit. Nec est quod de hospitio sitis soliciti. Vbicunq; cognoueritis esse dignos regno dei, ad illos diuertite, ne subinde aliunde aliò demigrantes delicias quæsisse uideamini. Sed contenti his quæ illic reperieritis, tam diu manete apud illos, donec Euangelij profectus hortabitur uos, ut aliò proficiscamini. Quod si cubi euenerit, ut nemo uos recipiat, agnoscite dignitatem uestri muneris, neq; conemini inuitis obtrudere, quod ab omnibus oportet expeti: continuo relinquite ciuitatem illam, adeo nihil ab illis accipientes, qui reijciunt uestram prædicationem, ut etiã pulucrem, qui forte pedibus uestris hæsit, excutiatis in illos, testificantes quod gratis illis annunciaueritis regnum dei, & quod ipsi sese reddiderint indignos tanto munere gratis oblato. His alijsq; multis sermonibus, ubi Iesus instruxit suos, abierunt apostoli bini, et peragrantes uicos, ubiq; prædicabant adesse regnum dei: atq; ubicunq; repererunt dæmoniacos, aut ægrotos, aut alio corporis uitio obnoxios, sanabant in nomine Iesu. Hoc erat primum rudimentum apostolicæ prædicatiõis. His rebus adeo celebris facta est fama Iesu, ut rumor omniũ quæ gerebat permanarit ad Herodem te-

Et audiuit Herodes tetrarcha.

trarcha.

dem Tetrarcham. Quum enim Iesum ignoraret, & audiret esse quendam, qui iussu propelleret dæmones, fugaret morbos, restitueret mancos, & contractos, mundaret leprosos, excitaret mortuos, erat ancipitis perplexiq; animi, quisnam esset hic subito exortus. Quidam autem iactabant Iesum esse Ioannem, quem Herodes paulo ante occiderat, qui reuixisset, & ideo iam ueluti semideus factus, tantis miraculis polleret. Alij dicebant eum esse Heliam, quem raptum igneo curru, Iudæi rediturum expectabant iuxta uaticinium Malachiæ. Rursus alij suspicabantur alium quempiam è priscis prophetis, quorum apud Iudæos erat sacrosancta memoria. Herodes autem sibi metuens, si Ioannes reuixisset, quem occiderat, & incredibile dictu, ut homo semel extinctus reuiuiscaret, dicebat: Ioannem ego decollaui, quo sublato, putaui neminẽ superesse, qui magnũ aliquid auderet. Quis aũt est iste, de quo etiã longe maiora audio, quàm unq̃ gesit Ioannes? Proinde quærebat occasionẽ uidendi eũ, nõ ut melior fieret, sed ut suæ satisfaceret curiositati, aut si uideretur, idẽ huic faceret, quod fecerat Ioanni. Iesus aũt quum hæc non ignoraret, nõ fecit illi sui copiam. Non enim in hoc uenerat, ut miraculis suis pasceret oculos impiorum principum, sed ut simplices ad salutem adduceret, nec placebat decollatio, qui sibi destinarat sublime crucis uexillum. Post hæc reuersi sunt duodecim ad Iesum, magna cum alacritate narrantes,

rantes, quomodo successisset Euangelij prædicatio, quantumq; miraculorum ædidissent & ipsi in nomine ipsius. Iesus autem reuocauit illos ad modestiam, ne quid successu talium rerum insolescerent: Nam miracula geri uirtute dei, non hominum: nonnunquam autem ædi per homines, non destinatos æternæ uitæ: Solam autem animi pietatem hominem reddere beatum: siue miraculorum uirtus adsit pro temporis ratione, siue non adsit. Iesus igitur ut ipso facto doceret illos, quo pacto deberent cibo sermonis Euangelici, quem ab ipso didicissent, pascere multitudinẽ, secessit cum illis in locum desertum, quo paulisper requiescerent ab itineris labore. Nam tantus erat illic cõfluxus hominum, ut nõ uacaret illis uel cibum capere. Abduxit igitur eos in desertum uicinum ciuitati Galilææ Bethsaidæ, quæ communis erat patria Petri, Andreæ & Philippi. Hic nimirum secessus nõ datus est ad ineptas uoluptates, aut somnum, sed ad tranquillitatem orandi, & gratias agendi deo. Talem enim oportet esse relaxationẽ uirorum apostolicorum. Cæterũ ubi rumore sparsum esset, quò se subduxisset Iesus, innumerabilis hominum multitudo undiq; conglomerans sese, secuta est illũ in desertum. Iesus autem uidens illorum auiditatem, prodijt è latebris, in quas secesserat, & adeo non repulit eos, ut ultro etiam iret obuiam, & illud interim docens discipulos suos, à secessu breui statim redeundũ ad Euangelicam functionem.

Et assumptis illis.

Iesus

Iesus autem progressus, ubi uidit infinitam uim uirorum, mulierum, ac puerorum uarijs ex locis pedibus tanto itinere peruenisse in desertũ, uelut oueis huc et illuc palantes, pastore destitutas, tactus misericordia, primum animos illorum pauit, multa loquens illis de regno dei, tum eos qui morbis alijsq; corporis malis tenebantur, sanabat. Hæc dum aguntur, cœpit inclinare dies. Apostoli uero considerantes turbam esse immensam, appetere uesperam, locum esse procul semotum ab oppidis & uicis, nullum esse commeatum: submonent Iesum, dicentes: Dimitte turbas in tempore, ut in oppidula, uillasq; proximas abeuntes, parẽt sibi cibum. Nam hic locus desertus est. Iesus autem, ut ostenderet non defuturum cibum his, qui toto pectore uacarent Euãgelicæ doctrinæ, simulq; hoc agens, ut euidens esset miraculum, quod decreuerat ædere, respondit discipulis: Non est necesse, ut hac gratia diuertant in oppida & uillas, quin potius uos ipsi date illis cibum: subindicans & hoc esse nonnunquam apostolici muneris, de suis facultatibus, quamuis exiguis, subleuare necessitatem sui gregis. Nec deerat animus apostolis, sed dolent deesse facultatem. Itaque respondent: Non est nobis quicquam ciborum, præter quinq; panes, & duos pisces. Hoc commeatus uix nobis paucis suffecturum est in cœnam, nisi fortè uis ut nos eamus in proximos uicos, empturi cibos tantæ multitudini suffecturos. Atqui ad eam rem opus esset multis

multis denarijs, quum apud nos pecuniæ sit quàm minimum. Erant enim fermè quinque uirorum milia. Ad hæc Iesus: Facite ut discumbant omnes per sodalitia, sic ut quinquageni simul accumbant. Sic enim solent, qui multis exhibent conuiuium, singulis mensis certum adhibere numerum, ut sciant promi ac ministri, quantũ debeant apparare. Apostoli, tametsi nihil uiderent apparatus, tamen ad iussum domini iubent populum per sodalitia discumbere, ueluti ampliores epulis. Simili simplicitate obtemperat & populus. Iesus itaq; nouus conuiuator, accepit quinque panes ac duos pisces, & subrectis in cœlum oculis, uerbis bene ominantibus primum consecrauit cibum, deinde fregit, mox distribuit discipulis, ut apponerent turbæ. Refecti sunt omnes usq; ad satietatem: & adeo nihil defuit, ut expletis omnibus, collecti sint per discipulos duodecim cophini fragmentorũ. In his quoq; latet doctrinæ secretioris imago. Habent apostoli commeatum, sed Iesu. Is ut uilis est ac plebeius, ita pusillus est. Multiplex enim est Mosi doctrina: uaria, & opipara est philosophorum eruditio: at simplex ac breuis est sermo Euangelicus, sed qui sufficiat reficiendis animabus omnium gentium, si quemadmodum oportet, & tradatur & accipiatur. Apostolicis uiris creditus est sermo, quo saginantur animæ: sed hunc non apponunt populo, nisi prius à Christo consecratum ac fractum. Tum enim demum uerus est fructus

Euangelicæ prædicationis, si doctor quod habet sibi creditum donum eruditionis, non arroget sibi: nec ne luti de suo temere promat, sed Christo reddat conse/crandũ. Alioquin inanis erit opera docentis, nisi ille sermonem benedixerit, nisi fregerit, nisi distribuendum tradiderit suis manibus. Efficax enim est, quicquid ab illis manibus proficiscitur. Ille est qui pascit, qui reficit, qui satiat. Episcopi nihil aliud sunt, quàm ministri, ac dispensatores liberalitatis alienæ. Populus interim per sodalitia discumbit humi, nihil hæsitans, nihil murmurans: significans, in cœtu ecclesiastico oportere adesse modestiã, ac simplicẽ animi fiduciã, & abesse discordiam ac tumultũ omnem. Quin & illud mihi considera mysterij. Dominus Iesus primum docuit ac sanauit, deinde pauit. Est autem & sermo diuinus animæ cibus, sed huius aliqua portio nõ negatur etiam impijs, & catechumenis. Est enim mediana mentium, & refectio imbecillium. Idem enim agit salutaris doctrina in animis peccatorũ, quod Iesus uerbo, contactuq; suo faciebat in morbis corporum. Sed est panis mysticus, qui non datur nisi iam doctis, ac sanatis. Hic nimirum est cœlestis ille panis corporis dominici, qui non datur his, qui nondum recepti sunt per baptismum in corpus ecclesiæ, nec his, quorũ animus adhuc tenetur aliquo graui crimine, ueluti morbo capitali. Nec solidus ille cibus sapientiæ recondi/tioris, quem Paulus nõ promebat nisi inter perfectos,

proferen/

proferendus est quibuslibet. Porrò quoniam dominus sic temperarat omnia dicta factaq;, ut nũc promeret indicia diuinæ uirtutis, nunc ostenderet ueritatem humanæ naturæ, uariabant hominum de illo opiniones. Quoniam autem oportebat apud eos, per quos statuerat mundum innouare, concordem & consentientem esse de ipso professionem: quum solus erat orans cum discipulis suis, percõtatus est illos, quid de se sentiret populus, aut quem esse dicerent. Discipuli respõdent: Alij suspicãtur te esse Ioannem baptistam, qui reuixerit: alij uero Heliam, quem Iudæi putant rediturum antequam ueniat Messias: alij porrò credunt uirum quempiam è priscis illis prophetis reuocatum in uitã. Tum Iesus: Vulgus suo more uacillat, nec sibi constat. Vos autem, qui me propius ac domestice nostis, quem me esse dicitis? Ibi Petrus cæteris ardentior, omniũ nomine respondit: Nos te scimus esse Meßiam, quem deus unxit omnibus dotibus cœlestibus. Iesus autem approbat quidem illorum rectam professionem, sed interminatur, ne cui, quod sentirent, dicerẽt: Nondum enim uenisse tempus eius mysterij palàm omnibus aperiendi, prius esse peragendum mortis sacrificium, perq; multas contumelias ad eius nominis gloriam esse perueniendum. Oportet enim, inquit, filium hominis multa perpeti, & reprobari à senioribus & scribis & principibus sacerdotũ, deniq; occidi etiam, ac mox tertio die resurgere. Cauendum igitur, ne uel

huius nominis gloria nunc prædicata, ob corporis af-
flictionem ac mortem, fidem non inueniat, ac mortem
meam impediat. Quum autem Petrum ad mentionem
mortis inhorrescentem, & ad diuersa consilia cohor-
tantem compescuisset, cœpit & suos discipulos ad imi-
tationem suæ mortis adhortari, dicens: Sic uisum est pa-
tri, hac uia perueniendum ad gloriam. Qui uult esse
meus discipulus, si cupit esse particeps felicitatis, de-
bet imitator esse mortis. Non satis est me consectari pe-
dibus, factis sequatur oportet, alioqui non agnoscam di-
scipulum. Quisquis enim acœsserit ad Euangelij prædi-
cationem, se totum abneget, & omnibus huius uitæ cu-
ris semel renunciet, opibus, uoluptatibus, honoribus, co-
gnatis, affectibus, denique uitæ ipsi, tollátque crucem
suam quotidie, semper animum habens paratum ad o-
mnia, quæ me uidetis perpeti. Præcedam magister, se-
quatur qui uolet esse discipulus. Nec est quod metuatis
uobis exitium. Sic perire, seruari est. Quisquis enim
mea causa uitæ iacturam fecerit, is uitam suam in tuto
collocauit. Contrà, qui resiliens ab Euangelico nego-
cio, uoluerit seruare uitam corporis, is perdet animæ
suæ uitam, quæ uera denique uita ducenda est. Huius
seruandæ gratia rerum omnium iacturã accipere pru-
dentis est. Quid enim profuerit homini, si lucrifecerit
quicquid hic mundus habuerit expetendum, quum sui
ipsius iacturam faciat? Homine pereunte, pereunt &
illa quæ parauerat. Totus autem perit, qui perdidit
uitam

uitam æternam. Ne pudeat discipulum ea perpeti, quæ
ego passurus sum. Ne pudeat apud omnes meam pro-
fiteri doctrinam. Etenim quem mei, meorumq; sermo-
num puduerit apud homines, offensum ignominia
crucis, huius uicissim pudebit filium hominis, cum de-
posita carnis infirmitate, denuo ueniet, proferens uni-
uerso mundo maiestatem suam, patris, & sanctorũ an-
gelorum. Et ne dubitetis olim futurum, quod dico: illud
uobis affirmo pro certo, sunt hic inter uos astãtes qui-
dam, qui non exibunt ex hac uita, nisi prius uiderint
aliqua ex parte maiestatem regni dei: quod nũc latet,
olim patefiet omnibus. Vt autem præstaret Iesus, quod
erat pollicitus, dic ab hoc sermone fermè octauo, sele-
git è duodecim tres, Petrum, Iacobum, & Ioannem,
& conscendit ex more montem, ut illic oraret. Atque
inter precandum, subito mutata est facies eius in aliam
speciem, maiestatis & gloriæ plenam, ac uestimenta
eius niueo candore relucebant. Conspiciebãtur autem
simul & duo uiri simili maiestate colloquentes cum
eo, quorum alter Moses, alter Helias. Lex enim typis
abumbrarat Iesum, prophetiæ designarant. Horum
cum Iesu colloquium, quid aliud est quàm ueteris ac
noui testamenti consensus? Colloquebantur autem de
mortis genere, quam iuxta prophetiam ab ipsis olim
proditam dominus completurus esset Hierosolymæ,
quo rursus gloriæ suauitas, mentione mortis tempera-
retur. Hæc autem non planè perspiciebant apostoli,

quod oculos haberent somno grauatos. Cæterum ex/
perrecti planè uiderunt maiestatem domini, simulq;
duos uiros illi assistentes. Qui cum inciperent ab Ie/
su discedere, Petrus metuens ne pariter discederet to
tũ illud iucundum spectaculum, dixit ad Iesum: Præ/
ceptor, non est hinc usquam abeundum. Valeat Hie/
rosolyma, quæ tibi mortem minatur. Quin potius fa/
ciamus in hoc monte tria tabernacula, unum tibi, unũ
Mosi, & unum Heliæ. Hæc Petrus, uelut ebrius dul/
cedine uisionis, loquebatur, nesciens quid diceret.
Quærebat enim triumphum ante uictoriam, & bra/
beum ante certamen. Hæc loquente Petro, oborta est
subito nubes, & obumbrauit discipulos, non iam su/
stinentes in corpore mortali tantæ gloriæ spectacu/
lum. Dum autem Moses & Helias ingrediuntur in
nubem, euanescentes ab oculis discipulorum (æquum
enim erat, ut apparente luce ueritatis Euangelicæ, ce
derent umbræ & obscura figurarum ænigmata) uox
patris sonuit de nube, dicens: Hactenus Iudæi suspe/
xerunt Mosen & Heliam, qui uaticinati sunt de
filio meo: magni fuerunt illi, sed serui mei. Hic au/
tẽ est ille filius meus, unice charus animo meo, ipsum
igitur audite. Hac uoce sonante, repertus est Iesus so/
lus, ne suspicarentur in alium quàm in ipsum eius uo
cis testimonium pertinere. Porrò tres illi discipuli, ita
ut iussi fuerant à domino, siluerunt: neque cuiquam
narrauerunt arcanum eius spectaculi, donec resurre/
xisset

xisset à mortuis. Noluit enim dominus ante mortem
suam prædicari diuinam maiestatem suam: siue ne
qua res impediret illud sacrificium, quo restituendum
erat genus humanum: siue ne frustra prædicaretur,
quod nullus esset creditur us. Simul autem ipsa re nos
docuit, si quid in nobis magnificum fuerit, cælandum
potius esse, quàm iactandum: & si quam habemus à
deo donatam uirtutem, eam factis esse declarandam,
potius quàm prædicatione. Postero die descendit Ie/ Factũ est au
sus de monte cum tribus discipulis. Reperit autem in/ tem sequen/
gentem hominum multitudinem circa reliquos apo/ ti die.
stolos, quos ascensurus in montem reliquerat. Popu/
lus autem ut uidit redeuntem Iesum, occurrit illi. De/
siderauerant enim illum. Et acciderat recens, cuius
gratia requirerent illius præsentiam. Clamabat enim
quidam è turba, dicens: Magister, obsecro te, moue/
at te calamitas filij mei. Nam mihi unicus est. Tene/
tur autem à sæuissimo dæmone, qui subinde corripit
eum, ac miseris uexat modis, magno cum clamore,
elidens eum in terram, ac discerpens spumantem in/
terim. Quoties autem corripuit eum, uix ab eo disce/
dit, nisi toto corpore dilaniato. Rogaui discipulos tu/
os, ut ejicerent spiritum. Conati sunt, nec potuerunt.
Iesus autem intelligens, hoc acciderisse propter incredu
litatem patris, qui filio orabat salutẽ, obq; infirmam
adhuc fiduciam discipulorum, exclamauit, dicens: O
natio diffidens, minimeq; simplicis animi, quàm diu

uersabor apud uos & ista patiar? Nondum hoc efficio, ut mihi fidatis? Adeo uobis obstat huius corporis imbecillitas? Et uersus ad hominẽ, simulq; stipulatus ab eo fiduciam firmiorem: Adduc, inquit, huc filium tuum. Vt autem adductus est ad Iesum, rursus corripuit illum dæmon, elidens puerum in terram, móxque Iesus restituit eum sanitati, ac reddidit illum patri sanum, quem adduxerat insanabilem. Quo miserabilius fuerat mali spectaculum, hoc magis admirati sunt omnes præsentiam uirtutis diuinæ. Quum autem huiusmodi factis indies inclarescceret fama Iesu, discipulorum animos tentabat quædam humana gloria, quod talem haberent dominum, in cuius nomine patrarent & ipsi miranda. Iesus autem ab hoc affectu reuocat eos ad contemplationem humilitatis, qua post erant offendendi. Vos, inquit, delectat miraculorum gloria: sed magis refert, ut hos sermones, à quibus abhorret animus uester, infigatis cordibus uestris. Hoc enim oportet maxime meminisse, quod oportebit omnes imitari. De gloria ego uidero. Futurum est enim, quod iã dixi, & iterũ dico, ut filius hominis, cuius gloria uos nunc delectat, mox capiatur, & tradatur in manus hominum, & affligatur multis modis, ac morte demum afficiatur. Hic sermo tametsi iam semel atque iterum auditus, non insederat animis discipulorum. Nõ enim poterant meminisse, quod non libebat audire. Abhorrebant à mentione mortis, intenti gloriæ Iesu, non intelligentes

Omnibusq; mirantibus.

telligentes, interim domini gloriam per crucis ignominiam potissimum illustrandam esse. Audiebant autem de morte, sed tanquam per somnium, nequaquam sentientes, quid hoc sibi uellet, quod dicebatur: nec ausi tamen sunt illum interrogare, quid sibi uellet hic sermo, memores, Petrum ingerentem sese audisse: Vade post me Satana, non sapis ea quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum. Post hæc Iesus ibat Capernaum, discipulos uero carnales adhuc, quoniam uiderant miraculorum gloriam, quoniam audierant promissam maiestatem regni dei: quoniam ipsi quoq; prodigiosa fecerant in nomine Iesu, subijt humana quædam cogitatio, quæ tandem eò erupit, ut hac de re inter eundum inuicem commentarentur, quis esset primas habiturus in regno dei. Somniabant enim tale quiddam fore in regno cœlorum, quale uiderant in aulis principum, aut in ædibus diuitum: ubi qui elatior est ac ferocior, is maior est. Iesus autem tametsi non ignoraret, quid inter sese disputassent, tamen ingressus domum interrogauit eos, quid hoc esset rei, de quo inter eundum disputassent. Obticescentibus illis præ pudore, Iesus ut ostenderet se non latere cogitationes & clancularios sermones ipsorum, apprehendit puerum quendam, ac statuit illum iuxta se, & conuocatis duodecim, ait: Vos disputatis de magnitudine. Apud me maximi sunt, qui minimi sunt. Quid hoc puero simplicius, quid humilius? Tales oportet uos fieri, si uelitis esse

Intrauit aũt cogitatio.

primates in regno Euangelico. Nescit ambitionem, nescit dominatum, nescit tyrannidem regnum fidei & charitatis. Quisquis exceperit puerum hunc in nomine meo, me recipit. Quisquis autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Si ego dominatum in uos exercui, disputate & uos de primatu: sin omnium potius commodis inseruiui, fugiens omnem huius mũdi gloriam, scitote illum magnatem fore inter uos omnes, qui cõtemptu gloriæ, qui modestia, qui seruiẽdi omnibus studio, minimus fuerit omnium. Quoniam autem audierant etiam paruulos esse recipiendos in nomine Iesu, uenit in mentem Ioanni, quod quendam excluſissent ab Euangelij consortio. Dubitat igitur, quemadmodum omnes essent admittendi ad contubernium salutis Euangelicæ, an itidem omnes essent admittendi ad functionem prædicationis Euangelicæ, & peractionem miraculorum. Suberat autẽ & hic tacitus quidam affectus inuidentiæ. Solis duodecim dominus Iesus donarat potestatem eijciendi dæmonia, ac sanandi morbos. Hanc dignitatem non putabãt alijs communicandam. Ait itaq; Ioannes: Præceptor, quum abs te missi, prageremus munus Euangelicũ, uidimus quendam eijcientem in tuo nomine dæmonia, quum tamen non sit de numero duodecim, ac ne sequatur quidem te. Hunc tanquam alienum à nostro contubernio, prohibuimus ne faceret. Iesus autem, qui nusquam se patitur à spiritibus impijs prædicari, docet homines, quos Iesu cunq;

Iesu cunq; non prohibendos ab Euangelico negocio: etiamsi parum syncero id animo faciant, modo faciãt, inquit, in Iesu nomine quod faciunt, & idem faciant quod uos. Quisquis enim non aduersatur nobis, hoc ipso pro nobis facit, quod non facit contra nos. Rei nouæ, ac modis omnibus diuulgandæ prodest omnis fauor. Miraculum non est eius qui facit, sed eius qui uirtutem suam ædit per ministrum hominem. Quisquis igitur miraculum ædit inuocato meo nomine, illustrat gloriam meam, sibiq; ius adimit in posterum male loquendi de me, cuius nomen expertus sit tã efficax. Accidit autem, ut quum instaret tempus, quo Iesus relictis terris recipiẽdus erat in cœlum, dominus ingressus esset iter, ipso uultu præ se ferens, quod iret Hierosolymam, uelut occursurus ad mortis occasionẽ. Præmisit itaq; nuncios ex apostolis aliquot, ut in ciuitate quadam Samaritanorum, quâ erat iter, pararent sibi hospitiũ. Vt autem uenerunt, ciues occluserant eis portas ciuitatis, eo quod ex ipso habitu, uultuq; coniectarent, quod peterent Hierosolymam. Samaritani uero, quoniam adorabant in monte, oderant & abominabantur omneis, qui religionis causa peterent Hierosolymam. Iacobus autem & Ioannes, qui missi fuerant, ubi uiderunt inhumanitatem ciuium, qui mœnibus etiam excluderent, cõmoti dixerunt domino: Domine uis, ut iubeamus ignem è cœlo descendere, quemadmodum fecit Helias, qui cõsumat istos? Iesus

Factum est aũt.

Iesus autem ut ostenderet, quantam oporteat esse mansuetudinem Euangelici doctoris, increpatione cohercuit illorum iracundiam, dicens: Nolite uobis Heliæ factum in exemplum uocare. Ille spiritu ductus, eius temporis perdidit impios. Vos autem nondum intelligitis, cuius spiritus uos esse oporteat. Mansuetior est Euangelicus ille spiritus. Erit olim uindictæ tempus, interim filius hominis uenit, non ut perdat animas, sed ut seruet. Qui nunc excludunt, fortassis in posterum recipient. Seruandi sunt igitur, ut sint qui possint resipiscere. Et eo oppido relicto diuerterunt in aliud oppidulum. Hoc sermone Iesus exemit ex animis illorum omnem uindictæ cupiditatem: docuitq; lenitatem erga eos, qui primum excluderent doctrinam Euangelicã, quod hos satis esset ad tempus relinquere, donec per occasionem conuerterentur ad mentem meliorem. Rursus accidit inter eundum, ut quidam ultrò diceret Iesu: Sequar te, quocunque ieris. Iesus autem uolens ostendere non esse admittendos ad consortium Euangelicæ functionis, qui non adferrent animos ei negocio pares: satius enim esse, non suscipere negocium, quàm à suscepto deficere, dixit illi: Vulpes habent sibras latebras in terra, ac cœli uolucres habent suos nidos in arboribus, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Non est igitur idoneus sectator huius, qui quicquam habet in hoc mundo, quo semet oblectet, aut in quo conquiescat. Omnibus renunciet oportet

oportet, qui me sequi uolet. Rursus ubi conspexit alterum quendam, dixit illi: Sequere me. Ille autem respondit: Domine, permitte mihi, ut prius sepeliam patrem meum. Iesus autem subindicans omnibus officijs carnalibus præponendum esse negocium salutis, ait illi: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem uade, & annuncia regnũ dei. Hac imagine dominus illorũ excusationem excluſit, qui prætextu pietatis humanæ differunt curam ac studium salutis æternæ. His deteriores sunt qui causatione rerum domesticarum prorogant, & recrastinant salutis negocium, quod ad primam statim occasionem peragendũ est. Occurrit enim alius, qui iussus sequi respondit: Sequar te domine, tantum illud permitte mihi, ut dicam uale domesticis meis. Tum Iesus: Quisquis semel admouerit manum aratro, ac deinde respexerit, non est aptus regno dei. Summũ & arduum est hoc negocium, quod qui semel aggressus sit, eum oportet perpetuo studio progredi ad perfectiora, nec deflectere animum ad curas sordidas rerũ fluxarum.

CAPVT DECIMVM.

POST hæc autem designauit dominus Iesus è numero discipulorum & alios septuaginta, quemadmodum antea selegerat duodecim apostolos, quos mittebat binos in omnem ciuitatem, in quam ipse decreuisset uenire, quo sua prædicatione præpararent animos in aduentum domini: & hos instruxit

ad mu

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad munus Euangelicæ prædicationis, quemadmodum prius instruxerat duodecim. Reddidit autem causam, quare auxisset numerum prædicatorũ. Messis, inquit, copiosa, operarij uero pauci. Rogate igitur dominũ messis, ut extrudat operarios in messem suam. Late spargitur Euangelij rumor, & plures accenduntur auiditate doctrinæ cœlestis. Parati sunt animi: tãtum desunt, qui colligant homines ultrò properantes ad regnum cœlorum. Ite igitur, meis unius præsidijs freti. Frement potentes ac mali aduersus doctrinam uestram, his uos nudos & inermes obijcio. Non enim mitto uos, ut quenquam lædatis, sed ut simplices, & innoxij studeatis omnibus prodesse. Ne quærite igitur humana præsidia, quibus uos aduersus improborum uiolentiã armetis: ac ne de uictu quidem sitis soliciti. Expediti ite ad negocium Euangelicum, neque saccu lum, neq; peram, neq; calciamenta uobiscum portan tes. Nunquam uobis deerit, quod naturæ necessitati sa tis sit. Ac ne de tecto quidem sitis soliciti: erunt qui uos excipient, tantum præstate uos puros, & incor ruptos ministros Euangelicæ prædicationis. In quan cunq; domũ introieritis, primũ precemini pacem toti familiæ. Quod si ibi fuerit filius pacis, hoc est, homo mitis, auidusq; mãsuetæ doctrinæ, proderit illi uestra precatio, & amplectetur hospitem bene ominantem: sin minus, ne pœniteat bene precatos fuisse. Nõ enim uobis peribit merces oblati officij. Nec est qd à quo quam

quam supplices rogetis hospitium, aut impudenter cuiquam uos ingeratis. Res enim tanta nec est obtru denda inuitis, nec ulli tamen non offerenda. Qui uero libenter ac prompte uos receperit, apud illum mane te, non affectãtes uitæ delicias, sed pro necessitate cor poris edentes ac bibentes, quæ apud illos fuerint. Ae quum est enim, ut qui laborat in Euangelico negocio, uiuat ex eorum liberalitate, quibus laborat, si non ali unde suppetat, unde uiuat. Illud item cauendum, ne ex alijs ædibus in alias demigretis, quasi fastidito priori hospitio, lautius & instructius quæratis. Sit uobis sa tis quodcunq; primum obtigerit. Quod si cõtinget uos ingredi ciuitates, si uos exceperint ciues, edite, ac bibite sine delectu, nulloq; fastidio, quicquid uobis apponitur. Quoq; gratiores sitis hospites, maioréque cum fide prædicetis regnum dei, sanate ægrotos ciuitatis, restituite debiles & mancos, liberate dæmo niacos: atq; hæc omnia gratis ac prompte facite, ne minem reijcientes, neque pauperem, neq; diuitem. Ac tum dicite illis: Videtis argumenta uirtutis diuinæ: præparate animos uestros ad innocentiæ studiũ. Iam enim aduentat ad uos regnum dei. Pellumtur morbi corporum, mox profligabũtur & animorum morbi, peccata. Quod si quam ciuitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui uos recipiat, nolite illic supplices am bire hospitium, sed prodite in plateas eorum, atq; ibi publice palamq; dicite: Gratis obtulimus uobis nũci tium æter

um æternæ salutis Quoniam autem spernitis officium nostrum, nihil uolumus à uobis beneficij. Ecce etiam puluerem, qui adhæsit pedibus nostris, extergimus in uos testimonium à nobis oblati, & à uobis spreti felicissimi nuncij, qui nolentibus ingeri non debet. Illud tamen scitote, quod siue receperitis, siue non receperitis, in proximo est uobis regnum dei. Si receperitis, ueniet uestro bono: sin minus, ueniet uestro malo. Hac uindicta uos eritis contenti, si cubi sprcuerint uos. Veniet illis ultio suo tempore. Nam illud affirmo uobis, quod in illo die supremi iudicij, mitius agetur cum Sodomis, quàm cum illa ciuitate, quæ tantam dei benignitatem gratis oblatam sprcuerit. Omnes mirantur seueram dei uindictam in Sodomos, sed hoc illos subleuat, quod non fuerint tot modis prouocati ad resipiscentiam. Et Iudæi sibi placentes execrantur illorum memoriam, quos ira dei horrendo exemplo funditus sustulit, sed horribilior uindicta manet ipsos, si tot beneficijs, tot miraculis prouocati, neglexerint ac spreuerint dei bonitatem. Væ tibi Chorozain, uæ tibi Bethsaida, ciuitates Israëliticæ. Nam si in gentium urbibus Tyro & Sidone, quas uos abominamini, prodita fuissent miracula, quæ prodita sunt in uobis, iam olim resipuissent, & in cilicio ac cinere sedentes, agerent suorum peccatorum pœnitentiam, quum uos interim erectis aduersus deum ceruicibus, uobis ipsis placeatis. Et tibi uæ Capernaum, quæ nunc opibus tumens, delicijs

delicijs affluens, usq; ad cœlum uideris exaltata, in illo die deijcieris usq; ad inferos. Quanquam estis humiles legati, tamen quoniam meo nomine uenietis, & inæstimabile dei donũ annunciabitis, nõ erit leuis cõdemnatio spernentium. Qui uos audit, me audit, qui per uos loquor: cõtrà qui uos spernit, me spernit. Porrò qui me spernit, spernit eũ, qui me misit. Nec enim ex me quicquã loquor, quod nõ acceperim à patre, neq; uos quicquam loquemini, quod ex me nõ didiceritis. Itaq; ut mea doctrina patris est, non mea: ita uestra prædicatio mea erit, non uestra. His sermonibus instructos dominus Iesus emisit septuaginta discipulos, facturos sui periculum in Euangelij prædicatione. Cum autem res mire succesßisset, reuersi sunt cum gaudio, dicentes: Domine, nõ solum morbi pelluntur, uerumetiam dæmonia subijciuntur nobis in tuo nomine. Iesus autem quo muniret suorum animos aduersus morbum inanis gloriæ, qui sanctis etiam solet obrepere, proponit illis exemplũ Luciferi, qui ob superbiã à tanta felicitate subito deiectus esset. Videbam, inquit, satanam fulguris ritu de cœlo cadentẽ. Insignis erat illius dignitas in cœlis, & tamen ob animi tumorem subito deiectus est à summis ad ima: Quanto magis uobis cauenda superbia, qui mortale corpus circunfertis, omnibus obnoxij periculis? Magna est potestas quam tradidi uobis, sed eam tradidi, non ut inde insoleſceretis uos, sed ut per miracula conciliaretur

Reuersi sũt aũt septuaginta.

Universidad de Deusto Biblioteca

fides Euangelio. Non repeto quod dedi, modo ne uos abutamini. Ecce enim do uobis potestatem, qua conculcetis serpentes & scorpiones, aut si quid aliud est quo potest nocere inimicus satanas. Nihil horum nocebit uobis. Veruntamen de hoc nõ expedit uobis gloriari, quod spiritus subijciantur uobis: fient ista etiam per reprobos: sed de hoc gaudete, quod nomina uestra scripta sunt in cœlis. Nam eò uos subuehet uestra modestia, ueraq; simplicitas, unde corruit per arrogantiam Lucifer, si perstiteritis in eo quod cœpistis. Hæc

In ipsa hora

loquutus dominus, mox cœpit exultare spiritu sancto, ac de successu Euangelij patri gratias agere: nos interim instituens exemplo suo, ut si quid feliciter cesserit nobis conantibus, exultemus non humano affectu, sed gaudio spirituali: nõ nobis arrogantes ullam gloriæ portionem, sed gaudentes illustrari gloriam dei, gaudentes de profectu proximi. Gratias, inquit, ago tibi domine pater & cõditor cœli ac terræ, quod hæc tam sublimia cælaueris eos, qui iuxta mũdum sapientes habentur ac prudentes, & reuelaris ea pusillis, humilibus, idiotis, ac iuxta mundi iudicium imprudentibus. Sic profecto factum est pater, quia sic placuit æterno tuo cõsilio, ut reiectis elatis, per humilitatem ueheres homines ad ueram sublimitatem. Nulla est autoritas, quam mihi non tradiderit pater, ne quid timeatis mundum, scientes uos habere potentem dominum. Summus enim consensus est, & omnium rerum

societas

societas inter patrem & me. Imò nemo planè nouit filium, quis sit, & quantus, nisi pater qui genuit: neq; quisquam nouit, quis sit, & quantus sit pater, nisi filius ex eo natus, & si cui uoluerit filius aperire. Non aperit autem, nisi modestis, mansuetis, & credulis. Post hæc conuersus ad discipulos suos, gratulatur illis eam felicitatem, quæ negata esset summis etiam uiris. Beati, inquit, oculi, qui uident, quæ uos uidetis. Illud enim pro certo cõfirmo uobis, quod multi prophetæ & reges uoluerũt uidere, quæ uos humiles uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & nõ audierunt. Agnoscite felicitatem uestram, sed fugite insolentiã. Sumite sanctam superbiã aduersus omnia, quæ mundus hic ut sublimia miratur, quum exigua sint ac sordida præ his, quæ uobis donantur. Quodã autem die, quum Iesus disputans cum Iudæis, imposuisset silentium Sadducæis, qui tentandi gratia quæstionem proposuerant de uxore septem uiris nupta, quis eam esset omnium habiturus in resurrectione, accessit ad eum quidam scriba, legis peritus, uelut ex intima legis cognitione quæstionem propositurus. Magister, inquit, quod est præcipuum dei præceptũ, quo seruando possim assequi uitam æternam? Iesus respondit: Quod ex me quæris, hoc alij debebant ex te discere. Siquidem tu legis scientiam profiteris. In ea quid scriptũ est? Aut quomodo tu legis, quod ibi scriptum est? Ille respondit: Diliges dominum deum tuum

Et ecce quidã legis peritus.

ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua, quia satis diligi non potest. Post hunc autem diliges proximum tuum sicut teipsum. Iesus autem responsum approbans, ait: Tenes quid sit optimum, nihil superest, nisi ut præstes, quod intelligis. Id si feceris, uiues: nec enim cognitio legis dat uitam, sed obseruatio. Hoc domini responso tactus pharisæus, quod uerba legis teneret, quum id quod esset in lege præcipuum, non obseruaret, quoniam tumebat inani gloria, noluit agnoscere uitium suum, sed perinde quasi iam præstitisset abunde præceptum de diligendo deo, quæstionem mouet de proximo: Quis, inquiens, est meus proximus? quasi deū diligeret, qui in proximum immitis ac maleficus esset. Iudæi uero proximi nomen fermè interpretabantur de suæ gentis hominibus, existimantes sibi fas esse odisse exteros, nec in hos quicquam conferre beneficij. Iesus itaq; sciens animum hominis, respondet huiusmodi similitudine, rem totam mystica quadā imagine depingens ac ponēs ob oculos, docens q; dei præceptum de diligendo proximo nō esse circunscribendum arctis finibus cognationis ac gentis, sed latius ad omneis homines esse proferendum, quum sæpenumero fiat, ut qui genere proximus est, alienior sit affectu, quàm hostis. Homo quidam, inquit, profiscens ab Hierosolymis Hiericho, incidit in latrones, qui nō contenti spoliasse uestibus miserum, inflictis etiam multis

Homo quidam descendebat Hierosolymis.

multis uulneribus reliquerūt eum in uia semiuiuū, illic periturū, si nemo succurrisset, atq; eo facto abierūt ipsi. Accidit autem ut sacerdos quidam per eandem uiam faceret iter. Is quū ob religionis professionem potissimum præstare debuerit dei præceptum, tamen Iudæus Iudæum, & Hierosolymita Hierosolymitā, spoliatum, saucium, semiuiuum uidit, nulloq; misericordiæ affectu tactus præterijt. Post hæc accidit, ut eâdē transiret Leuita quidā, à quo merito quis expectasset obseruationē præcepti diuini, quod deditus tēplo frequenter sacris operaretur. Et is quoq; uiso saucio præterijt, neq; quicquam opis attulit fratri ac populari suo. Post hos accidit, ut Samaritanus quidā ilāc iter faciens, conspiceret spoliatum ac semiuiuum, & admirans quid esset, accessit propius, & intellecta hominis calamitate, misericordia motus est erga Iudæum, quum ipse esset Samaritanus. Porrò Iudæi uehementer abominantur Samaritanos. Nec solum misertus est, sed neglecto itineris dispendio, adijt hominem, uinum & oleum infudit uulneribus, deinde obligauit. Nec hoc officio contentus, imposuit illum in iumentum suum ac deportauit in diuersorium, atq; illic diligentius etiam illius curam egit. Quoniam autem urgebat itineris necessitas, deprompsit duos denarios, deditq; hospiti meritorio, ut tantisper haberet curam uulnerati, donec ipse peracto itinere rediisset, dicens: Habes precium, de meo cura hunc: quod si quid

impenderis ultra summam hanc, tibi nihil peribit, mihi imputa quum rediero, & quicquid impenderis, resoluam. Hæc loquutus dominus, dixit legis perito: Quis horũ trium tibi uidetur fuiße proximus ei, qui inciderat in latrones? Tum legis peritus: Is, inquit, q misertus subuenit misero. Subiecit Iesus: Et hic recte respondisti, fac ut uita respõdeat orationi, & Samaritano malis esse similior, quàm sacerdoti aut Leuitæ. Hac parabola dominus Iesus taxauit Iudæorũ arrogantiam, qui sibi uidebantur abunde diligere deũ quod illius templum adirent, quod immolarent uictimas, quod illius præcepta circunferrent in fimbrijs uestium, quod deum ac dominum semper haberent in ore, quum deus nihil moretur istiusmodi cultum, sed occulto synceræ puræq; mentis affectu magis delectetur. Cæterum erga proximum nullo charitatis affectu tangebantur, sibi proprie uiuentes, & inuidentes etiam quibus oportebat opitulari. Quod si quid officij præstabant, non præstabant nisi sui generis hominibus, quum oportæt omnem hominem ese proximum homini, si quando res poscat subsidium. Sacerdos & Leuita genere proximus erat uulnerato: sed Samaritanus genere hostis, charitate proximus erat. Iudaica religio gentẽ discernit. Euangelica pietas nescit huiusmodi discrimina, gestiens omnibus benefacere, nullo personæ delectu. Quemadmodum ipse dominus uenit seruandis omnibus, aliquando Iudæis probri gratia dictus

dictus Samaritanus, sed non offendit uniuersas orbis nationes ignominia uocabuli, quum rem nominis experiantur salutarem. Samaritanus enim Syris custodem sonat. Erat nimirum uerus pastor, qui nihil è suis perire patiebatur, quamuis morbidũ, quamuis cõfractum aut erraticum, sed omnes optabat fieri participes salutis æternæ, quod quidem in ipso fuit. Vniuersum genus humanum, malicia satanæ spoliatum innocentiæ uestibus, sauciatum omni uitiorum genere, abiectum, destitutum, semiuiuũ, ac desperationi proximũ, descendens è cœlo uisere dignatus est: quo q; facilius opitulari posset, assumpta hominis natura, proxime accesßit ad hominẽ, uidens ac uisus, audiens & auditus, cõtrectans & cõtrectatus: ac misertus nostræ calamitatis, nostra peccata sustulit in corpore suo, de suo dependit, quod nos commerueramus: ac nostri curam egit, qui nullum peccatorem, quamuis humilem aut abiectum auersatus est: Quum interim sacerdos fastuosus prætereat morientem, quũ Leuita negligat deploratum, pergens quâ cœperat, ne quid dispendij capiat in rebus huius mũdi, dũ proximo subuenit. Habet autem hic Samaritanus hospites suos, quibus ipse proficiscens in cœlum, sauciũ curandum committit, promisso in cœlis præmio, si quid ex abundantia charitatis supra quàm præceptum erat, impenderint sanando misero. Hi nimirũ sunt apostoli, & apostolorũ successores, per quos etiam hodie curat genus

humanum, & à latronũ uiolentia colligit in ecclesiæ diuersorium, ubi sanantur peccatorũ uulnera. Quẽ igitur iuxta doctrinam Euãgelicam amandus sit etiã inimicus, quum iuxta pharisæi professionem amandus sit etiam Samaritanus Iudæo, si benefecerit, tamen Iudæi qui memoriter tenebant, diliges deũ tuum supra omnia, diliges proximũ tuũ æque ac teipsum, in uno Christo uiolabant utrunq; præceptũ, & deũ afficientes contumelia, cuius uerbis diffidebant, cuius miracula calumniabãtur fieri uirtute Beelzebub (pater enim dei erat in filio deo) & proximũ benemerentem oderant: ei machinantes exitium, qui salutem gratis adferebat omnibus. Vtrunq; autem præceptũ impleuit, qui in Christo & deũ diligit supra omnia, & hominem optime meritum ut seipsum. Diligitur autẽ in membris suis, in quibus & offenditur, & afficitur ignominia, & occiditur. Hac parabola quum Iesus docuisset, quantopere essent amandi, qui doctrinæ Euangelicæ uacantes, nihil aliud agunt, quàm ut à Iesu discant salutiferam doctrinam, quam omnibus impartiant, quiq; relictis officijs corporalibus, toti uacant his, quæ sunt animi: casus extitit, per quem hoc quoq; documentum animis nostris infigeretur. Sic enim efficacius formantur crassorum & rudium animi. Quum enim Iesus à cæteris rebus ociosus obambularet cum discipulis, qui relictis rerum terrenarũ curis, uni Euangelio uacabant, euenit ut ingrederetur oppidulũ

oppidulũ quoddam. Illic mulier quædam nomine Martha excepit eũ hospitio. Huic erat soror nomine Maria. Par erat utriq; pietas in dominum, sed diuersa uitæ ratio, diuersa pietatis functio, quemadmodum in uno corpore sunt usus membrorũ uarij, & in corpore Iesu, quod est ecclesia, uaria sunt dona spiritus. Nam Maria feriata à negocijs domesticis assidebat ad pedes domini Iesu, audiens sermones illius, quibus adeo rapiebatur, ut oblita cæterorum non posset auelli. Contrà Martha solicita de apparatu conuiuij, sursum ac deorsum cursitabat, tumultuabatur satagens, ne quid omnium deesset, quæ ad suauiter excipiendum dominum, eiusq; discipulos pertinebant. Eadem charitas erga dominum habebat utranque, sed Mariam nõ patiebatur ab illius diuelli pedibus, Marthã sursum ac deorsum circumagebat, nec patiebatur adhærere domino. Sic eadem pietas duas sorores in Iesu diligendo concordes, ad res diuersas agebat. Martha uero cum ægre sufficeret omnibus obeundis, quæ pertinebant ad apparatum, & uideret sororem feriatam, assidentem ad pedes Iesu, non expostulat cum sorore, quam sciebat auelli non posse, sed Iesum subincusat, qui illam suis sermonibus à necessaria functione remoraretur. Domine, inquit, non est tibi curæ, qd soror mea patitur me solam ministrare? Iube igitur ut me adiuuet, alioqui scio non auelletur abs te, nisi tu iusseris. Tanta est dulcedo sermonum tuorum, sed

interim apparandum est conuiuium, nec una par sum omnibus obeũdis. Ibi dominus utriusq; fœminæ delectatus affectu, Marthæ sedulitatem non improbat, nec obiurgat obmurmurantem sorori, sed Mariam sublevat: Martha Martha, inquiens, tu quidem solicitudine torqueris apparandi conuiuij, ac tumultuaris distraberisq; circa multa. Cæterum unum est præcipue necessarium, quod semper agendum erat, si liceret. Peragito tu functionem tuam, qualis qualis erit apparatus, Maria delegit partẽ longe potiorem, quæ oblita eorum quæ sunt corporis, tota est in his quæ sunt animi. Non est autem æquum, ut auellatur ab optimis quæ delegit, ac protrudatur ad inferiora ministeria. Grata est mihi tua pietas, quæ mihi meisq; pro tempore parat conuiuium, sed suauius reficior ab his, qui sermones meos traijciunt in uiscera animarũ suarum, ut salui fiant. Hic est enim cibus, qui me unice pascit: hic est potus, qui me unice reficit. Qui curat ea quæ sunt corporis, in uarias curas distrahitur, & horum officiorũ tunc erit finis, quum apparente immortalitate, cessabũt necessitates, quibus nunc humanæ naturæ discruciatur imbecillitas. Cæterum compendium facit, qui curis huiusmodi proiectis, totus rapitur ad cœlestia, semet in unum colligens, sed quod est uno omnibus cæteris præstantius, cuius felicitas nõ eripietur, sed augebitur, quũ abolebitur, quod imperfectum est, & aperietur, quod perfectum est. Nec interim ut

rim ut ociosis obmurmurandum est, qui requieti à corporalibus ministerijs ideo uacant doctrinæ cœlesti, inhærentes uestigijs meis, diu discentes, quod doceant, ac penitus transmittentes in affectus animi, quod alijs præscribãt, quo pluribus prodesse queant ad cõparandam salutem æternam. Nec interim tamen caruturi sunt sua mercede, qui, quod tu facis, pio studio pro tempore subueniunt corporali necessitati tractãtium rem Euangelicam, qui pascunt famelicos, qui uestiunt nudos, qui uisunt ægrotos, qui adeunt uinctos, qui tecto iuuant uagos & hospitij egentes. Erunt & illi consortes Euangelici præmij, sed quemadmodum in corpore plus agit oculus ociosus, quàm manus absidue uarijs ministerijs seruiens: Ita qui toti uacant his, quæ proxime pertinent ad æternam salutem, tametsi uideantur à corporalibus officijs feriati, plus tamen agunt, quia rem præcipue neceßariam agũt. Nec decet alteros alteris obmurmurare, quando pro suo quisque dono, quod accepit à deo, mihi seruit in membris meis.

CAPVT VNDECIMVM.

HAc imagine quũ dominus Iesus docuißet magnam rem agere, qui toti uacarent doctrinæ cœlesti, quam nemo synceriter potest tractare, nisi semet excutiat ab omnibus huius mundi cupiditatibus & curis: supererat, ut & orandi formulam præscriberet. Est enim precatio ueluti purißima uictima religionis

gionis Euangelicæ, ad quam Iesus frequenter secessit, suosq; discipulos consuefecit. Estq; precatio secretus ille congressus, qua mens humana discussis omnibus curis, & phantasmatis rerum terrenarũ, ueluti subuecta in cœlum, cum deo miscet colloquium. Orabãt autem & frequenter & prolixe pharisæi, sed tristes & in publico. Orabant & discipuli Ioannis. Orabãt & Samaritani in monte suo. Habebat & ethnicorum religio suas preces. Quoniam autem nec idem orandi ritus erat omnibus, nec eadem petebantur: cupiũt apostoli sibi formam à Christo præscribi, quam sequi debeant. Itaq; quum Iesus ex more suo secessisset cum discipulis orandi gratia, peracta precatione, quidam è numero discipulorũ dixit illi: Domine, quoniam tui sumus discipuli, par est ut ex tuo præscripto faciamus omnia. Doce igitur & orandi formam, sicut Ioannes, quum uiueret, docuit discipulos suos. Iesus autem quum multis uerbis docuisset suos, Christianorum precationem nec oportere prolixam esse, nec ad ostentationem paratam, nec de rebus quibuslibet, præscripsit huiusmodi formam, quæ tametsi communis est omniũ, tamen peculiarius conuenit uiris Euangelicis, quibus uelut exemptis ab hoc mundo, omnis labor in hoc est, ut inter bonos illustretur gloria dei, & indies magis ac magis uigeat regnum illius, deiecto satanæ regno. Et quemadmodum in cœlis, unde præcipitatus est Lucifer cum suis coniuratis, nulla est aduersus

aduersus diuinam uoluntatem rebellio, ita inter dei filios, suæ ssuros in locum angelorũ eiectorum, omnia fiant ex uoluntate patris cœlestis, ut ille pascat suos pane cœlestis doctrinæ, gratiaq;, qui uegetet ac sagi-
net animas in uitam æternam, & si quid per humanam infirmitatem commissum fuerit aduersus illius uoluntatem, ueluti propitius pater clementer condonet filijs suis, quemadmodum ipsi inter sese uicissim ignoscunt, si quid alter in alterũ admiserit. Et quoniam quàm diu uersantur in hoc mortali corpore, ut proficere possunt ad meliora, ita prolabi possunt ad deteriora, præsertim huc modis omnibus solicitante tyranno satana, ut patris præsidio tuti sint aduersus huius machinamenta, utq; aut non incidant in tentationem: aut si inciderint, eo protegente, qui potentior est, uictores discedant. Hæc est autem forma precandi: Pater noster cœlestis, nos in terris constituti, quos tua bonitas dignata est uocabulo filiorum, oramus te, ut per nostram doctrinam ac uitam tua potentia, tua sapientia, tua bonitas magis ac magis innotescat hominibus, & intelligant omnem gloriam tuo deberi nomini, unde profiscatur quicquid est præclarũ, siue in cœlis, siue in terris, quo quamuis humiles ipsi possimus in te gloriari. Hactenus toto orbe regnauit satanas per peccatum, cui seruierunt homines illecti cupiditatibus impijs: tu fac, ut sublatis peccatis & effuso tuo in eos spiritu, tuæ uoluntati pareant omnes: utq; Pater noster

Universidad de Deusto
Biblioteca

utq; te quotidie nobis largiente cœlestem alimoniam tuæ gratiæ, semper proficiamus in melius, donec perueniamus ad perfectionem Euangelicæ pietatis. Porrò quoniam homines sumus, si quid per errorem aut infirmitatem deliquerimus in te pater, ne desinas tuis esse propitius, sed pro tua clementia condona: quãdoquidem nos inuicem cõdonamus, si quid eadem infirmitate frater admiserit in fratrem, quo pax cõstet inter nos, & pacem habeamus tecum. Quoniam autem nouimus maliciam, & uires illius mali tyranni, unde tua paterna bonitas nos redemit, ne sinas nos rursus ab illo uinci, sed si pateris ad probationẽ patientiæ nos affligi, uel per illũ, uel per illius satellites homines impios tuo præsidio uincamus, & illius assultus nobis cedat in bonũ. Cæterũ quo magis excitaret suos ad instantiam orandi, & impetrandi fiduciam adderet, adiecit huiusmodi parabolam. Quàm exorabilis, inquit, sit deus, natura beneficus erga filios suos, ex uobis ipsis coniecturam facite. Si quis uestrum egeat necessarijs, & habeat amicum, audebit illum etiam medio noctis adire, ac pulsatis foribus dicere: Amice da mihi commodato tres panes, quoniam amicus quidam meus de uia ueniens, subito oppressit me uespertinus hospes, nec habeo domi, quod illi apponam edendum. Ac fortasis amicus ille non statim largietur, quod petis, sed grauans aperire fores, respondebit intus: Noli mihi molestus esse nocturnus postulator, iam

Et ait ad illos.

tor, iam ostium meum clausum est, ac pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi quod petis. Quod si is, qui panibus eget, nõ statim ad hanc excusationem abierit, sed perseueranter pulserit fores amici, illud affirmo uobis, etiam si nõ mouebit illum respectus amicitiæ, tamen uictus improbitate precantis, surget ac dabit illi, non solum tres panes, sed quotquot opus fuerit. Si tantum homini ualet improbitas orandi apud hominem, quanto magis ualebit apud deum, qui delectatur huiusmodi improbitate, non offenditur. Et si quando differt dare quod petitur, non parcitas est in causa, aut difficultas, sed in hoc accendit desiderium nostrum, ut uberius donet, quod petimus, & nos charius habeamus, quod improbis precibus impetratũ est. Quod igitur amicus egẽs faceret apud amicũ hominem, hoc multo magis unusquisq; uestrum audeat facere erga benignũ patrem deum, cui grata est talis importunitas, & qui dando exhauriri non potest. Ab hoc igitur uotis petite, si quid opus est, & dabitur uobis. Quæritẽ si quid ignoratis, & inuenietis afflatu spiritus paterni, quod humano ingenio percipi non poterat: pulsate precibus addendo eleemosynas in proximos, & aperietur uobis. Hæc est improbitas, qua ueluti uincitur & expugnatur deus. Apud hominem nonnunquam incassum funduntur preces, uel quia non potest præstare, quod rogatur, uel quia nõ uult. Verũ apud deum, quisquis petit

Omnis enĩ qui petit.

petit accipit, quisquis quærit inuenit, quisquis pulsat huic aperitur. Nouit autem pater uester, quæ conducant ad salutem æternam, hæc libenter donat rogatus: Qui si per errorem rogaretur noxia, pro beneficio duceret negare, quod male peteretur: sed pro optatis daret salutaria. Efficit hoc pietas parentũ carnalium erga filios, ut negare nõ possint ijs, quos genuerunt, si rem petant ad corporis salutẽ pertinentem. Coniecturam ex uobis ipsis facite. Quis enim est ex uobis, qui si ex patre suo petat panem, existimet filio daturum pro pane lapidem: aut si petat piscem, putet eum pro pisce porrecturũ serpentem? Aut si petat ouum, existimet illum pro ouo daturum putamine tectum scorpium? Quod si tantum ualet naturæ pietas apud homines, alioqui malos, ut in filios utilia petentes benigni sint: quanto magis pater uester, qui pater est spirituum, qui natura bonus est, impartiet uobis de cœlo spiritum suum bonum, omnia bona largiturum, si petieritis ab ipso? Habet & satanas spiritum suũ, quem inspirat suis, ad omnia mala solicitatorem: habet mundus suum spiritum, ad amorem rerum fluxarum illectantem: cum hoc spiritu nullum est consortiũ spiritui patris cœlestis. Alter exeat oportet, ut alter immigret in pectus. Et ecce casus, qui poneret ob oculos, quid malus spiritus ageret in animis Iudæorũ, spiritui sancto reluctantium. Adductus est ad Iesum quidam obnoxius malo dæmonio, id erat nõ simplex, sed si-

Et erat Iesus eijciens dæmonium.

sed simul & mutum & cæcum, ut Iesum nec posset aspicere, nec appellare. Iesus autem ultro misertus calamitosi, iussit exire dæmonium, & exijt. Et ecce aderant Iudæi quidam, quorũ animos periculosius possidebat Satanæ spiritus, quàm impurus ille dæmon corpus hominis possederat, quorum alij calumniabantur, à dæmonio factum miraculum, dicentes, quod hæc faceret, non uirtute diuina, sed præsidio Beelzebub principis dæmoniorum. Rursus alij post tot conspecta miracula diffidentes adhuc, postulabant ab eo signum aliquod insigne de cœlo, quo planè constaret illum habere cum deo commercium, qui in cœlis habitat, & non cum spiritibus immundis, quorum præstigiæ nasci solent è terra. Hoc autem dicebant tentantes dominum, nihilo magis illi crediturj, etiamsi, quod postulabatur, feciſſet: sed siue feciſſet, siue non feciſſet, habebant paratam calumniam. Iesus autem, ut uidit impias illorum cogitationes, ad impiam calumniam respondit hunc in modum: Qui consistit uestra calumnia? Videmus enim nullum regnum posse consistere, si intestinis dissidijs secum pugnet. Quod si fit, necesse est, ut desoletur, & publica ruina domus supra domum concidat. Quod si uerum est id quod cogitatis, me præsidio Beelzebub principis dæmoniorũ eijcere noxios dæmones, qui nimirum illius sodales sunt & satellites, consequitur malos spiritus inter sese discordes pugnare, & alios ab alijs profligari. Iam si

Universidad de Deusto
Biblioteca

Satanas pugnat aduersus Satanam, quomodo consi/
stet regnum illius? Videtis ejci dæmones, & fatemi/
ni noxios esse, quos ejcio: unde igitur conijcitis hæc
fieri, præsidio Beelzebub potius quàm dei? An Beel/
zebub solet hominum saluti consulere, & suos satel/
lites, per quos exercet tyrannidem suam, è possessio/
nibus suis exigere? Et tamẽ hoc si fiat, arguit mox pe
riturum Satanæ regnum, & instare regnum dei. Sim/
plici uerbo ejcio, gratis ejcio, nihil adhibeo magico
rum carminum aut præstigiorum. Factum improba/
re non potestis, quur boni operis gloriam mauultis
Beelzebub ascribere quàm deo? Quod si hoc uobis
persuadet odium mei, me præsidio Beelzebub ejcere
dæmonia, isti iuuenes filij uestri, quos uidistis idem
facientes, cuius præsidio profligant dæmonia? Simpli
ces sunt, idiotæ sunt, nesciunt malicioſas artes mago/
rum, & tamen isti in meo nomine ejciunt. Sola fidu/
cia erga deum faciunt, quod faciunt. Et ideo his iudi/
cibus condemnabitur uestra incredulitas. Horum sim
plicitas credidit, quum uestra prudẽtia pugnet aduer
sus gloriam dei. Itaq; quum absurdũ sit dicere, quod
malus dæmon exigat malum dæmonem, nec alterius
præsidio uestri filij ejciant dæmonia, quàm cuius ego
ejcio, constat me malos dæmones ejcere uirtute boni
dei. Huius enim spiritus potentior est omnibus spiriti
bus impijs. Nec huic quicquam omnino cum illis con
uenit, siquidem hic amat salutem humani generis, illi

quærunt

quærũt perniciem. Quod si palàm est, me uirtute dei
peragere quæ uidetis, dubium non est, quin peruene/
rit in uos regnum dei, quod Ioannes instare prædica/
bat. Huic igitur æquum est uosmet adiungere, & à
Satanæ regno mox interituro abducere. Non pote/
stis utriusq; regni consortes esse. Irreconciliabile bel/
lum est Satanæ cum deo. Res nullis conditionibus cõ
ponetur. Aut uincet, aut ui expelletur. Non ueniet in
deditionem, non præscriptis legibus recipietur. Ha/
ctenus impune regnauit. Sed adest uis illius tyranni/
de potentior. Potentior enim est unus dei digitus ad
seruandum genus humanum, quàm uniuersæ Beelze/
bub copiæ ad perdendum. Itaq; futurum est hic, quod
inter duos duces solet accidere, utrosq; potẽtes, utros/
que feroces, & quibus omnis fiducia in armis sita
est. Itaq; quum potens armatus custodit arcem suam,
in tranquillo sunt ea quæ possidet. Quod si quis illo
potentior adoriatur cum, & armis armatum uicerit,
nullum inibit cum eo consortiũ, sed domum ipso pro/
fligato occupabit. Arma, quibus confidebat, eripiet,
opes eius & omnem supellectilem diripiet, ac suis mi
litibus distribuet. Nunc uestrum est dispicere, ab utro
stare malitis, à deo potentiore, an à Satana mox ex=
pellendo. Si cum Satana pax est, cum deo simultas
est. Si cum deo pax est, nihil conuenit cum Satana. In
alterutrius castris pugnandum est. Non fert hoc tem
pus ociosos. Qui non est in parte mea, aduersarius est

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihi, & hoc ipso lædit, quia cum fauere debeat, non fauet, & qui non colligit mecum, dispergit. Quoniã autem Iudæi sibi sumebant opinionẽ iusticiæ, & hac fiducia uel negligebant Euangelicam doctrinam, uel auersabantur etiam, proposuit ænigma, quo significaret grauius damnandos eos, qui aliquousq; progressi ad iusticiam, relaberentur ad pristina flagitia, quàm qui nunquam cognita luce ueritatis Euangelicæ, perseuerassent in caligine uitiorum suorũ. Populus enim Iudaicus per legem segregatus est ab idololatris gentibus, sed subinde relapsus ad priora crimina, tandem huc deuenit impietatis, ut quicquid maiores peccassent occidendis prophetis, conspirando aduersus Messen, id septuplo sceleratius renouarent in filium dei, & in huius discipulos. Quanquam hæc parabola, & ad unumquemuis hominem pertinet, qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel Euangelico sermone liberatus à spiritu malo huius mundi, negligenter habet donum dei, nec curat semper ad perfectiora progredi. Huic ad pristinam uitam reuoluto, ad nihil aliud proderit baptismus ac cognitio sacræ doctrinæ, nisi ut grauiorem damnationem sibi accersat in die iudicij, uidelicet ad pristinos errores ingratitudinem etiam, ac maliciã adiungens. Porrò sic habet parabola. Quum immundus spiritus exierit ab homine, uirtute dei depulsus, quoniam illi pertinax uoluntas est nocendi, obambulat per loca sterilia aridaq;, quærens re-

Cum immũdus spiritus.

rens requiem. Eam quum nusquam inueniret, dicit apud se: Reuertar in domum meam unde exiui. Ad hanc igitur rediens, reperit eam scopis quidem mundatam, sed uacuam. Hoc ubi uidet, abit & adiungit sibi septẽ alios spiritus, sceleratiores quàm esset ipse, cumq; tali sodalitio commigrat in domum, purgatam quidem, sed incustoditam, nullisq; uirtutum Euãgelicarum præsidijs armatam. Nam ornamenta ceremoniarum præbent quidem speciem pietatis, sed quoniam inania quædam rerum simulacra sunt, non arcent impiorum spirituum assultum, sed occasio sunt maioris impietatis. Itidem accidit illi homini, qui purgatus ab uno dæmone, factus est septem peioribus obnoxius. Quum hæc aliaq; multa loqueretur Iesus promiscuæ multitudini, mulier quædam admirans sermones tam sapientes & efficaces, sustulit uocem è media turba, & dixit: Beatus uẽter illius mulieris, quæ te portauit, & beata ubera nutricis, quæ suxisti. Aduersus synagogam calumniatricem ædita uox est huius mulieris, quæ typum habet ecclesiæ. Iesus itaq; nõ renuit, sed perficit illius prædicationẽ, dicens: Sanè beati sunt qui audiunt sermonem dei, & seruant illum in animo suo, ne effluat, ut aliquando producat fructũ æternæ salutis. Id multo felicius est, quàm gessisse corpus corpore, aut lacte nutrisse. Vna tantum potuit gestare, aut lactare. Cæterũ hæc beatitudo potest omnium esse communis. Quum autem ad has uoces dem-

Factum est autem.

Universidad de Deusto Biblioteca

Turbis autem concurrentibus.

sior etiam hominum multitudo concurreret, cœpit Iesus respõdere his, qui signum poposcerant è cœlo, quasi quæ hactenus geßisset Iesus, humilia essent, nihilq; dignum haberent magno propheta, hæc præstari plebeis: cæterum ipsis pharisæis, utpote doctis ac sublimibus uiris, aliquod peculiare prodigium ostẽdendũ è cœlo. Id autem dicebant nequaquã animo simplici, sed tentantes eum, ut si non ostenderet, causarentur cætera facta præsidio Beelzebub: si ostenderet, tum aliud quiddam in eo reperirent, quod calumniarẽtur. Ait itaq;: Hæc natio mala est, minimeq; simplex. Tot miraculis conspectis ostentum quærit, non cui credat, sed quod calumnietur: non impetrabit autẽ quod fraudulenter petit, sed accipiet ostentum, quod meretur: non dabitur quod calumnietur, sed dabitur quo coarguetur. Dabitur enim ostentum Ionæ prophetæ. Ad prædicationem Ionæ Niniuitæ pœnitentiam scelerum suorum egerunt, quum apud illos nullum ædidisset miraculũ. Hæc natio nullis miraculis, nullis beneficijs potest ad pœnitẽtiam emolliri, & tamen adest, qui maior sit Iona propheta, quẽ isti mirantur, quod exceptus à ceto, uixerit in eius uentre tribus diebus ac tribus noctibus, deinde pro mortuo habitus, subito uiuus apparuerit. Huic simile, sed prodigiosius erit, quod filius hominis sepultus erit in corde terræ tribus diebus, sed præter omniũ malorũ expectationem tertio die uiuum reddet terra, quem mortuum acceperat.

Itaq;

Itaq; in supremo iudicio, hæc natio, quæ præ se contemnit omnes, quæ sibi religionis arcem tenere uidetur, condemnabitur à multis nationibus, quæ uidebantur à religione alienißimæ. Regina Sabæorũ consurget in iudicio cum uiris huius nationis, et condemnabit illos, quod mulier, et à legis doctrina aliena, tamẽ ab extremis finibus orbis longo itinere uenerit Hierosolymam, ut audiret sapientiam Solomonis. Et tamen in hoc loco quiddã est Solomone maius. Et quod adest contemnitur. Viri Niniuitæ legis expertes, & idolorum cultores, contendent cum hac natione in iudicio, & condemnabunt eam, quod ipsi pœnitentiam scelerum suorum egerint ad prædicationem hominis ignoti & exteri, nullis miraculis, nullis beneficijs sese commendantis. Et ecce hic præsens est quiddam ipso Iona maius. Nec tamen commouẽtur ad resipiscentiam. Quanquam autem complures essent apud Iudæos, quibus Euangelij lux magis etiam excæcaret animos ipsorũ, tamen nõ oporteret post hac supprimi ueritatem, cuius cognitio plurimos esset ad ductura ad salutem æternam. Nec enim incredulorũ obstinata malicia bonis obesse debet. Itaq; proferenda ueritas in publicum est, in malorũ atrociorem perniciem, in bonorum salutem. Nullus, inquit, accendit lucernam, & abdit eam in loco abstruso, aut tegit eã imposito modio, sed imponit candelabro, ut luceat domũ ingredi uolentibus. Quod est domus sine lucerna,

Nemo lucernam.

 quod

quod est corpus sine oculis, hoc est animus absq; cognitione ueritatis, quæ per fidem simplicem contingit. Si oculus tuus fuerit simplex, ac nullis huius mundi cupiditatibus uitiatus, accipiet lumen æternæ ueritatis, ac totum corpus tuum fruetur hoc lumine, necubi impingat. Sin oculus corporis fuerit uitiatus, totũ corpus erit obnoxium tenebris. Siquidem ex fide iudicium est, ac decreta uiuendi. Hic fons est bonorum omnium, qui si fuerit uitiatus, cætera uitientur oportet. Vide igitur ut hic oculus, quo cernitur ueritas, intę purus sit ac syncerus, ne hoc ipsum membrũ, quod solum est luminis capax, totiq; prælucet corpori, tenebris sit obnoxium. Hoc enim uitiato, quod est caput & radix omnium bonorum operum, etiam illa quæ bona uidentur, bona non sunt. Contrà, quæ pharisæis mala uidentur, mala non erunt, si fons unde proficiscuntur, fuerit syncerus. Quod lucerna est oculo purgato, hoc sermo diuinus est animo à prauis cupiditatibus per fidei simplicitatem purgato. Quicquid ex fide non proficiscitur, peccatũ est. Quod si oculus corporis tui fuerit syncerus, illustratus lucerna ueritatis Euãgelicæ, membris omnibus suum lumen impartiet, ut nulla in parte corporis sit aliquid tenebrarum, uidelicet omnibus prospiciente oculo. Itaq; quicquid fecerit manus, quicquid pes, quicquid cætera membra, non erit obnoxium tenebris, sed totum corpus erit lucidũ, ueluti tota domus lucida est, omnibus prælucẽte

fulgore

fulgore lucernæ. Cõsequutũ est autem, per quod hoc quod docuit dominus, uelut explanaretur. Siquidem pharisæi, quum haberent oculum uitiatum, & iusticiam constituentes in ceremonijs corporalibus, neglige rent ea, quæ non cernuntur, nisi puris oculis, quibus prælucet lucerna ueritatis Euangelicæ, ibi putabant esse lumen, ubi erant tenebræ: & tum maxime impingebant, quum sibi uiderentur pulchre ingredi: & illic iudicabant esse graue crimen, ubi nullum erat: ubi uero grauis erat culpa, nullam esse putabant. Habebant enim oculos superstitione legis, ignorantia, fastu, liuore, auaritia, hypocrisi, cæterisq; malis uitiatos. Quidam igitur pharisæus rogauit Iesum, ut pranderet apud se. Nõ recusauit Iesus, nulli se nõ præbẽs, ut omneis ad se pertraheret. Quum autem dominus accubuisset illotus, idq; præter morem pharisæorum, cœpit pharisæus tacita secum cogitatiõe mirari, quid esset causæ, quur non lauisset dominus, priusquàm accumberet. Et ilico ex re, quæ neq; bonum facit hominem neq; malum, nascitur id, quod uere perpetuo malum est. Habent autem proprium illud ac genuinum ceremoniæ pharisaicæ, quæ rebus corporalibus constant, ut gignant obtrectationes, suspiciones malas, peruersa iudicia, dissidium, odium, & rixas. Iesus igitur intelligens, hanc esse præcipuam pestem Euangelicæ pietatis, acriter coarguit pharisaicam superstitionem, dicens: Moses olim præscripserat aliquos ritus

Et quum lo queretur.

 purifica,

purificationis,qui tamen typum & imaginem habe/
rent purgandæ mentis. Nam huc pertinet, quicquid
lex illa figuris suis adumbrauit. Nunc uero postquã
emicante ueritate,par est umbras illas uetustæ legis
paulatim euanescere,uos pharisæi,qui perfectam le/
gis scientiam profitemini, solum eam legis partem
amplectimini,quæ minimum habet momenti ad uerã
pietatem. Nec in hoc solum peccatis,quod carnem le
gis amplectamini,neglecto spiritu legis,uerum etiam
carnalibus ceremonijs additis ac uestris constitutiun/
culis,sanctiores haberi uultis,quàm præcepta dei. Ve
ra puritas in animi sita est innocentia. Vos autẽ cor/
pus subinde lauatis,lauatis calices,& catinos,res ex/
trarias,& nihil ad uerã animi pietatẽ facientes. Atq;
interim interior,ac potior uestri pars illota,scatet sor
dibus deo abominandis,rapina & iniquitate. Creditis
uos inquinari,si biberitis ex illoto calice, aut ederi/
tis ex catino non loto,& puri uobis uidemini, si ca/
lix simul & catinus, & quod in illis est, rapina &
fraude paratum sit? O stulti perucrsiq; iudicij. Nón/
ne qui condidit corpus,idem condidit animum? Itaq;
si puritas usq; adeo cordi est,oportebat totũ hominẽ
purum facere. Verum par erat priorem esse curam
eius partis,quæ potior est. Sed interim uobis ipsis
blandimini,quasi abunde puris, si corpus & uasa
subinde lauetis aqua,& animum fraudibus,rapinis,
odio,liuore,ambitione,cæterisq; pestibus inquinatũ,

purgetis

purgetis elemosyna,quam cum ad ostentationem fa
ciatis,tamẽ arbitramini sufficere ad summam animi
mundiciem. Sed uæ uobis pharisæis,qui sub prætextu
religionis agitis uestrum negociũ, decimantes etiam
olerũ utilißima,mentham & rutam,quasi soli sacer/
dotes ac leuitæ curæ sint deo. Atq; interim cõtra men
tem dei fraudulenter agitis cum proximo, nec suble/
uatis egentem,sed inuidetis felicioribus, opprimitis
imbecilles. O uere præposterum iudiciũ. Hæc quæ lex
præscripsit ad tempus seruanda iuxta carnem, opor/
tuit quidem non omittere,sed illa quæ maxime uult
fieri deus,quæ perpetuo bona sunt & ipsi grata, in
primis erant præstanda. Quæ ad uestrum commodũ
pertinent,superstitiose etiam curatis: quæ ad proxi/
mum subleuandum, negligitis. Væ uobis pharisæis,
qui quum foris præ uobis geratis imaginem sancti/
moniæ,tamen intus tumetis ambitione, captantes ho/
noratiores sellas in synagogis,& audire gaudetis ma
gnificos illos titulos,Rabbi,Rabbini,ab his qui salu/
tant in publico:nihil aliud agentes, nisi ut hominum
oculis placeatis:pro nihilo ducentes,quod animi sor/
dibus displicetis oculis dei. Proinde uæ uobis cum ue/
stra hypocrisi,qui similes estis monumentis defuncto
rum,quæ foris nitent opere albario, titulis, uarijsq;
picturis,quũ intus sint omni spurcicie referta. At in/
terim quod apparet,blanditur oculis hominum præte
reuntium:quod autem occultant,fallit. Sed homines

falli

falli possunt, deus introspicit intimos cordis sinus. Quum hæc aliaq; magna seueritate diceret dominus in fucatam pharisæorum sanctimoniam: quidam è legisperitis studens cohibere libertatem Iesu, dixit illi: Dum ista dicis in pharisæos, nos quoq; afficis contumelia. Non tolerat liberum sermonem sibi male conscius animus, & exemplum libertatis in alios, metuit ne in se recidat. At Iesus æterna ueritas, quæ nescit assentari, quum sola sit inculpabilis, nec in aliud tamen obiurgat, nisi ut medeatur malis, respondit legisperito: Si quæ dico, in uos quoq; cõpetunt, uti fateris: erit igitur & uobis legisperitis uæ, qui non contenti exigere legis obseruatiunculas omneis ab idiotis, uerum etiam præter legis autoritatem de uestro multa adijcitis: & onus addentes oneri, sarcinam importabilem imponitis humeris simplicium, & ipsi interim uobis indulgetis, adeo non attingentes ea quibus grauatis alios, ut nec illa præcipua seruetis, sine quibus cætera nihil prosunt. Væ uobis, qui ad ostentationem uestræ integritatis extruitis monumenta prophetarũ, quum illorum complureis maiores uestri interfecerint. Itaq; fit, ut hoc ipso, quo studetis dissimulare maliciam uestram, prodatis. Dum enim ornatis monumenta prophetarum, fatemini fuisse detestabiles, qui illos occiderunt, quorũ memoria sacrosancta est apud uos posteros. Porrò quum ipsi in huius ætatis prophetas, illis longe superiores, deteriora moliamini, quàm patrarint

trarint in prophetas antiquos maiores uestri, nónne declaratis, quod quæstu, ambitione, liuore & odio excæcati, scientes approbetis impia facta maiorum, quæ non solum imitamini, uerum etiam superare studetis. Toties uos reuocauit ad resipiscentiam dei bonitas, ac semper in eos impie sæuistis, qui uobis ueritatem ingerebant, non ob aliud inuisam, nisi quod aduersaretur uestris prauis cupiditatibus. Proinde dei sapientia, quæ ineffabili cõsilio tẽperat omnia, priusquàm puniat huius gentis pertinacem maliciam, statuit nihil intentatum relinquere, quo possint ad meliora conuerti. Cæterum ubi iam declarata fuerit omnibus, simul & immmensa dei bonitas, & illorũ inuicta peruersitas, tanto dabunt atrociores pœnas, quanto diutius tolerati sunt, quanto maioribus beneficijs prouocati sunt ad pœnitentiam. Sic igitur apud se loquuta est sapiẽtia dei: Quid amplius faciã isti nationi intractabili? Misi Mosen, misi ueteres pphetas cõplureis, misi Ioannem baptistam. Aduersus Mosen coniuratũ est: prophetas uel occiderunt, uel afflixerunt: nec Ioannem quidem, plusquàm prophetam, audierunt: nec illi fuit impune, bene monuisse. Venit filius hominis, & illi machinantur exitium. Mittam ad eos postremos omnium prophetas, qui legem spiritualiter interpretentur: mittam apostolos, qui miraculis polleant, qui de omnibus gratis benemereantur, qui salutem omnibus offerant minimo negocio parandam, uidelicet fide.

cet fide. Ac ne hos quidem audient, sed persequentur, affligent, eijcient, & quosdam etiam occident. Adeo uincet illorũ malicia dei bonitatem. Tandem cum cò creuerit illorum malicia, ut omnium ætatum scelera superarint, non solum æquarint, tum irruet in eos ultio diuina, & requirctur ab eis sanguis omnium prophetarum, qui effusus est ab orbe condito: nimirum à sanguine Abel, qui primus omnium occisus est. ab inuido fratre, usq; ad sanguinem Zachariæ sacerdotis, filij Ioiade, qui multitudinem reuocans ad saniora cõsilia, lapidatus est per tumultum populi inter ædem & altare. Atq; ille moriens, & suam testificans innocentiam, & illorum impietatem, dixit: Videat dominus & requirat. Nunc huius ultionis tempus instat. Vna natio ueluti pro omnibus maiorum facinoribus pœnas dabit, quæ quicquid fuit in omnibus maliciæ, supergressa est. Futurum est haud dubie, quod diuina sapientia futurum esse prædixit. Huius ætatis Iudæi, quoniam superant omnium ueterum rebellionem, peruersitatem, crudelitatem, tam atrociter punientur, quasi quicquid diuersis seculis impie designarũt maiores, id soli peregissent. Etiam atq; etiã uæ uobis Legisperitis, qui quũ profitcamini legis cognitionem, quæ spiritualis est, et uindicaueritis uobis clauem scientiæ, quæ debebat aperire aditum in regnum cœlorum, tamen non solum ipsi non introistis, uerum alios introire uolentes excluseritis. Dum enim legem peram

peram interpretamini, oppugnatis id, quod est totius legis caput. Ad huiusmodi sermones, subamaros quidem ob libertatem ueritatis, sed salutiferos si uoluissent recipere pharmacum, uehementer offensi sunt, simul & pharisæi & legisperiti: sed quoniam tacitè secum agnoscebant esse ueriβima, quæ dicebãtur, dissimulant quidem apud populum, sed tamen interim obseruant omnia Iesu dicta, uenantes si quid proficisceretur ab ore eius, unde possent illi calumniã struere, ne priuato quodam odio, sed studio religionis ac pietatis uiderentur illum persequi. Habet enim et hoc hypocriseis pharisaica, ut nihil tam impium moliatur, cui non prætexat pietatis fucum.

CAPVT DVODECIMVM.

QVONIAM autem dominus Iesus nouerat insanabilem esse maliciam pharisæorum, scribarum, ac legis peritorum, uoluit palàm illorum hypocrisim traducere, ne quis incautus eorum simulatione falli posset, iam tum multis turbis circunstantibus, adeo ut se inuicem cõculcarent, cœpit dicere discipulis suis: Caucte uobis à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Tales esse studete, quales haberi uultis. Nihil posthac fucatũ diu latere poterit. Veniet tempus, quod in apertũ proferat & uestram innocentiam, & illorum maliciam. Nihil autem sic nunc opertum est, quod mox non sit retegendum: neq; quicquam tam absconsum, quod post non sit uenturum in

noticiam

noticiam hominum. Quare curate, ut omnis uita uestra fuco careat, neq; quicquam dicatis, faciatisue, aut cogitetis etiam soli, quod nolitis ab omnibus sciri. Quoniam quicquid nunc clanculum in tenebris dixeritis, olim narrabitur clara luce: & quicquid nunc in aurem dixeritis in cubiculis, olim prædicabitur in tectis. Offendet ueritas homines impios, fucatos imagine pietatis, sed nullius mali metus abducat uos à syncera prædicatione ueritatis Euangelicæ. Extremũ malorum est, ut occidant, sed corpus duntaxat. Ego uero illud dico uobis amicis meis, ne meo fretos præsidio quicq̃ terreat istorum crudelitas, qui ut omnia moliti sint, corpus possunt occidere, quo facto, nõ habent præterea, quo lædãt. At nõ moritur, qui mea causa occiditur. Quod si metum adhibere placet in consilium, æquum est, ut leuior metus cedat maiori, & ille potius timeatur, qui totũ hominem nutu potest perdere. Hunc si uultis uobis ostendi, deus est, qui solus habet potestatem ubi corpus occiderit, etiam animã mittere in gehennam. Ne quid terreat hominum impiorum crudelitas, qui leuiter possunt lædere: imò ne lædere quidem, nec hoc ipsum possunt nisi permissu dei. Quod si terrore hominũ degeneraueritis à syncera ritate prædicationis Euangelicæ, uitantes leuia ac tẽporaria mala, incidetis in æterna mala. Clauus igitur clauum pellat, & dei timor exigat timorem hominum. Nolite metuere, ne pereatis ante diem. Omnino moriendũ

moriendum est omnibus: nec refert quàm diu uiueris, sed quàm bene. Et feliciter hinc exit, quisquis ob nomen meum mortem oppetit. Nec id fiet ante tempus à patre præfixum uobis, ut nihilo diutius uicturi sitis, etiamsi maxime uos discruciarct metus mortis. Et hoc erit curæ patri uestro, ut suo quisque tempore moriatur. Quanquam ista uidentur casu fortuitoq; geri, tamen nihil accidet uobis, nisi permissu patris, cui uestra omnia curæ sunt. Quid passerculo uilius, aut contemptius? Nónne quinq; licet emere dupondio? Et tamen horum cura est deo, neq; quicquam perit etiam uilissimorum animantium insçio patre. Vos aũt quos ex omnibus pauciss̃imos delegit ad illustrandam sui nominis gloriam, adeo non negligit, ut omnes etiam capitis uestri pilos habeat numeratos. Aduersus huius uoluntatem pugnare impium sit. Nihil autem uolet ille, nisi quod optimum fore nouerit. Itaque de uita solicitudinem omnem in illum conijcite. Cui curæ sunt passerculi, non negliget uos tanto passerculis omnibus meliores. Itaque nolite metu malorum, quæ possunt homines hominibus inferre, desciscere à professione nominis mei, memores, per has temporarias afflictiones iter esse ad felicitatem æternam. Nec enim erit socius gaudij, qui recusarit esse socius doloris: nec erit consors gloriæ, qui nunc recusat particeps esse ignominiæ. Quanquam hæc ignominia apud homines, uera gloria est apud deum. Nam illud affirmo uobis:

Nónne quinque passeres asse ueneũt?

Dico aũt uobis.

Quisquis professus hic fuerit nomen meum coram hominibus, quod apud mundum erit inuisum & execrabile, profitebor & ego illum, quum proferetur filij dei maiestas, coram angelis dei. Contrà qui me non agnouerit hic apud homines, nec à nobis agnoscetur coram angelis dei. Scio huius corporis infirmitatem multis futuram offendiculo: sed culpa, quæ uel ab humano proficiscitur errore, uel ab imbecillitate naturæ, quamuis atrox fuerit, tamen facile condonabitur. Proinde quod me uocant Samaritanum, uini potorem, amicum publicanorum, & Iesum fabri filium, facile remittetur, si resipiscant. Est enim conuiciũm, cui locum dedit huius corporis imbecillitas. Cæterum qui conuicium dixerit in spiritum sanctum, per quem deus operatur hæc miracula: quoniam destinata malicia sciens ac uolens repugnat gloriæ dei, non inueniet ueniam nec in hoc seculo, nec in futuro. Quemadmodum angelis impijs non est relictus reditus ad pœnitentiam: quoniam nulla infirmitate, sed obstinata malicia restiterunt deo, nec resipiscent unquam, nec ueniæ spem habent: Eodem in statu fuerint homines, peruersitatem illorum imitantes. Me uident hominem, dormientem, esurientem, uidebunt & morientem: ignoscet poterit, si quid in me dicunt, quod in hominem potest competere. Cæterum quod inuidia corrupti, tribuũt ea facta spiritui Beelzebub, quæ sciunt esse uirtutis diuinæ, & deum fraudantes sua gloria, & in impios dæmones trãsferentes

Et omnis q diãt uerbũ.

quod dei est: hæc nimirum est diabolica malicia, quæ ideo non impetrabit ueniam à deo, quanquam ad miserendũ propẽsissimo, quia nescit pœnitere. Multis igitur modis obstrepetur uestræ prædicationi. Quidam enim aut simpliciter errantes persequentur uos, aut errori mixta malicia. Quidam aduersus animi cõscientiam ueritatem perspectam & cognitam oppugnabũt, nõ ob aliud, nisi quod aduersetur prauis ipsorum affectibus. Per hos spiritus Satanæ malus rebellabit spiritui dei bono: ac per suos satellites omni machinarum genere uos impetet. Quamuis autem estis idiotæ, tenues, & humiles, non est quod metuatis mundi tumultum aduersus uos. Sufficit spiritus dei benignus ac simplex aduersus omnem uel fraudẽ, uel uiolentiã huius mundi. Quũ igitur pertrahemini in synagogas illorũ, delati de magnis criminibus, quũ pertrahemini ad magistratus & principes, nolite facere, quod uulgus reorum solet, qui soliciti sunt, quid respondeant, aut quid loquantur, quo possint elabi è causa. Dabitis hoc publicæ potestati, ut uocati compareatis. Cæterum non est quod uereamini conspectum illorum: aut soliciti sitis, ut meditata oratione uos ipsos defendatis. Semper erit in promptu ueritatis simplex oratio. Hanc quoties erit opus, uobis suppeditabit spiritus sanctus. Qualis est uita uestra, talis erit & oratio. Nihil aũt efficacius simplici ueritate. Quemadmodũ aũt terror iudiciorũ nõnullos transuersos abducit

Ait aũt qui dã de turbã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à synceritate professionis Euangelicæ, ita multos pecuniæ studium corrumpit. Vt igitur & hunc affectum penitus eximeret dominus ex animis discipulorum, uelut humilem & indignum aggressis cœleste negociũ, oblatum est argumentum, per quod ita fieret. Quum enim esset frequentissima turba circa Iesum, neq; quisquam antehac rem tam humilem ausus fuisset ab illo petere, quidam dixit illi: Magister, frater meus occupat hæreditatem communem, ac tergiuersans, prorogat partitionem, hic mihi succurrat tua autoritas. Dic illi, ut mecum diuidat hæreditatem. Iesus autem uelut indignans, quod à negocio cœlesti ad carnales ac sordidas curas interpellaretur, simul interim docens suos, non oportere implicari negocijs profanis ac sordidis eum qui gerit munus apostolicum, respondit: Homo, qua fronte me interpellas aduersus fratrem tuum de diuidunda hæreditate? Quis me constituit iudicem inter uos dissidentes de re leui, ac mox peritura? Aut quis me uobis dedit diuisorem hæreditatum? An mundus hic non habet iudices, qui lites tam humiles diriment? Mihi non est delegatum, ut hic aut ille ditescat hæreditate, sed ut omnes perueniant ad hæreditatem uitæ immortalis. Deinde uersus ad discipulos, ac cæteros qui aderant, cœpit eos exemplo interpellatoris dehortari à studio diuitiarum: nõ quod per se malæ sint, sed quod in his præcipuum uitæ præsidium ponere, et harum studio reuocari ab his, quæ pertinent ad æternam

nam felicitatem, stulticia sit. Etiam atq; etiam cauete, inquit, ab omni confinio auaritiæ, frequenter enim sub prætextu necessitatis ac prouidentiæ obrepit triste uitium, quod semel admissum abducit hominem in omne dedecus. Ac uix uitari poterit, nisi leuiter & contemptim possideamus etiam ea quæ nostro iure possidemus. Cæterum qui sic fidunt diuitijs suis, ut in his ingens aliquot humanæ felicitatis præsidium collocent, uehementer fallunt seipsos. Non enim abundantia facit ad felicitatem, sed potius ad solicitudinem, & contemptum eorum, quæ uel sola quærenda sunt. Siquidem naturæ necessitas exiguo placatur. Id quo crasso populo altius infigeret, adiecit dominus similitudinem, ad quam suum quisque affectum exigeret, atque examinaret. Erat, inquit, homo locuples, cuius agri fructus uberrimos attulerant, ut sunt anni prouentus impares. Ille uero nihil interim cogitans de subleuanda proximorum egestate, sed perinde quasi quod natum esset, uni natum esset, de recondendo solicitus est, non de erogando. Dixit enim apud se: Quid faciam? Annonæ ubertas maior est, quàm ut horrea mea sufficiant recondendis ijs, quæ prouenerunt. Si charitatem adhibuisset in consilium, quum sic æstuaret animo, dixisset illi: Circunspice quàm multis desit, quod tibi supersit. Agnosce cui debeas etiam istam anni tui felicitatẽ. Sortem indulsit deus, unde colligas usuram operum cœlestium. Permuta fluxa bona perennibus,

nibus, terrena cœlestibus, humana diuinis. Ita lucro fu erit tua liberalitas. Sed quoniam stulticiam & incogi tantiam maluit adhibere in consilium, huius impulsu dixit apud se: Demoliar horrea mea uetera, & extru am maiora, & in his recondam uniuersum huius an ni prouentum, cæteraq; bona mea, ne quid pereat. Cõ stabilitis autem, & in tuto collocatis omnibus, securus omnium, dicam animæ meæ: Anima habes reposi= tam magnam rerum copiam, quæ sufficiat in multos annos: requiesce, ede, bibe, & oblecta te. Hoc diutinæ felicitatis somnium quum diues ille uersaret in animo suo, subito uenit ad illum uox dei, dicentis: Stulte, quũ ipsa uita tibi sit incerta, quur recondis in multos an nos, quum his quæ reponis frui non possis, nisi in hac uita, quæ nulli uel ad unum diem certa est? Quid tibi promittis annos plurimos? Hac ipsa nocte repetent abs te animam tuam. Et ista quæ parasti, cuius erunt? Certe tua non erunt. Hæredi relinquas oportet, aut si quis alius occupet. Cæterum spirituales opes, quas ero gandis diuitijs licebat comparare, etiam mortuum fuis sent comitatæ. Habes exemplum ac statum hominis, qui sibi recondit opes huius mundi, ac sibi tantum di ues est, nec est diues erga deum, qui cupit in suis mem bris refocillari per eos, quibus res superest. Ac felici us diuites sunt, qui sic paupereſcunt. Hæc promiscuæ multitudini loquutus dominus, mox conuersus ad disci pulos suos, quos oportebat non solum abesse ab omni auaritia,

auaritia, uerumetiam uacare omni solicitudine hu ius uitæ, ne quares illorum animos remoraretur ab Euangelico negocio: Ideo, inquit, iã antehac dixi uo bis, & repetens iterum iterumq; monebo, nolite soliciti esse de uita uestri corporis, anxij ne desit ãbus aut po tus: neque rursum de corporis incommodo, ne desit il li uestis. Pater uester cœlestis, qui uobis dedit qđ præ stantius est, etiam illud addet, quod est uilius. Anima potior est cibo, quanquam sine cibo interim non durat in domicilio corporis, & corpus precioſius est ueſti mento. An putatis diuitem iuxta ac benignum patrem passurum, ut quum largitus sit uitam, desit cibus quo uita prorogetur? aut qui dedit corpus, commissurum ut corpori desit, quo tegatur? Si dei prouidentia non cessat in animantibus brutis ac uilibus, an cessabit in uobis, quos ad rem tantam delegit? Considerate cor uos, neque serunt, neque metunt, nec penuarium ha bent, nec horreum, & tamen deus etiam illis prospi cit de pabulo, nihil eorum negligens quæ condidit. Quanto magis uobis prospiciet pater, quos tanto cor uis habet chariores? Quid quod non solum diffidentiæ est, anxie distorqueri cura rerum huiusmodi, uerumeti am stulticiæ? Stultum enim est solicitudine nihil pro futura discruciari. Nemo solicitudine sua uitam su am reddere potest uno die longiorem. Quid quod ne corporis quidem modus, aut figura uobis in manu est? Deus dat illi formam quam uult, dat illi modum

quem uult, sic dat illi & uitam, quàm diu uult. Quis autem uestrum solicitudine sua possit ad sui corporis staturam adijcere cubitum unum? Aut quis solicitudine sua possit unum capitis pilum ex albo nigrum, aut ex nigro album reddere? Si igitur in his, quæ minimi momenti sunt, nihil profuerit uestra solicitudo, quorsum attinet esse solicitudo de uita? Iam ne sitis anxij de uestitu, cõsiderate mihi lilia, quæ in pratis nulla hominum cura proueniunt, quomodo nullo curante surgunt ad iustam magnitudinem. Non laborant, neque nent, neque texunt, & tamen prouidentia patris adeo non sinit ijs deesse uestem, ut nec opulentißimus ille Solomon, quum maxime ostentaret strepitum suæ fortunæ, sic uestitus fuerit, ut unum quoduis ex lilijs pratensibus, ad breue tempus duraturum. Quod si deus tãta prouidentia uestit herbam etiam uulgo nascentẽ, & mox perituram: & quæ hodie uiret in agro, cras arefacta conijcitur in clibanum: quanto magis non sinet uos esse nudos, ò parum fidentes? Nec enim aliunde nascitur ista solicitudo, nisi ex diffidentia erga patrem & potentissimum, & liberalissimum, & prouidentißimum. Si is pascit, si uestit, si gubernat uniuersa quæ condidit, abijcite uos quoque solicitudinem de rebus infimis, cibo, potu, & uestitu. Istarum rerum nec uos deijciat penuria, nec efferat exuberantia. Neque supini pendeatis à cœlo, obseruantes omnia temporatũ præsagia, pallescentes quoties astra minitantur

Et uos nolite quærere quid.

tur annonæ penuriam. De his enim rebus etiam in longinquum inquirere gentium est, qui mundo dediti nesciunt deum: uos autem qui nostis, quàm benignũ habeatis patrem in cœlis, quid inani solicitudine torquetis animos uestros? Scit enim pater uester, quod his quæ pertinent ad corporis alendi tegendiq; necessitatem indigetis. Nec tam durus est, ut uos suum agentes negocium, sinat harum rerum inopia perire. Quin potius prima sit uobis cura promouendi regni dei, cuius uos delegi præcones ac ministros. Huius iusticiã ante omnia quærite, non sitam in ceremonijs Iudaicis, sed in his rebus, quas ante docui uos: & toto animo hoc agite, quod est omnium maximum. Cætera leuiora deus ipse uobis adijciet omnia, neq; quicquam patietur desiderari. Ne quas res uos terreat, pusille grex, pauci estis, humiles estis, idiotæ estis, nullis opibus, nulla potentia, nullis armis, nullis copijs instructi estis aduersus mundum hunc impium, & omni genere machinarum in uos cooriturum. Non est tamen quod formidetis. Sic complacitum est patri uestro, reiectis potentibus, doctis, & clatis: uobis iuxta mundum abiectissimis dare regnum hoc, quod arcanis opibus animorum, quod cœlestibus præsidijs inuictum est. Quare delecti ad tantam dignitatem regni cœlestis contemnite ista humilia, destinati bonis perennibus, negligite mox peritura. Quod si terrenæ possessiones remorantur uos à rebus tanto melioribus, uendite quæ possidetis

Nolite timere pusillus grex.

tis, & pecuniam inde collectam erogate in subleuan/dam pauperum inopiam. Non possunt diuitiæ magis in tuto collocari: non possunt maiore certioreq; cum fœnore deponi. Qui dat eleemosynam, deo fœnerat, qui non potest fallere: & ut diues est ac benignus, pro uilibus reddet preciosissima, pro terrenis cœlestia, pro fluxis ac mox auferendis æterna. His igitur opibus stu dete ditescere. Parate uobis sacculos, qui non ueteræ/scunt: reponite uobis thesaurum in cœlis, qui nunquã deficiet, qui uobis tutus sit & à furibus, & à tineis. Siquidem hoc uidemus usu uenire, ut ubi quisque the saurum habet, ibi habeat & cor. Quod enim quis ue/hementer amat, eius non potest obliuisci. Veluti di/ues, qui domi conditas habet aut defossas opes, etiam si foris agat, tamen animus domi est, solicitus ne fur compilet, ne quis casus prodat aut uitiet thesaurum: rursus, qui amant, semper in eo quod amant, habent intentum animum. At oportet uestrum cor semper es/se in cœlis. Atque illic semper erit, si in terris nihil ha bueritis, quod uel miremini, uel ametis, sed uniuersum thesaurum uestrum reconditum habueritis in cœlo. Tempus breue est. Toto studio hoc agẽdum, ut quàm plurimum bonorum operum recondatis in cœlo. Instat dies, quo quisq; pro sementè rerum temporalium mes/surus est messem æternam. Is dies, quoniam uobis in/certus est, oportet in eum semper esse paratos & accin ctos. Eritis autem, si nullis mundanarũ rerum impedi/mentis

mentis remorabimini, si nullam occasionem benefaciẽ/di prætermiseritis. In hunc igitur diem sint lumbi uc/stri semper præcincti, sint lucernæ ardentes in mani/bus uestris, ut similes sitis prudentibus ac fidelibus fa mulis, qui quoniam incertum habent, quãdo dominus sit rediturus à nuptijs, perpetuo stant accincti cum tæ/dis, ut simulatq; reuersus pulsauerit, confestim aperi/ant ei. Non erit ingrata domino hæc famulorum sedu/litas: sed beati fuerint, si dominus subito ueniens offen derit illos uigilantes. Nam illud affirmo uobis, quod dominus pro officio, quod tamen debebant, ampliss/mam mercedem reponet. Siquidem ipse uicissim præ/cinget se, & iubebit illos discumbere, ac præteriẽs ob/seruansq; quid quisq; postulet, ministrabit illis. Nec re fert, qua parte noctis uenerit (id enim incertũ esse uo luit) sed quacunque noctis uigilia uenerit, siue in se/cunda, siue in tertia, uel intempesta nocte, beati futuri sunt serui, si dominus offenderit eos paratos. Non est igitur unquam cessandũ in hac uita. Sed ita uiuendũ, quasi dies ille hodie esset uenturus. Obrepet enim im/prouisus. Proinde semper curandũ, ne opprimat impa ratos. Siquidem ubi semel ille uenerit, iam serũ fuerit sarcire superiorem somnolentiam. Nullus est pater/familias tam socors, qui passurus sit à fure nocturno perfodi domum suam, si nosset quo tempore fur uen/turus esset. Quod si ille uigilat, ne spolietur bonis ter/renis, quanto magis uobis est uigilandũ, ne perdatis felicita/

Universidad de Deusto
Biblioteca

felicitatem æternam? Sicut fur nocturnus obrepit eo tempore, quo dormitur altissime, minimeq; expectatur suffossor, ita filius hominis subito ueniet eo tempore, quo minime uenturum suspicabimini. Proinde quoniam uobis id tempus ignotum est, certum tamen est illud adfuturum, sitis perpetuo parati, instructi bonis operibus, ab omnibus mundanarum rerum impedimentis expediti. Hos sermones quum audisset Petrus, ait domino: Domine, parabolam istam utrum uis ad nos proprie pertinere, an ad omneis pertinet? Dominus autem ita temperat responsum, ut non neget aliqua ex parte pertinere ad omneis qui cupiunt æternam salutem, sed præcipue significet ad eos attinere, quibus credita est dispensatio sermonis Euangelici. Adiecit autem & aliam parabolam, quo magis accenderet suos ad perpetuam instantiam officij sui, proponens & præmiũ functis officio, & pœnam ei, qui cessaret in officio. Inter homines, inquit, rarum est inuenire fidelem ac prudentem dispensatorem rei familiaris, qui peregre agente domino, curet illius familiam, cui præfectus est, non ut tyrannidem in eam exerceat, sed ut ex opibus domini, cuiq; suum dimensum, quantũ opus est, & quando opus est, depromat. Beatus erit ille seruus, quem subito reuersus dominus offenderit in officio. Siquidem expertus fidem ac diligentiã in dimensis, præficiet eum omnibus bonis suis, ac ueluti rerum omnium consortem habere dignabitur. Contrà si ser-

uus

uus ille nec bonæ fidei fuerit, nec prudens, sed elatus absentia domini, ac delegata præfectura, dixerit suo cum animo: Dominus meus iam in longum profert reditum, & fortasse nunquam rediturus est, interim morem geram animo meo: cœperitq; sæuire in conseruos & ancillas, non solum non pascens eos ex tritico domini cõmunis, ucrum etiam pulsans illos ac uerberãs, ac tyrannidẽ quandam usurpans, ipse interim edat, & bibat, comessetur, inebrietur, heri bona fœdis uoluptatibus, luxuq; prodigens: quid futurum arbitramini tali dispensatori? Nimirum redibit dominus, die quo non expectabatur, & hora qua nesciebatur, ac famulum illum secure quidlibet facientem, diuidet & amputabit à familia sua, nec dignabitur cum domus suæ contubernio, sed annumerabit illum reliquis infidelibus, luiturum pœnas, qui noluerit esse memor officij. Nulla re magis sibi conciliare potest animum domini sui dispensator Euangelicus, quàm ut absentis domini benignitatem repræsentet in proximum: nec se putet esse dominum, sed meminerit esse conseruum. Quo uero perfectior fuerit cognitio ueritatis Euangelicæ, hoc grauior erit condemnatio, si quod didicit esse rectum, sequi negligat. Leuius enim punientur gentes, quibus nec per legem, nec per Euangelium annunciata ueritas est, quàm Iudæi, quos lex erudijt ad aliquem profectum pietatis. Et rursum inter hos acrius punientur pharisæi, & legis periti, quàm idictæ. Sed omniũ

grauiss-

grauissimas pœnas dabunt, quos cognita ueritas Euangelica, quos tot miracula, quos exemplum meum non prouocarit ad studium uerę pietatis. Ego nihil cælaui uos. Quicquid pater cœlestis uos per me scire uoluit, cõmunicaui uobis. Cauete igitur exemplum serui negligentis. Etenim seruus ille, quem dominus præ cæteris habuit eximium, cui concredidit dispensationẽ rerum suarum, cui cõmunicauit arcana consilij sui, cui fisus est abiens peregre, nisi fecerit quod iussus est, seseq; præpararit ad exequenda, quæ sciebat ex animo uelle dominum, uapulabit plagis multis. Qui uero fuerit de grege seruorum, cui dominus non indicarit animi sui uoluntatem, si quid cõmiserit animaduersione dignum, plagis uapulabit paucis. Non est igitur quod Euangelici sermonis dispensatio uobis cõmissa, reddat uos insolentiores, sed potius soliãtiores. Onus susçipit uerius quàm honorem, qui functionem susçipit ecclesiasticam. Gratuitum est quod concreditur, & in hoc concreditur, ut proferatur in utilitatem cõmunem totius familiæ. Quemadmodum heri rationem exactiorẽ exigunt ab eo, cui plus cõmiserunt: sic ab eo, cui copiosius cognitiõis & autoritatis munus datũ est à deo, plus requiretur, quàm à cæteris: & cuius fidei latior ac maior functio delegata est, quo pluribus prodesse debuit, hoc plus exigetur ab eo. Quo doctior es, hoc doce libentius: quo ditior es, hoc libentius subleua pauperes: quo potentior es, hoc plures autoritas tua per-

trahat

trahat ad Euangelium. Alienum est quod habes, dominus uult erogari, quod credidit. Sitio salutem hominũ, & huius gratia ueni in mundum, ac meo desiderio iã omnis mora longa est. Non est diluta, nec humana doctrina, quam è cœlis attuli. Merus ignis est, aut purgaturus hominem, aut usturus. Et ideo ueni, ut hic ignis accendatur in terris. Quid enim aliud desidero? Semel accensus, late corripiet uniuersum mundum incendio. Sed non exiliet hic ignis, nisi percussus fuerit in cruce hic silex corporis mei. Supereſt adhuc ille baptismus, quem mihi præscripsit pater, ut tingar proprio sanguine, ut mea morte pœnas luam pro peccatis totius mundi. Tum demũ emicabit inter homines illa scintilla charitatis Euangelicæ, quum uiderint innoxium ultro pro noxijs sustinuisse mortem ignominiosam. Hæc enim est scintilla perfectæ charitatis. Et ab hoc baptismo non solum non abhorreo, sed amore salutis humanæ uehementer angor, ut quàm primum perficiatur. Abhorret natura corporis, sed desiderat animi charitas. Verum hic ignis accensus, excitabit magnos in mundo tumultus. Vehemens enim erit ignis & cœlestis, discutiens & excutiens omnes affectus humanos. An creditis quod uenerim allaturus pacem in terras, quam mundus hic amat, cui tum tranquillitas est, quum satisfactum est animi cupiditatibus, quũ mali cum malis consentiunt? Non profectò, non ueni conglutinaturus tales concordias, sed immissurus dis-

Ignem ueni mittere in terram.

sidia

Universidad de Deusto
Biblioteca

sidia. Non omnes obedient Euangelio, & Euangelij causa cõtemnenda sunt omnia. Itaq; fiet ut in eadem domo, in qua prius erat mala pax, nascatur salutare dissidiũ. Siquidem quinq; natura coniunctissimi mea causa diuidentur inter sese, tres aduersus duos, ac rursus duo aduersus tres. Quid enim coniunctius, quàm patri filius? Et tamen pater Euangelij causa simultatem exercebit cum filio. Et filius Euangelij gratia patrem contemnet. Similiter mater dissidium habebit cum filia, sed apud filiam plus ualebit charitas Euangelica, quàm affectus parentum. Socrus item bellum suscipiet cum nuru sua, sed apud alteram præponderabit amor salutis æternæ, affinitati carnis. Vehementius enim urgent uincula spiritus, quàm naturæ. Post hæc Iesus conuersus ad turbas, dixit: Quur igitur uos non præparatis animos uestros regno dei, quod in proximo est? An non sentitis imminere tot indicijs rerum? Quur hic estis parum boni coniectores, quum in rebus tanto leuioris momenti tam sagaciter coniectetis? Quum enim conspexeritis nubem emergentem ab occasu, statim prædicitis futurum imbrem: & euenit quod prædicitis: ac rursum quum senseritis austrum flantem, statim prædicitis fore æstum, nec fallit uos uestra diuinatio. Parum refert autem, utrum pluat, an non pluat: sed plurimum refert, ut per Euangelicam fidem salutem assequamini perhennem. O hypocritæ, ut omnia uestra fucata sunt. Qualis est uestra

Dicebat aũt ad turbas.

uestra sanctimonia, talis est & prudentia. In his quæ sunt huius uitæ sapitis: in his quæ sunt æternitatis, nihil uidetis. Obseruatis faciem cœli & terræ, & hinc colligitis præsagia rerum futurarum. Qui fit autem ut hoc tempus, quod omnibus uel salutem adfert æternam, si fuerit acceptatum: uel exitium æternum, si fuerit neglectum, ex tot proditis indicijs non animaduertitis instare? Scitis quid prophetæ promiserint, uidetis & auditis tam multa quæ dicuntur & gerũtur inter uos, uidetis innouari mundum, & nondum ex uobis ipsis coniectatis adesse tempus promissum? Hoc solum erat omnibus studijs agendum, nec oportet rem ullam uobis esse tanti, cuius gratia dispendium faciatis Euangelici profectus. Si res est, & impedit, uende: si quis læsit, condona potius, quàm persequaris ius tuum. Quod si res eò processerit, ut eatur ad iudices, uel inter eundũ da operam ut libereris ab aduersario tuo. Præstat uel iniquis cõditionibus finire litem inter uos, quàm incertũ euentũ iudiciorum experiri, ubi non semper superior est causa, quæ melior est. Alioqui committis teipsum periculo, ne iudex tradat te damnatorum exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Quod si fiat, illud adfirmo tibi, non exibis inde, donec resoluas quod petitur usq; ad extremum quadrantem. Negocioſa res est litigare, nec uacat his immorari tricis, qui properat ad metam Euãgelicæ perfectionis. Primum igitur expende, quanto

Cum autem uadis.

plus lucri sit in condonanda iniuria, quàm in perse-
quenda: in deserenda re, quàm in uindicanda. Primum
lucrifeceris amicitiam, quæ suscepta lite periclitatur,
deinde temporis compendium facis, quod erat tibi
non parum multum in lite periturum. Ad hæc animi
tranquillitatem lucraris, quam lites adimere solent.
Postremo uitas, quicquid malorum adferre potest
infelix litium exitus.

CAPVT XIII.

DVm hæc aliáq; multa promiscuæ multitudi-
ni loquitur Iesus, præmijs inuitans ad officiũ
pietatis, supplicijs territans, nullumq; non mouens
lapidem, ut animos auditorum acœnderet ad melioris
uitæ studium, commodum aduenere quidam, qui rem
nouam & horrendam auditu nunciarent de Galilæis
quibusdam facinorosis, in quos Pilatus præses nouo
exemplo animaduerterat, sic ut sanguinem hominum
nocentium misceret cum sanguine pecudum, quas im-
molabant ritu Iudaico. Quoniam autem erat enor-
me, quod illi perpetrarant, ad terrorem omnium hor-
rendo supplicio puniti sunt. Solet autem uulgus homi-
num execrari sic damnatos, sibiq; plaudere, quod ta-
le nihil patrarit, quum sæpe plausor ille sceleratius sit
malus, quàm illi, quorum manifestum scelus publico
supplicio fuit expiatum. Iesus itaq; uolens huius exẽ-
pli terrorem, quem illi non putabant ad quenquam
pertinere, nisi ad eos, qui eadem facinora patrassent,

ad omnes

ad omnes peruenire, respondit illis. An creditis quod
isti Galilæi soli scelerati fuerint inter omneis Galilæ-
os, quod in hos solos desæuijt seueritas iudicis? Nõ sa-
tis est uos non admittere, quod admiserunt illi, ab o-
mnibus peccatis resipiscendũ est. Quod nisi feceritis,
quanquam interim dei lenitas tolerat uos, ut conuer-
tamini, tandem omnes simili dei uindicta peribitis. Et
ne spem impunitatis uobis faciat ultio dilata, nisi ma-
ture resipueritis, subito ueniens opprimet uos, quem-
admodum nuper illi decem & octo ruina turris op-
pressi sunt in Siloa. Vt suffugiatis ultionem hominũ,
dei uindicta uitari nullo modo potest. Ad omneis uos
pertinet paucorũ exemplum. An creditis, quod quum
istos opprimeret ruina turris, non fuerint Hierosoly-
mis multi. his etiã sceleratiores? Sed hos dei clemẽtia
differt in spem pœnitentiæ. Quorundam crimina ma-
nifesta sunt, quorundam latent: & suis quisq; malis
blanditur, sed nemo bonus est inter uos, nec erit cuiq̃
impunita sua malicia. Quin illud affirmo uobis, nisi
resipueritis à pristinis malis, omneis similiter oppri-
met ultio diuina. Videte igitur, ne lenitate dei abuta-
mini ad licentius peccandum, memores, hoc grauio-
rem uenturam ultionem, quo serius uenerit. Prouocat
deus multis modis ad pœnitentiam, nunc blandiens,
nunc territans. Tandem ubi uidet obstinatam homi-
num maliciam nullis rationibus emendari, semel to-
tum hominem funditus perdit, ut alijs exemplum sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

utile, qui sibi bonus esse noluit. Hanc sententiam quo Iesus altius infigeret animis crassæ multitudinis, adiecit similitudinem ad rem accommodam. Quidam, inquit, habebat arborem ficum plantatam in uinea sua: Qui plantauerat, suo tempore uenit ad illam, quærēs fructum iam primum ex foliorum prouentu promissum, neq; quicquam inuenit præter folia. Accito itaq; uineæ colono, ait: Ecce iam tertius præterijt annus, qđ uenio ad hanc ficum, quærens ex ea fructum, nec inuenio. Itaq; succide illā. Ad quid etiam terram occupat, umbra officiens uiti, & succū ad se trahens, quo poterant ali arbores frugiferæ? Colonus autem respondit domino suo: Domine patsus es illam triēnio, sine adhuc & hoc anno, donec experiar extremam curam. Nam fieri potest, ut soli uitio sterilis sit. Fodiam igitur circū illam, & injciam stercora. Hoc fomento excitata si produxerit fructum, seruaueris arborem: sin autem uideris eam esse deploratæ sterilitatis, uenies ad id quod supremum est, & succides eam, ne saltē offiāt uineæ tuæ. Hac parabola dominus in genere quidem cōmonuit omneis, ne deum prouocantem ad pœnitentiā negligerēt. Sed peculiariter notauit gentem Iudæorum, quæ toties prouocata ad meliora per patriarchas, per Mosen ac legem, per prophetas, per Ioannem: deniq; per tot miracula, per Euangelicam prædicationem, tamen quia perstitit in obstinata malicia, funditus excindendam à Romanis. Et eæ

eæ mox exemplum fici sterilis, ut quod parabolæ typus deliniarat, res ipsa subijceret oculis. Ceremoniarum legalium obseruatio ueluti folia erant synagogæ, quæ uidebantur ceu polliceri dulcissimum ac deo gratissimum fructū ueræ pietatis & charitatis erga proximum, quum non solum nihil huiusmodi produxerit, uerū etiam amaros fructus ædiderit, inuidiæ, odij, obtrectationis, blasphemiæ, homicidij. Iesus enim quū ex more suo doceret sabbatis, aderat ibi in synagoga mulier quædam, cui decem & octo annis res fuerat cum morbo immedicabili miseroq;. Erat enim adeo contracto corpore, ut non posset erigere caput, nec aspicere sursum. Ecce materiam exerēdi fructus boni, nisi ficus omnino sterilis fuisset. Mulier hæc imaginem gerebat gentiū & eorū, qui palàm impij & scelerati calamitatē suam præ se ferebant, toti defixi rebus terrenis, de rebus æternis ac cœlestibus ne cogitantes quidem. Contrà Iudæus erectus stabat in uinea domini, quæ est synagoga, uerbis legis ac ceremonijs corporalibus ceu frōdibus ornatus, qui nihil aliud nouit, quàm inuidere & calumniari. Dominus autem primū clementissimis illis oculis suis intuitus est mulierem. Iam hoc ipsum mox sequuturæ salutis omē est. Nec hoc contentus, ultro uocauit ad se. Felix quēcunque accersierit ad se Iesus, & felix qui audit uocantem. Venit mulier, plena bonæ spei. Morbus diutinus erat & immedicabilis, sed nulla est tanta impie-

Erat autem docens in synagogis.

tas, aut iniquitas, quæ per Euangelicam fidem non aboleatur. Videamus igitur fructum bonæ arboris, quem in synagoga desiderabat Iesus. Mulier, inquit, liberata es ab ægritudine tua. Non dedignatur eam sui sacri corporis cõtactu. Imposuit illi manus, ac protinus erecta est, & agnoscens cœleste beneficiũ glorificat deum: ita subito mutata gentiũ ecclesia relictis simulacris, relicto studio pecuniæ, relictis fœdissimis cupiditatibus, quibus diu sic fuerat alligata, ut nec aspirare posset ad cognitionem rerum cœlestiũ, cœpit laudare clemẽtiam diuinam, cuius gratuito beneficio semel liberata esset ab uniuersis uitijs suis, quibus obnoxia misere seruierat satanæ. Iam ex aduerso mihi considera malæ arboris malum fructum. Quum id uidisset Archisynagogus, uidelicet ficus illa sterilis, ac foliis tantum legis sese uenditans oculis hominum, indignans quod Iesus sabbato sanasset mulierem, ueluti rem magnam docturus uertit sese ad cõcionem. Nũc audi uocem uere pharisaicam, & ex hac totam illorum doctrinam æstima. Homo pius, timens ne populus exemplo Iesu prolaberetur in impietatem, confulit illius saluti dicens magna cum autoritate: Sex dies sunt, in quibus fas est opus facere. Proinde si quis sanari cupit, ueniat illis diebus. Sabbatum autem uiolare nefas est. Hanc tam stolidam uocem non tulit clementissimus dominus, qui sabbatum non in hoc cõdiderat, ut à iuuando proximo ceßaretur, sed à malefactis

ctis esset perpetua quies, quam illa sabbatorum ocia figurabant. Quoniam autem hæc uox archisynagogi ex omnium phariseorum, scribarum ac legis peritorum sententia proferebatur, per unum respondit omnibus: Hypocritæ, inquiens, qui neglecta ui legis, corticem duntaxat urgetis, ac speciem iusticiæ præ uobis geritis, quum procul absitis à uera pietate: uidete, quàm hic sitis iniqui iudices. Quis uestrum est, cui sabbati religio obsistat, quo minus à præsepe soluat bouem suum, aut asinum adaquaturus illum? Si iudicatis non uiolari sabbatum ob beneficium, quod muto iumento impenditur: mihi ueluti facinus atrox ĩpingitis, quod hanc Abrahæ filiam germanam, uidelicet parentem synceritate fidei referens, sanarim sabbato? Vobis tanti est priuatum commodum, ut nõ sit religio soluere lorum asino, ne siti pereat sabbato, & indignamini, quod hanc uestræ gentis mulierem, quam satanas decem & octo annis habuit astrictam, soluerim sabbato? Si opus interdicitur sabbato, uter plus operis facit, qui soluit asinum & ducit ad aquam, an ego qui solo uerbo, & contactu sanaui totam mulierem? Siccine mitiores estis in bouem, aut asinum, quàm in sororẽ aut fratrem? Et sic legem obseruatis, ut eius superstitione negligatis, id quod totius legis est caput? Hic sermo Iesu quoniam perspicuam habebat ueritatem, & ad sensum etiam communem humanæ naturæ consentaneum, pudorem in-

cussit obtrectatoribus illis. Dolebant enim aliquid suæ gloriæ decedere apud multitudinem, apud quam eatenus sese uenditarant. Iesus autem indicare uolens omnem illam inanem phariſæorum ostẽtationem, quæ magnificam habebat sanctimoniæ ſpeciem, breui euanituram: contrà, uim Euangelicam ex humillimis initijs profecturam in tantam amplitudinem, ut totum orbem ad se pertrahat, idq; per mortem, per apostolos humiles & idiotas, proposuit duas parabolas eiusdem sententiæ. Videtis, inquit, regnum synagogæ pugnare cum regno dei. Euincet tamen id quod potentius est. Itaq; uelut afflatus nouo spiritu dominus, quo redderet attẽtiorem multitudinem, dixit: Cui rei dicam esse simile regnum dei, aut cui comparabo illud, ut ex re nulli uestrum non notißima, intelligatis quale sit? Quumq; iam omnes expectarent magnificam aliquam similitudinem, de sole, aut fulmine sumptam, maluit à cõtemptißimo legumine ducere parabolam. Simile est, inquit, grano sinapis, quod quàm diu est integrum, ut minutißimum est, ita uiliſſimum est, nec colore, nec odore blandiens oculis, & si quid habet uigoris, intus habet. Hoc homo quidam prudens nactus non contempsit, sed seuit in horto suo. Enatum est autem illud contemptiſſimum semen, & excreuit in arborem ingentem, adeo ut in ramis eius etiam aues nidularentur, pro uno granulo, multa milia producens. Sic regnum dei, quũ maxime uidebitur extinctum,

extinctum, tum sese latiſſime proferet. Rursus autẽ cui rei simile dicam regnũ dei? Simile est exiguæ masſulæ fermenti, quod prudens mulier abdidit in farinæ cõſperſæ tribus mensuris, atq; ibi reliquit ueluti sepultum, donec paulatim fermenti uis afficeret totam illam quamuis multam farinam: sic humilis doctrina Euangelij quondam occupabit uniuersas orbis nationes. Hæc loquutus Iesus ꝓperabat eò, ubi granũ erat infodiendũ terræ, ubi fermentũ abdendũ in farina. Faciebat enim iter Hieroſolymã, ubi sciebat sese occidẽdum. Sed inter eundũ per ſingulas ciuitates ac uicos docebat omneis, ne quid tẽporis periret ab Euãgelio. Quoniam autem ſublimia quædam docuerat de uendendis facultatibus, de uiuendo extempore coruorũ ac liliorũ ritu, de nõ cõtendendo cũ aduerſario, quidam adiens cum dixit: Domine, an pauci ſunt, qui ſalutem cõſequuntur? Nam iſta quæ doces haud ita multos reor amplexuros. Rurſum aũt parabola de grano ſinapis, & fermento uidetur diuerſum polliceri, nempe uim regni dei peructuram ad multos. Ieſus autẽ oſtẽdere uolens, fãmã quidem & cognitionẽ Euangelicæ doctrinæ, ad hæc & miraculorum geſtionẽ peruenturam ad plurimos, cæterũ neminem fore ſaluũ, qui non depoſitis omnibus huius mundi cupiditatibus ſequatur humilem Chriſtũ, dixit: Contendite intrare per anguſtam portam. Id non contingit oſcitantibus. Conandum est, anguſtus est ingreſſus, ſed ducit ad la-

titudinem regni cœlorum,nõ capit hæc porta onustos diuitijs,cumulatos honoribus,distẽtos luxu, graueis auaricia,turgidos & elatos fastu. Qui tales sunt, eligunt uiam latam,spatiosam, & prima specie blandam,sed ducentem ad mortem. Nunc igitur cõtendite intrare,dũ patet aditus:excutite sarcinas omneis, ut uos capiat angustus ingressus,nã illud affirmo uobis:Erunt complures olim,qui cupient intrare, nec licebit,uidelicet occluso iam aditu. Quum enim intrauerit pater familias, & clauserit ostiũ,quod nũc patet omnibus adnitentibus:tum sero resipiscẽtes agnoscetis errorẽ uestrũ,& inuidentes his qui sunt ingressi,incipietis obsidere ostiũ,ac pulsare fores, dicentes: Domine aperi nobis. Tũc ille,qui prius nõ est auditus inuitans ad ingressum, uicissim non audiet uos, sed respondebit hunc in modũ: Audio nomen domini, sed ego uos non agnosco famulos,quærite eum cui seruistis. Tũc uos incipietis dicere: Qui fit domine, ut nũc non agnoscas nos? Apud nos natus es,edimus ac bibimus tecũ,& in plateis nostris docuisti. Et sumus tui discipuli,atq; etiam in tuo nomine sanauimus ægrotos,& dæmonia eiecimus. Hic respondebit paterfamilias: Ista quæ comemoratis non efficiunt mihi germanos discipulos. Qui meis uestigijs ingressus fuerit, hunc ego pro meo agnoscam. Vos cuiates sitis nescio. Discedite à me, nihil uobis proderit, nouisse legem,audisse me,nihil gentis cognatio, aut consuetudinis fa-

nis familiaritas,nihil ædita in nomine meo miracula. Quisquis inuidet,aut odit fratrem, quisquis suæ gloriæ consulit cum iniuria gloriæ dei,quisquis pecuniam anteponit charitati proximi,hic quacunq; de gẽte uenit,meus non est. Abite igitur,recepturi uobis dignum præmium ab eo, quem coluistis. Famuli mei quoniam mecum,& mea causa passi sunt,mecũ æterni conuiuij iucunditate fruentur. Vos qui seculi uoluptates præposuistis æternæ felicitati, illuc abite, ubi erit fletus & stridor dentium. Augebit enim calamitatem uestram aliorum conspecta felicitas,quos hic fueratis persequuti. Videbitis enim progenitores uestros Abraham,Isaac,& Iacob,ac prophetas omneis,quos uestri maiores uel afflixerunt,uel occiderunt, accumbentes in regno dei, ac uos ab his prognatos expelli foras, neq; quicquam uobis prodesse generis & cognationis prærogatiuam:nihil profuisse legis obseruationem,nihil audisse nos,nihil ædidisse miracula. Per fidem intrandum erat ad hanc felicitatem. Acœdet & aliud,quod acrius etiam uret animos uestros: Vobis repulsis, qui credebatis uos solos recipiendos, uenient ex omni totius orbis natione,ex omnibus mundi plagis,promiscue nulloq; delectu,quibus nihil fuit cognationis cum Abraham,Isaac & Iacob, nulla notitia legis, nulla mecũ familiaritas,& subito per fidẽ adoptati in filios Abrahæ,accumbent in regno dei. Ita res præter expectationẽ uestram in diuersum uertetur

tetur. Qui uidebantur proximi saluti, procul à salute reijciẽtur. Et qui uestro iudicio habebantur alieniſſimi à deo, idololatræ, centuriones, publicani, milites, meretrices, primum honorem habebunt in regno dei. Quoniam autem hæc inuiſa Iudæorum auribus, paſſim magna cum libertate docebat Ieſus, phariſæi quidam, ut iniecto metu obturarent os Euangelicũ, adierunt Ieſum, dicentes illi: Cõſule uitæ tuæ, & relinque Galilæam. Nã Herodes huius prouinciæ rex tibi male uult, & uenatur occaſionem occidendi te. Quod ni caueris, nihilo mitius tractabit te, quàm tractauit Ioannem. Ieſus autem declarans ſibi nihil eſſe periculi à quoquam homine, niſi uellet ipſe, nec ſe moriturum, niſi eo tempore quo decretum eſſet, nec alio genere mortis, nec alio loco, quàm conſtitutũ eſſet, ait illis: Ite & dicite uulpi illi, qui uerſutia humana credit ſe aliquid poſſe aduerſus conſilium dei: Ecce non eſt humanum quod gero, nec licet deſinere ante tempus à deo præſcriptum. Nihil Herodi iuris in hoc negocio. Quemadmodũ enim illius autoritas nemini poteſt præſtare, ut hæc agat, ita neminem poteſt impedire, ne quod agit, peragat. Quur autem impediat, ſi bona ſunt quæ facio? Eiſcio dæmonia, & propello morbos. Hæc gratis operor, non diu facturus. Breue tempus eſt, quod multi cuperent eſſe longius, ſed ita mihi patriq; meo decretum, ut ad ſalutem hominum hæc agam hodie & cras, & tertio die ſummam manum meis

meis factis impono. Nõ oportet igitur hoc exiguo tempore ab officio delegato ceſſare, ſed tanto maiore conatu, quod delegatum eſt agere, quo ſpatium eſt breuius. Non igitur mihi fugiendus eſt Herodes, ſed pertenda eſt Hieroſolyma, ubi mori decretum eſt, ut pallàm fiat omnibus ciuitatis illius impietas, quæ ſe nomine religionis iactat. Siquidem illa eſt uetus illa prophetarum interfectrix: neque conuenit ut propheta quiſquam pereat extra Hieroſolymam. Atq; interim miſericors dominus, qui pro ſua bonitate cupiebat omneis ſaluos fieri, præuidens imminere inſanabili ciuitati ſupremum excidium, deplorat illam, quæ toties ſpreta dei bonitate, ad meliora uocantis, meruerit extremam ultionem: O Hieroſolyma Hieroſolyma, illa uetus interfectrix prophetarum, ac lapidatrix eorum qui mittuntur ad te, quoties conatus ſum congregare filios tuos, mihiq; adiungere, non ſecus atq; gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas ne pereant. Tua uero pertinacia uicit meã bonitatẽ. Et quaſi deuota exitio, ſic omnia reſpuis, per quæ poſſis ſanari. Proinde, quando tu nullũ impietatis modũ facis, imminet tibi ſæua calamitas. Relinquetur enim uobis domus ueſtra deſerta, ſic ut uix ullum ueſtigium ſuperfuturum ſit iſtius urbis, quæ nunc ſe iactat ut religionis caput. Transferetur à uobis omnis gloria, ac demigrabit ad gentes. Ipſi feretis ſententiam aduerſus uos. Occidetis quidem me, ſed illud affirmo, nõ prius

Quia nõ capit prophetam.

uidebitis

uidebitis me, quàm dicatis, benedictus qui uenit in nomine domini. Hæc erit uestra professio, quam ueritas à uobis extorquebit, sed tamen mox reuersi ad ingenium progenitorum uestrorum, occidetis quem prædicastis.

CAPVT XIIII.

ACcidit autem post, ut inuitatus ad conuiuium à quodam inter pharisæos primario, adiret domum illius, ac cibũ caperet apud eum. Erat autem dies sabbati. Accumbebant uero simul & alij multi pharisæi, qui more suo obseruabant Iesum, si quid diceret facerétue, quod in eo calumniarentur. Et ecce parata calumniæ occasio. Aderat enim illic homo quidam hydropi obnoxius, malo ferè immedicabili, colore lurido, corpore turgido. Sed huic misero profuit uenisse in conspectum Iesu. Infelix enim peccator qui se subducit ab eius conspectu, qui cupit omneis fieri saluos. Iesus autem nõ ignarus, quid apud se cogitarent pharisæi, ac legis periti, rogabat eos, an sabbato fas esset conferre sanitatem homini perituro. Illi quum obticuissent, Iesus accersit hydropicum ad se, & contactu suo sanauit eum, ac iussit abire. Ilico mutatus est homini color, subsedit corporis tumor. Hoc factum quum esset admirabile, tamen pharisæos offendebat uiolata sabbati religio. Iesus autem ostendens, illorum religionem esse præposteram, qui in salute hominis offenderentur, in asino seruato non offenderen-

fenderentur: respondit illorum tacitis cogitationibus, ac dixit. Si cuiusquam uestrum asinus, aut bos decidisset in puteũ die sabbati, utrum expectaret, donec præterisset sabbatum: an potius nihil moratus, statim eodem die extraheret iumentũ suum ne periret? Si tantum apud uos ualet bouis, aut asini salus, ut non putetis uiolari sabbatum, quur offenditur animus uester, quod hunc hominem, cui præsens erat periculum, ab aquis intercutibus seruauerim die sabbati? Si opus expenditur, plus est operis in extrahendo iumẽto, quàm in hoc homine seruando. Vidi, contigi, ac dimisi. Si personam æstimatis, potior esse uobis debet unius hominis salus, quàm plurimorum boum aut asinorum. Ad hunc sermonem obticuere pharisæi, quorum animi sic erant corrupti deprauatiq;, ut quum non haberent, quod dilucide ueritati responderent, tamen approbare nõ possent, quod à Iesu fieri uidebant. Quod si quid ipsi eiusmodi facere potuissent, omnibus tubis ebuccinassent gloriam suam. Cæterum quoniam dominus Iesus omnium factorum suorum gloriam uolebat esse penes patrem deum, pharisæorum fucatam sanctimoniam ubiq; detegebat, qui nimium diu imposuissent simplici populo. Venabantur enim gloriam suam apud homines, & ideo inuidebant gloriæ dei. Atq; hic erat uerus hydrops animi, nascens ex corrupto iudicio mentis, ueluti ex epate uitiato. Collocantes enim gloriam in his rebus, in quibus non erat gloriandũ,

Universidad de Deusto Biblioteca

riandum, tumebant foris inani fastu, intus intestinis omnibus misere corruptis ac putrefactis. Proinde do minus, qui contactu sanarat hydropicum, cupit & ho rum morbo, salutiferi sermonis mederi pharmaco. Quicquid enim agebant pharisæi, ad fastum & ina nem ostentationem agebant. Obambulabant in phyla cterijs, orabant in triuijs, dabãt eleemosynam præ nente tuba, ieiunabant arte obscurata facie, in foro uenabantur magnificas salutationes, in conuiuijs ca ptabant honoratiores accubitus. Tanta erat sitis stul tissimæ gloriæ, tantus erat tumor, sed intus nihil erat syncerum. At facile sanatus est ille, qui aqua intercu te laborabat, quia morbũ agnoscebat, & sanari desi derabat. Morbus animi sanari nõ potest, si non agnoscas. Iesus itaque taxare uoluit fastum illorum, quos princeps ille pharisæorum non ad hospitalitatem, sed ad ostentationem inuitarat, quod uocati ad conuiuia ambirent locum honoratiorem, sibi placentes, si scl ta contigisset honestior: tristes, si locus cessisset inho noratior. Quales uidemus adhuc esse fermè solennes Rabinorum pompas, quotics à synagoga proceditur ad conuiuium. In synagoga sedent in sublimi, cæteros uelut ex alto despectantes: citius cubito deturbaturi proximum, quàm cuiquam cessuri locum suum. Via tor ingredientibus uiam facit subinde repetito hono rifico titulo: offenduntur, si quis non assurgat præter euntibus, si quis caput non aperiat, si quis ausit con

sidere,

sidere, priusq; ingrediens ille consederit. His interim ineptis ceremonijs teritur tempus, ut non uacet ali quid discere. Nec enim illi Rabini in hoc ueniunt, ut discant, aut doceant, sed ut apud populum uenentur gloriam. Magna pompa ueniunt, sed maiore egre diuntur. Diceres ludos agi solẽnes, aut diuitis funus incedere. Hic rursus de loco certamẽ. Nemo non gra uem iniuriam factam existimat, si læuũ claudat latus ei, qui uidetur inferior. Rursus in conuiuio mira de lo co cõtentio. Quid multis? Hydrops est quicqd agũt, inanis gloriæ uenatus est, quum interim apud popu lum pro dijs haberi uelint. Iesus igitur cupiens huius modi morbo laborantes docere, non esse ueram glo riam, quæ ambitur, sed quæ quum promereris, uita tur: proposuit huiusmodi parabolam, ciuiliter ita tan gens uniuscuiusq; conscientiam, ut neminem tamen proderet. Quum fueris, inquit, inuitatus ad nuptiale conuiuium, caue ne ipse primum occupes locum. Ne forte posteaquàm tu accubueris, superueniat alius te honoratior, iamq; ueniens is qui & te, & illũ inuita uit, iubeat te surgere, & locum cedere honoratiori. Tum pro captata gloria lucrifacies ignominiã, & cogeris cum rubore tenere locum extremum. Quin potius quum uocatus fueris ad honorabile conuiuiũ, sume tibi locum accubitus postremum, ut quum ue nerit conuiuator, dicat tibi: Amice ascende ad locum honoratiorem. Tunc tua modestia cedet tibi in glo

 riam

riam apud conuiuas reliquos. Modestiam tuam agnoscent ex eo, quod tibi postremum locum delegeris, dignitatem agnoscent ex conuiuatore. Sic est in hominis uita. Quo quisq; maior est, hoc se magis debet deijcere, donec ueniat ille, qui uera perpetuaq; gloria subuehit humiles iuxta mundũ, & elatos ac sublimes deijcit. Sic in regno dei, populus receptus est usq; ad apostolicæ dignitatis fastigium, sacerdotes, pharisæi, scribæ, & legisperiti reiecti sunt. Gentes agnoscentes humilitatem suam, euecti sunt ad æternæ gloriæ consortium: Iudæi qui soli regnare uolebant in hoc conuiuio, nunc aut nullum habent locum, aut habent postremum. Atq; hæc quidem parabola pertinebat ad superbos pharisæos. Adiecit dominus alterã, quæ peculiariter pertinebat ad pharisæorum principem. Diuites enim dum uolunt hospitales uideri, non uocant quos reficiant, sed eos à quibus uicißim inuitentur, aut unde gloriam aucupentur sibi. Atq; hæc quidem non est hospitalitas, sed ambitio, uel auaricia, uel utrunq;. Liberalitas enim est, quæ libenter cuiuis præstat beneficium sine spe redituræ gratiæ. Parabola sic habet: Si uis bene collocare conuiuium tuum, si quando est tibi animus exhibere prandium, aut cœnam, noli uocare amicos tuos, qui tua liberalitate non egeant, aut qui bene de te meriti sint, ne uel referre gratiam, uel captare beneficiũ uidearis, uel pudore uocare, ne uidearis ingratus: neque fratres tuos

aut

aut uicinos, ne beneficium cognationi datum uideatur, non affectui: neq; uicinos diuites, ne tibi pereat exhibiti conuiuij gratia. Peribit autem, si illi te uicissim inuitent, & conuiuium aut æquale, aut lautius etiam exhibeatur. Sic enim pensato beneficio, nihil debebunt gratiæ, sed si cupis bene collocare conuiuium, unde tibi redeat amplissima merces non ab hominibus, sed à deo, uoca pauperes, debiles, cæcos, & claudos. In his refocillandis deum refice. Dices, in his opera & impensa perierit. Nõ enim habent, quod rependant, & semper egent. Hoc ipso beatus eris, quia non habent, quod referant. Sed habent opulentissimum patronum, qui sibi patietur imputari, quod in illos collatum fuerit. Is restituet pro temporarijs æterna. Noli præpropere poscere mercedem. Bonæ fidei est cui credis. Restituet enim haud dubie, si nõ in hac uita, quanquam hic quoque restituet, certe in resurrectione iustorum. Hæc autem domini parabola, nõ solum pertinebat ad pauperes conuiuio reficiendos, sed ad subleuandam omnem proximi necessitatem, siue docẽdus est, siue monendus, siue cõsolandus, siue alio quocunq; charitatis officio promouendus ad salutẽ. Hæc autẽ deo sunt præstanda, non homini. Hæc quũ dixisset Iesus de conuiuio nuptiali, deq; resurrectione iustorum: quidam è conuiuis, ueluti per somnium tactus desiderio cœlestis illius conuiuij, dixit: Beatus cui continget edere panem in regno dei: ueluti

subindicans paucos fore, quibus cessura sit ea felicitas, quasi ḉ; non quilibet ad illud conuiuium sint admittendi, sed dūtaxat Iudæi, aut Iudæorum primores. Iesus autem proposita parabola, docuit primo quidē loco uocatos Iudæos, ne queri possent sese spretos esse, sed dum ipsi dediti rebus mūdanis uocati recusant uenire, pluris habentes peritura bona, quàm uitam æternam, uocandas esse omneis promiscue nationes, ut impleretur ecclesiæ cœtus. Parabola erat huiusmodi. Homo quidam prædiues constituerat exhibere cœnam magnificam. Ad eam uocauerat complureis. Quumḉ; iam instaret cœnæ tempus, misit seruū suū, qui nunciaret omnibus inuitatis iam instare cœnæ tēpus, properarent. Inuitarat olim per prophetas, denūciat rursus per Ioannem, ac filium hominis. Venite, inquit, iam enim parata sunt omnia. Hic quum frui liceret, expectata diu cœna, cœperunt simul omnes excusare, alius alio prætextu. Primus enim intētus augendæ rei domesticæ, ac prius habens lucrum terrenæ possessionis, quàm æternæ felicitatis, respondit urgenti famulo: Prædium mercatus sum in agro, & necesse est eò proficisci, ut inuisam, quod emi. Rogo te habeat me dominus tuus excusatum. Itum est ad alterum. Ille simili morbo laborans, respondit: Iuga boum emi quinque. Eundum est igitur, ut ea probem, an feliciter emerim. Rogo te effice, ut dominus tuus habeat me excusatum: liberet enim uenire, si liceret.

Itum

Itum est ad tertium. Et is excusauit dicens: Vxorē duxi, et scis quàm sit res operosa, quot curas secum trahat, & idcirco si maxime uelim, non licet nunc uenire. His atq; alijs prætextibus quum sese excusassent omnes, seruus reuersus renunciauit domino suo. Ibi dominus indignās, quod ultro uocati ad tam honorabile, tamq; felix conuiuiū, ob res friuolas excusarent omnes, quo magis urerentur in posterum, simul atq; intellexissent, & quātam rem spreuissent, & qui nūc in spretæ felicitatis societatem successissent, dixit seruo inuitatori: Abi celeriter in omnes plateas, & uicos huius ciuitatis, & quoscunq; habueris obuios, debiles, cæcos & claudos, adducito ad conuiuium meū. Illos honoris gratia primos uocaui, non habent quod querantur. Illorum fastidium non perdet conuiuium meū. Erunt qui fruantur, etiamsi illi contemnāt oblatum honorem. Efficiam, ut qui tibi uidentur magni, cæcis, debilibus, claudis, & omnium abiectissimis hominibus inuideāt. Rediit seruus, & peractis quæ mādarat paterfamilias, ait illi: Domine adduxi quoslibet, etiam è medijs uijs, & tamen adhuc aliqua pars tui conuiuij uacabit. Nam apparasti copiosissimum, & innumerabilium conuiuarum capax. Dominus autē cupiens apparatum cōuiuium quàm plurimis esse usui, dicit seruo: Abi rursum, abi, uel extra ciuitatē in uias ac sepes, & undecūq; collige mendicos, hospites uel ignotissimos, qui si grauentur uenire, uel impro-

 bitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitate compelle, ut ueniant ad me, & tandem impleatur domus mea. Illud autem affirmo uobis, quod nemo uirorum illorum, quibus id honoris habitum est, ut primi uocarentur, & fastidierunt, gustabit cœnam meam. Fortasse pœnitebit illos olim, quũ uiderint lauticias, ac splendorem conuiuij, & inuidebunt his, quibus ipsorum fastidium locum fecit. Sed frustra tum cupient ingredi, qui cum liceret, excusarunt. Hæc loquutus Iesus in conuiuio phariſæorum, perrexit ire Hierosolymam. Comitabatur autem illum ingens hominum multitudo. Sequebantur multi pedibus, qui uitæ exemplo sequi non potuissent. Ibat enim ad crucẽ, ad quam oportet esse paratum, quisquis uult illius esse discipulus. Conuersus igitur ad sequentes se, dixit: Non omnis qui me sequitur pedibus corporis, uere meus est discipulus. Nemo se mihi iungat, nisi paratus ad eadem, ad quæ ego propero. Omnibus humanis affectibus renunciet oportet, qui uolet perpetuus meus esse discipulus. Etenim si quis uenit ad me, nec adhuc odit patrem & matrem suam, uxorem, filios, fratres & sorores, quin insuper & suam ipsius uitam, non potest meus esse discipulus. Et qui graua-

Et cõuersus dixit ad illos.

tur baiulare crucem suam, atque ita sequi me, non potest meus esse discipulus. Alioqui si quis ad me ueniat, obnoxius humanis affectibus, diuitiarum, honorum, uoluptatum, parentum, cognatorum, affiniũ, cupiditati uitæ, formidini mortis, ad obiectam occasionem

casionem resiliet ab instituto. Proinde priusquàm aggrediare negocium nequaquam delicatum, animum præpara ad omnia dura, quæ sint perpetienda. Alioqui tolerabilius est non aggressum esse, quàm ab eo quod cœperis deficere. Saltem hic ea prouidentia præstanda est, quam homines præstant in rebus multo leuioribus. Quis enim est ex uobis tam improuidus, ut in animo habens ædificare turrim, statim ac temere aggrediatur, quod cogitat? Non enim solũ cogitat, habebo turrim, sed antequàm iaciat fundamenta, sedens per ocium supputat apud se., quantis impendijs sit opus futurum ad turrim absoluendam. Quod si deprehenderit rem familiarem angustiorem esse, quàm ut sumptum necessarium ferre possit, abstinet, ne si semel iacto fundamento, postea destiterit, eo quod perficere non possit, omnes qui prætereuntes conspexerint opus cœptum et intermissum, incipiant ei illudere, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, quod non potuit consummare. Itaque si tantum habet momenti pudor apud homines, ut nemo ausit ædificium incipere, nisi consultis facultatibus domesticis, quanto magis oportet expendere robur animi uestri, priusquàm profiteamini uos fore sectatores meos, à quo si semel cœperis resilire, grauis sit ignominia apud angelos dei. Non est delicata res, sequi me. Nec satis est magnifice dicere, nisi robur adsit par negocio. Quis autem rex tam in-

incogitans est, ut si parct expeditionē aduersus alium regem, non antea quàm quicquàm moliatur, per otium sedens expendat uires regni sui, an expediat occurrere hosti, uenienti aduersum se cum uiginti milibus hominum, cum manu decem milium. Quod si cōpererit sibi uires esse impares ad conflictum, priusquàm ille propius admoueat exercitum, mittit ad illū oratores, qui tractent de conditionibus pacis. Nam id sanè tolerabilius est, quàm experiri Martis aleam imparibus præsidijs. Honestius est enim ante prælium commissum agere de rebus componendis, quàm post cladem acceptam, inhonestioribus etiam legibus accipere pacem. Quod si homines in rebus huiusmodi subducere norunt quid præstare possint, priusquàm incipiant: quanto magis oportet idem facere in hoc negociō, quo non est aliud maius aut fortius? Quisquis igitur est ex uobis qui sequitur me, nec affectu renunciauit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Oportet aut ingenuum esse discipulū, aut nullū. Nihil enim abiectius eo, qui à susceptа professione perfectionis Euangelicæ, uictus cupiditatibus carnis resilijt. Oportet autem discipulum meum esse similem sali. Sal si uigorem habeat, ualet seruandis & condiendis omnibus cibis. Quod si semel sal esse desierit, & uis illa natiua euanuerit, ita ut ipsi sali sale sit opus, nulla ratione potest effici, ut ad ullum ualeat usum. Nec enim condire potest aliquid, nec

ab alio sale condiri. Cæteræ res, etiamsi corrumpantur, tamen aliquem de se præbent usum. Veluti uinum ubi uapuerit, uertitur in acetum. Sal uero magnæ quidem rei, sed uni natus, si factus fuerit insipidus, nulli hominum usui accommodus est, adeo ut ne in sterquilinium quidem sit utilis, quo conijciuntur etiam ea, quæ sunt corruptissima. Adfert enim sterilitatem admixtus lætamini, & adeo nullam adfert usquam utilitatem, ut lædat etiam, quicquid attigerit. Hoc sermone dominus Iesus admonuit quorundam temeritatem, qui uolebant uideri discipuli Christi, quū nō ignoraret, etiam eos, quos ex omnibus paucos segregarat, ad crucis horrorem defecturos esse. Sed ut hic sermo infigeretur animis eorum, in posterum intelligendus, adiecit: Audiat hæc, cui sunt aures, talium rerum capaces. Nō enim quorumlibet aures, huiusmodi dicta ferre possunt.

CAPVT XV.

CVM autem confluerent ad Iesum uniuersa populi multitudo, nec ille quenquam submoueret, aut fastidiret, ausi sunt etiam propius ad illum accedere publicani quidam, & peccatores, quod genus hominum pharisæi uehementer abominari solent ad ostentationem sanctimoniæ, quum certissimum sanctimoniæ signum sit, non fastidire peccatorem, sed adhiberi modis omnibus ut resipiscat, & resipiscenti gra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tulari. Itaq; pharisæi, qui quum essent intus pleni fastu, liuore, odio, auaricia, superbia, tamẽ sibi iusti uidebantur: uidentes quod Iesus non grauate sui copiam faceret publicanis, cæterisq; ob palã admissa infamibus: quod genus sunt lenones ac meretrices: murmurant aduersus illius clementiam, dicentes: Hic qui nouam quandam sanctimoniam profitetur, tamen non uitat malorum consortia, sed notos etiam peccatores admittit ad colloquium, & adeo non fugit congressum, ut cibum etiam cum illis capiat, non cogitãs quod malorum contubernio contaminentur boni. Iesus autem ut hunc fastum inclementem penitus eximeret ex animis suorum, tres parabolas proposuit, diuersis argumentis cõdem adhortantes: nimirum ad summam clementiam erga peccatorem resipiscentem, qui non solum repellendus non est, quum redit ad mentem meliorem, uerum etiam modis omnibus inuitandus est, ut resipiscat. Prima parabola sic habet: Quàm, inquit, deus non auersetur peccatorem resipiscentem, ex suo quisq; animo coniectare potest. Est ne uestrum quisquã cui sint oues centũ? Nimirũ sua cuiq; res chara est, nec cupit aliqd inde perire. Quid faciat autem si è centum ouibus cõtingat unam aberrare? An non unius damno tantopere cõmouebitur, ut relictis nonagintanouem in deserto, solicitus cursitet ad illam quæ perijt, neq; conquiescat, donec inuenerit? Quid autẽ si contingat inuenire perditã ouiculam?

culam? Nimirũ gaudens imponet eam humeris suis, & gregi iunget, lætior de una recepta, cui timuerat, quàm de incolumitate totius gregis, cui nõ metuebat. Tanta est autẽ gaudij magnitudo, ut sese non cõtineat, quin & apud alios effundat. Nam domũ ueniens, perinde quasi insigni lucro auctus, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gratulemini mihi, meoq; gaudio uelut amici gaudeatis, quandoquidem decet inter amicos esse cõmunia omnia: quoniam inueni ouem, quæ mihi perierat. Si hic est affectus boni pastoris erga gregem suum, quo affectu putatis esse deum, erga genus hominũ, quod condidit, quod alit, quod in sui nominis gloriam æternæ felicitati destinauit? An ille spreturus est peccatorem, quem à grege seduxit satanas? An potius, ut est misericors, & amans eorũ quæ condidit, nihil non facturus est, ut perditum asserat? multoq; cum gaudio recipiat pœnitentem, quem doluerat perisse? Illud affirmo uobis, quod quemadmodum pastor ille ob unicam ouiculam receptam gaudet cum amicis et uicinis suis, ita maius gaudium erit omnibus angelis in cœlo de uno peccatore resipiscente, quàm de nonagintanouem iustis, quibus non est opus pœnitentia. Hæc imago peculiariter quidem designabat dominum Iesum, qui solus est ille pastor summe bonus, qui collapsum genus humanum patri reconciliauit: de suo dependens, quod nos commeruimus, nostráque peccata baiulans in corpore suo.

Quanquàm

Quanquàm autem nullam reperit nationem, quæ non esset multis peccatis obnoxia, tamen Iudæi ad cæteras gentes collati, uidebantur habere speciem iusticiæ, quod deum unum colerent, quod legem à deo traditam obseruarent. Et erant inter Iudæos, qui præceptorum legalium tenaciores, sibi uidebantur non egere pœnitentia. Sed horum iusticia minus attulit gaudij pio pastori, quàm gentes à maximis ac manifestis criminibus resipiscentes, ab idololatrijs, ab adulterijs, à libidinibus prodigiosis. Et inter Iudæos magis illustrauit dei misericordiam Paulus, ex persequutore factus apostolus, quàm si Christũ tacitus cũ suo Iudaismo miscuisset: quod à multis tum factum est. Pertinet autem parabola generaliter ad apostolos, & apostolorum successores episcopos. Nam hos oportet Christi principis affectum erga gregem ipsius repræsentare, si tamen mercenarij pastores non sunt. Fit enim frequenter, ut qui ab enormibus, ac manifestis peccatis conuertuntur ad ueram pietatem, studio pietatis longe præcurrant eos, qui nunquam in eiusmodi flagitia prolapsi fuerunt. Hos non fastidiet Euãgelicus pastor, sed omnia tentabit, donec ad ecclesiæ caulas reduxerit. Resipiscentes multo publicoq; gaudio recipiet. Obmurmurent pharisæi, qui fucata iusticia freti, non intelligunt, quanto gratior sit deo misericordia, quàm sacrificium. Qui uere iusti sunt, qui amici boni pastoris maiore gaudio gratulabuntur

receptæ oui, quàm multis in sua frigida iusticia confidentibus. Nõ enim imputant pristinos errores, quos semel gratis condonarit & oblitus est deus, sed applaudunt ad nouæ uitæ studium recurrenti. Redire nõ poterat, nisi pastor humeris suis reuexisset, atque ideo sanctorum chorus applaudit bonitati diuinæ, nõ inuidens alteri, quod in se quisque expertus est: & omnium commune ducens, quod unicuipiam membro contigerit, seu boni, seu mali. Aequum autem est, esse totius ecclesiæ communem læticiam, quum mœror & solicitudo fuerit omnium communis. Hæc igitur erat prima parabola, qua dominus taxat pharisaicam & arrogantem iusticiam, quæ peccatores tantũ oderat, ac uitabat: quum ueræ pietatis sit omnium procurare salutem, peccantes summa cum mansuetudine reuocare ad meliora, resipiscentes summo cum affectu charitatis recipere. Hac clemẽtia si Christus, qui solus peccatum non nouit, usus est, quanto magis decet hominem, & ipsum peccatis obnoxium, idem facere erga proximum suum? Altera parabola sic habet. Quæ, inquit, est inter uos mulier, cui si ex decem drachmis una perierit, negligat damnum unius nummi, quum nouem sint incolumes? Quid igitur faciet? Nimirum accendet lucernam, euerret totam domum, scrutabitur omnes angulos, nihil non mouebit loco, breuiter non faciet quærendi finem, donec inueniat drachmam perditam. Quod si contingat inuenire,

uenire, tantum est de una recepta gaudium, ut sibi nõ temperet, quin & apud amicas suas ac uicinas effundat, quibus conuocatis dicet: Gratulemini mihi quod inuenerim drachmam, quæ mihi perierat. Non iactat nouem drachmas, quæ non perierant: de una recepta gloriatur, & hac una sibi uidetur locupletior, quàm nouem illis. Si mulier sic est affecta erga nummos suos, ut doleat quicquàm perire, & ut uehementer gaudeat, receptum esse quicquid perijt, quamuis pusillum: quanto magis deus nihil uolet perire ex hominibus, pro quibus seruandis seipsum impendit, quos ad imaginem suam condidit. Tertiam parabolam adiecit, quæ quanquàm & ipsa generaliter pertinet ad omnem peccatorem, post ingentia flagitia resipiscentem, tamen pro temporis illius quo dicta est ratione peculiarius notat gentes ad Euangelij gratiam receptas, & Iudæos, qui sibi iusti uidebantur, illorum inuidentes felicitati. Parabola sic habet. Homo quidam, inquit, habuit duos filios, ex his qui minor erat natu, adolescentiam ac stulticiam inconsilium adhibens, adijt patrem, & ait illi: Pater da mihi portionem facultatum, quæ redit ad me, experiar enim meo more, quid ex hoc lucri facere possim. Pater indulgens, partitus est inter duos filios substantiam, & unicuiq; data est sua portio cum facultate utendi ut uellet, non tamen sine spe profectus. Ac maior quidem haud longe seiunctus est à domo paterna.

Minor

Minor uero intra dies paucos diuenditis omnibus, cõtracta præsente pecunia, peregre profectus est in regionem longinquam. Quid faceret adolescens & sui iuris, & semotus à patre, & uiuens peregre? Diuortium facit cũ benignissimo patre deo, qui se facit aduenam mundi. Non est ista locorum seiunctio, sed affectuum. Corrumpunt mores bonos colloquia prana. Iudaicus populus legem acceperat, cuius ductu sciret quid esset sequendum, quid fugiendum. Habuit & gentium populus dotes suas, uim ingenij, cognitionem rerum cõditarum, ex quibus licuisset cognoscere conditorem, sicut & cognouerunt. Quin & de ratione recte uiuendi libros absolutos ædiderunt, sed immemores, quod has ipsas opes deberent patris benignitati, quas ille non in hoc indulsit, ut stulte abuterentur, uerum ut ex his parentem beneficum colerent, suóque cultu ad largiorem munificẽtiam prouocarent. Quantum autem aberrarant à deo, qui ligna, lapides, qui canes, boues, simias, serpentes, cepas, & porrum colebant pro dijs? qui in eas turpitudines prolapsi sunt, à quibus bruta quoque animantia semouet naturæ sensus? Infelix autem libertas, quam patris præsentia nõ moderatur. Quid enim accidit iuueni emancipato? Inter peregrinos prodegit omnem substantiam, nõ ipsius qui nihil habebat suũ, sed patris. Prodegit autem per luxũ, alea, scortis, cõuiuijs, Luxus enim est quicquid extra necessitatem,

carnis

carnis cupiditatibus impenditur. Hæ nimirum corrũpunt, ac uitiant quamuis præclaras naturæ dotes. Vbi uero profudisset uniuersam substantiam suam, per omnia morem gerens animo suo, orta est fames ingens in ea regione, in qua iuuenis peregrinabatur. Nihil enim habet hic mundus, quod explere possit animum hominis, præter summum illud bonum, quod non est, nisi in domo patris. Quid faceret adolescens peregrinus inter ignotos, nudus & fame periclitans? Cui graue fuerat obtemperare iussis clemẽtissimi patris, coactus est sese dare in seruitutem ciui peregrino, & barbaro. Quum recusant homines accipere suaue iugum domini, coguntur ferre durissimum iugum satanæ. Vis autem audire quàm sit misera seruitus, seruire cupiditatibus mundanis? Ciuis ille misit illum in uillam suam, ut illic pasceret porcos suos. A quanta dignitate, in quantam contumeliam, sua stultitia deuenerat miser adolescens. Ex ditissimæ domus hærede factus est seruus & subulcus. Nec interim crudelis ille dominus dabat, quod ederet. Quid multis? Tanta erat fames ueritatis, & gratiæ diuinæ, quæ sola explet animum hominis, ut cuperet implere uentrem quibuslibet, uel siliquis, quibus saginantur porci. Neque quisquàm erat, qui uel hoc pabulum illi daret, ut iam infelicior esset ipsis porcis, quibus seruiebat uerius, quàm imperabat. Iam illa ipsa naturæ bona destituerant iuuenem. Perierat arbitrij

arbitrij qualiscunq; libertas, & tamen corruptissimus animi stomachus aliquid cibi flagitabat. Omnis inanis mundi uoluptas ad breue tempus deliniens, nec satians, nec saginans animum, porcorũ siliquæ sunt. His delectantur dæmones, ac sibi addictos inescant uerius quàm satiant. Nec harum semper est parata copia: aut si est, multo felle dolorum uitiata est. Iam igitur erat uentum ad extremam calamitatem: sed felix calamitas, quæ compellit ad resipiscentiam. Siquidem hic est primus ad salutem gradus, reminisci, unde deciderís: & agnoscere, quò degeneraris. Atque hic erat patris attractus. Aberat ille quidem à patre, sed pater nusquam non adest. Antea iuuenis mente captus erat, dementatus huius mundi præstigijs: fugiens ea, quæ sola fuerant expetenda: expetens ea, quæ sola fuerant fugienda. Sed bene habet cum peccator afflatu tacito benigni patris redit ad cor. Iuuenis igitur tandem reuersus ad se, sic sibi loquutus est. Vnde quò ueni miser? Ex patria in exilium, ex opulenta domo in regionem famis, à libertate in seruitutem, ab amantissimo patre ad crudelissimum dominum, à dignitate filijfamilias ad fœdissimam conditionem, à consortio fratris & famulorum ad porcos. Quàm multi sunt mercenarij in domo patris mei, quibus ex patris benignitate suppetit larga panis copia. Et ego filius familias, hic fame pereo. Mercenarij sunt plerique Iudæi, qui præceptá legis utcunq; seruant, non ex affectu pietatis, sed

ob metum aut præmiũ rerum temporaliũ. Et tamen est aliquid apud patrem familias tam opulentum pariter & largum uel conductitium agere, nec diuelli à domo felici. Fiet enim ex mercenario filius, si filij sumpserit affectum. Sancta autem inuidia est, quæ iuuenem prouocat ad spem ueniæ. Posteaquàm enim deplorauit suam infelicitatem, in qua totus iacebat, incipit erigere se, dicens: Surgam, & ibo ad patrem meũ. Qua tandem fiducia? An habes, quo te purges illi? Vsus es illo indulgentissimo, flagitasti tuam portionem. Non negauit. Vltrò reliquisti amantem ac propitium, prodegisti turpiter substantiam paternam, nõ in hoc traditam. Calamitatẽ istam nulli potes imputare, nisi tibi ipsi. In defensione facti mei nullum est præsidium, una spes est: quoniam noui patrem esse uere patrem, natura clementem & exorabilem, fortasse aliquid pristinæ charitatis residet in illius pectore, etiam si ego totum filium exui. Non eleuabo, non negabo culpam admissam. Plus apud illum ualebit simplex confessio, & animus sibi uere displicens, quàm accurata purgatio. Quo simplicius odero meipsum, hoc facilius redaccendam illius in me charitatem: postremo in summa rerum desperatione cui me potius committam, quàm patri? Solus ille potest restituere collapsum: & si quisquam uolet, ille uolet. Non expectabo, ut meum crimen, ut meam calamitatem ex alijs cognoscat, qui ultrò prouocent ad uindictam, placabilius

lius erit, si rem ut est, ipse narraro. Statuat ille quicquid uolet. Pater est, illius sum: & in illum peccatum est, quicquid peccatum est: dicam illi: Pater, peccaui supra modum, & coram angelis dei, & coram te: nec posthac dignum me iudico qui dicar filius tuus. Mihi satis erit, si misertus mei habeas me eo loco, quo habes unumquemlibet è mercenarijs tuis, liceat modo hærere in aliqua parte familiæ tuæ. Nulla sanè accommodatior oratio ad prouocandam optimi patris misericordiam. Quò simplicius cõfitetur admissum, quod nec cælari, nec excusari poterat, quo uehementius sibi displicet, quo magis sese deijcit, quo magis declarat sibi nullam esse spem, nisi in una patris clementia: hoc magis illius animum in leges pertrahit suas. Atq; hanc orationis formam non ars suggessit iuueni, sed conscientia sibi quidem tota displicens, sed tamen non omnino pessime sentiens de bonitate patris. Hac igitur concepta fiducia surgit iuuenis. Hic est, ut dixi, primus ad salutem gradus, erigi. Relegit totum iter lachrymãs ac gemens, qui ferox & amens à patre discesserat. Habes imaginem hominis ab extremis malis resipiscentis. Nunc mihi diuinæ clementiæ simulachrum intuere. Nondum iuuenis peruenerat ad ædes paternas, quum procul etiam illum pater aduenientem prospiceret, ut est oculata pietas. Prior uidit, qui tenerius amabat. Vidit autem miserabili specie redeuntem, qui ferox & insolens profugerat. Videbat

Universidad de Deusto
Biblioteca

pannosum, macie confectum, squalidum, gementem, & lachrymantem. Hæc ipsa rerũ species statim commouit paternum pectus, & iustam iram flexit ad misericordiam. Procurrit obuiam uenienti, & non expectatis filij precibus, pietate natiua uictus, irruit in collum filij, & osculatus est eum. Hæc tametsi essent argumenta propensi ad ignoscendum animi, tamen sibi etiamnum iratus iuuenis ait: Pater, peccaui supra modum, & coram angelis dei, & coram te: & tamen audeo uenire in conspectum tuum, quum indignus sim qui posthac nominer filius tuus, quandoquidem à me omnia pietatis iura rupta sunt. Hic mihi in homine, qui ex instinctu naturæ sic afficitur erga filium, dei bonitatem intellige, qui multo clementior est erga peccantem hominẽ, si modo uere & ex animo resipiscat, sibiq; displiceat, quàm quisquam pater esse possit erga filium, quem tenerrime diligit. Nondum omnia dixit filius quæ fuerat meditatus, singultu sermonẽ interrumpente. Plus autem loquebãtur lachrymæ, quàm oratio. Quid autem interea pater? Num intonat sæuis uerbis? Num minitatur uerbera? Num abdicationem? Num exprobrat suam in illum benignitatem? Num fugam? Num ingluuiem, aliáque uitæ dedecora? Nihil horum meminit, tantum est gaudium de recepto filio. Iuuenis abdicat sese, pater restituit: filius seipsum damnat, pater absoluit. Filius abijcit sese ad indignitatem mercenariorum, pater pristinam dignitatem restituit

stituit. Versus enim ad famulos ait: Cito depromite huic stolam pristinam, & induite illum, & addite anulum in manum eius, & induite calciamenta pedibus eius. Quin & è pascuis adducite uitulum illum insignem & saginatum, & occidite. Apparemus conuiuium, & gaudeamus, quoniam hic filius meus mortuus fuerat & reuixit: perierat, & inuentus est. Tantum ualet apud deum animus uere resipiscens. Nullum exigitur supplicium, tantum resipuisse satis est amanti patri. Qui se reddiderat indignũ oculis paternis, hunc procul etiam aduentantem conspexit pater. Qui cõmeruerat perpetuo excludi ab ædibus paternis, ut quas turpiter ingratus ultrò reliquerat, huic redeunti processit obuiam pater ipse, qui neminem habet domi suæ clementiorem se. Qui sese turpibus dominis dederat in seruitutem, hunc pater amplexu suo dignatus est. Flagra commerito datur osculum, charitatis & pacis argumentum. Felix autem ille peccator, quem dominus suo amplexu, suóque dignatur osculo. Culpam confesso, & filij nomen ob conscientiam admissorum recusanti, proferuntur omnia pristinæ dignitatis insignia. Pericrat, quicquid erat uestium, quæ decerent filium: profertur illi prima stola prioris innocentiæ, quam amiserat. Pericrat omnis dignitas filij familias spontanea seruitute, restituitur anulus. Et nequid desit ornatus, uestiuntur & pedes. Nihil horum sperare ausus est iuuenis: & quo minus sperat, hoc plus impetrat.

petrat. Ac ne quis eum minoris faceret in domo ob erratum adolescentiæ, pater uitulo mactato, totam familiam ad communem lætitiam inuitat, & iustas gaudij causas reddit. Qualis qualis erat, inquit, filius erat. Is mortuus fuerat, & reuixit. Peccatũ enim, animæ mors est. Et ad mortem properat, quisquis autorem uitæ deserit. Desrit autem, quisquis amat ea quæ sunt huius mundi: procul enim absunt eius uoluptates à disciplina dei. Reuiuiscit autem, qui resipiscit. Perierat irrecuperabiliter, quod ad ipsum attinebat, sed inuẽtus est. Discedere à familia patris, perire est: extra hanc enim nulla est salus. Nec est reditus, nisi pater semet in memoriam ingerat filio ad extrema deducto. Suggestio patris est beneficium, sed quod suggestionem salutarem non negligit filius, hoc illi pro merito imputatur: confessio criminis pro satisfactione est: perierat suapte stulticia, sed inuentus est charitate paterna. Quoniam autem toto pectore resipuit, quoniam totus sibi displicuit: non solum pristinæ dignitati restituit cum paterna clementia, sed conuiuium etiam addidit, quo magis commendaret filium suum omnium suorum affectibus. Qualem autem se præbuit pater hic parabolicus in recipiendo filio, tales se præbere debent pastores & episcopi erga peccatorem resipiscẽtem. Verum ab hac imagine multum absunt supercilioſi pharisæi, qui suis blandientes uitijs, nihil aliud quàm sæuiunt in lapsus alienos. Et ecce dum communi gaudio

gratulatio-

gratulationéque perstrepit tota domus patris, hoc est, omnis ecclesia uere sanctorum, solus frater pharisaicus inuidet. Dum enim hæc geruntur, filius natu maior domi non erat, sed uersabatur in agro legis Mosaicæ, sudans gestandis oneribus præceptorum, & exantlans opera legis grauia, quum frater interim minor acceperit mitissimum patris iugum. Quum autem cœpisset esse uicinus ædibus paternis, audiuit nouum strepitum præ gaudio concinentium, ac ducentium choreas. Affixus enim insipidæ literæ legis, non nouerat quantum habeat gaudiorum Euangelicus spiritus. Hæc dum negligit Iudæus, nihil aliud quàm in agro legis fodiens ac baiulans: interim magno cum gaudio receptus est gentium populus in domum patris: nihil aliud sitientis, quàm salutem suorum omnium. Demiratus autem assectator uetustæ legis, quid esset nouæ rei, quæue causa insolitorum gaudiorum, non dignatus est ingredi, futurus & ipse particeps communis læticiæ, quod quidem uehementer optabat pater. Non enim sic receptæ sunt gentes, ut excluſi sint Israelitæ: sed nunc quoque stant pro foribus indignantes, quod ob gentes ad salutem Euangelicam receptas sibi gratuletur ecclesia. Euocauit igitur unum è seruis patris, ac percontatus est, quid nam esset nouæ læticiæ. is respondit: Frater tuus uenit, quo recepto, gauisus pater, occidit uitulum illum insignem, quem diu sagi-narat, propterea quod illum, quem periſſe crediderat,

incolumem ac ſaluum receperit. Hic mihi conſidera uere Iudaicum animum, qui fratri recepto gratulari debuerat, qui patris optimi clementiam prædicare, maluit inuidere fratri, & indignari patri. Manſit itaque foris murmurans & indignabundus. Id ubi reſciuit amantiſſimus pater, qui cupiebat domus ſuæ læticiam omnibus eſſe communem, progreſſus eſt ad illum, ac cœpit blande rogare illum, ut omiſſo ſtomacho iungeret ſe communi conuiuio, ſeq; paterni gaudij conſortem præberet. Nec tanta patris optimi comitate mitigeſcit maior ille filius, ſed arroganter expoſtulat cum patre, & impie fratrem accuſat. Ecce, inquit, tot annos ſeruio tibi, nec unquam præteriui præceptum tuum, & tamen nulla eſt habita ratio diuini obſequij mei. Nunquam enim mihi uel hœdum ullum dediſti, unde poſſem epulari cum amicis meis. Cæterum poſteaquam iſte filius tuus, qui tuam ſubſtantiam deuorauit cum ſcortis, redit domum, mactaſti illi uitulum illum inſignem & obeſum. An nõ uideris tibi uidere filium hunc maiorem indignantem ingredi, & hæc murmurantem aduerſus patrem, quum legis phariſæos obtrectantes Chriſto, quod cum publicanis & peccatoribus cibum capiat? Iudæos indignantes aduerſus Græcos, quod admitterentur ad miniſterium apoſtolorum? deſtomachantes quod gentes ab idololatria uenientes, abſque legis onere per ſolam fidem admittantur ad gratiam Euangelicam, baptiſmo donentur & ſpi-

& ſpiritu ſancto confirmentur? inuidentes quod ipſis abſtinentibus à conuiuio, gentium eccleſia cum inenarrabili gaudio ſpiritus, comedit uitulum illum exiimium, quem pater pro ſalute totius orbis mactari iuſſit? quanquam & hunc murmuratorem placare conatur parentis optimi benignitas. Fili, inquit, nihil tibi decedit, quod in fratrem utor clementia. Nam tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. Non enim perinde uoluptati eſt nunquam interrupta felicitas: ſed quemadmodum morbus præcedens commendat nobis redditam corporis ſanitatem, ita calamitas præcedens auxit nobis læticiam de filio recepto. Debes autem & tu gratulari fratri, nec abeſſe ab huius conuiuij lætitia: quia frater hic tuus mortuus fuerat, & reuixit: pericrat, & inuentus eſt. Itaque putato non tibi rediſſe eundem, ſed pro male frugi probum eſſe renatum. Non decet meminiſſe qualis fuerit, ſed gaudere quod talis ſit, qualem optamus. His tribus parabolis dominus Ieſus adhortatus eſt ſuos ad clementiam, & facilitatem in recipiendis peccatoribus: nuſquam enim magis illuſtrari gloriam dei, quàm quum qui inſigniter fuit improbus, ſubito mutatus afflatu ſpiritus fit alius, ex idololatra ſeruus Ieſu Chriſti: ex raptore, ſubleuator pauperum: ex libidinoſo, pudicus: ex ambitioſo, modeſtus: ex uindice, tolerans ac lenis. Porrò natu minor hoc reperit animum patris propenſiorem ad ignoſcendum, quod gentes, quæ deum non nouerant,

errore deliquerunt uerius, quàm destinata malicia. Solet enim adolescentiæ comes esse rerum imperitia & incogitantia. Et idcirco huic ætati libentius ignoscimus. Porrò Iudæus qui sibi uidebatur esse iustus, sibi placens ex obseruatione legis, grauius peccat inuidendo fratri, quàm ille peccauerat aberrando.

CAPVT XVI.

ATQVE hæc quæ hactenus dicta sunt, peculiariter tangebant pharisæos, indignantes quod dominus Iesus uelut immemor suæ dignitatis, publicanos & peccatores admitteret ad uitæ consuetudinem. Mox uersus ad discipulos suos inuitat eos ad uberiorem clementiam, ut non solum non obmurmurent bonitati diuinæ, uerumetiam ipsi hanc modis omnibus imitentur: per omnem occasionem benefacere studentes proximo suo, subleuantes eum subsidio rerum corporalium, consolantes, exhortantes, docentes, admonentes, condonantes admissa: docens non peritura nobis benignitatem nostram, sed in futuram uitam reponi, quicquid hic impenditur proximo: hanc sententiam huiusmodi parabola proposuit: Homo quidam erat diues, qui rerum suarũ dispensationem crediderat œconomo suo: is delatus est apud dominum, quod profusior, quàm par esset, dissiparet bona ipsius. Dominus igitur accito œconomo, dixit illi: Quur isthuc rumoris audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ, posthac enim nolim te rerum mearum œconomum.

Œconomum. Œconomus autem ut intellexit breui futurum, ut àmoueretur à dispensandi munere, callide sibi prospexit in breui. Alijs sunt opes, alijs eruditio, alijs rerum usus, alijs aliæ dotes. Quod autem habet quisque quo possit prodesse proximo, substantia diuitis domini est, quam oportet largiter in proximum erogare. Nullus enim est dominus earum quas habet dotium, sed dispensator duntaxat. Cito aufertur hæc dispensatio, quoniam hic omnis uita breuis est, & post hanc uitam non est benemerendi facultas. Dissipat autem facultates domini, quisquis suis affectibus impendit quod habet, nec inde proximum subleuat. Œconomus igitur mox amouendus à dispensatione sua, suo cum animo consultat, dicens: Quid facturus sum, quandoquidem dominus aufert à me dispensandi facultatem? Nec est unde uiuam. Nihil enim mihi collegi dum licuit. Superest, ut aut ad stipem diurnam fodiam in agro, aut publicitus mendicem. Ad fodiendum uires desunt, mendicare pudet. Sed commodum uenit in mentem, unde mihi subito prospiciam. Parabo mihi amicos ex facultatibus domini mei. Hi submotum ex officio dispensandi, memores meæ erga se benignitatis, recipient me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? Is respõdit: Centum batos olei. Tum œconomus: Accipe cautionem tuam, ac cito sedens, pro centum scribe quinquaginta. Dominus prædiues est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, uolo ut dimidium lucrifacias opera mea, eo perfecto, dixit alteri: Tu uero quantum debes? Qui respondit: Centum coros tritici. Tum œconomus: Accipe codicillos tuos, & scribe octoginta. Viginti coros non sentiet abductos dominus, tibi uero pauperi erũt usui. Ad eundem modum egit cum cæteris debitoribus. Ea fraus si comperta fuisset illi diuiti, non fuisset impune œconomo: sed tamen dominus Iesus ad exemplum beneficentiæ laudauit apud discipulos suos œconomi illius fraudulentum sed tamen prudens consilium: & ad huius imitationem adhortatus est suos, taxans nostram socordiam, quod homines huic mundo seruientes, in prospiciendo sibi de uictu corporis prouidentiores sint & attentiores, quàm hi, qui abdicato mundo sectantur ea quæ sunt æterna, in prospiciendo sibi in uitam cœlestem. Turpe est autem illos in suo genere sapere, ac prouidere, quum agatur de rebus leuibus ac mox perituris: quum nos cessemus officijs in proximum conferendis, nobis parare præsidia uitæ immortalis: quum ob incertum huius uitæ terminum expectare debeat quisque futurum, ut audiat à domino, quod audijt œconomus ille: Posthac non poteris dispensare. Tempus autem hoc quoniam & incertum est cuique, & alioqui nulli non breue, properandum est, ut erogatis in pauperes terrenis facultatibus, paremus nobis uiaticum in uitam æternam. Sic enim futurum, ut beneficiorum quæ gesserunt alij, nos quoque reddamur

reddamur participes, qui illos opibus nostris iuueri mus. Etenim qui facultatibus suis adiuuat Euangelij negocium agentem, hic uicissim in regno cœlorum Euangelistæ benefactis subleuabitur. Ait itaque dominus: Et uobis in tempore consulite ad exemplum illius prudentis œconomi. Conciliate uobis bonos amicos ex re mala, ut quum iussu domini cogemini decedere ab isto domicilio corporis, illi recipiant uos in æterna tabernacula. Felix permutatio est quum caduca permutantur æternis. Quid autem uilius est, aut à uirtute longius abest, quàm opes huius mundi? Vix unquã sine fraude parantur: nec alia est tuendi augendiq; ratio, quàm parandi. Onerosa possessio est, nec ea tuta interim, nec omnino diurna. Non enim sequuntur herum suum hinc emigrantem. Sed his tamen emere licet, quod æternum est, quódque in futura uita sit usui. Ita fiet, ut quod reconditum iniustum facit hominem, ac multis curis obnoxium, id erogatum fiat instrumentum Euangelicæ iusticiæ, dum & subleuatur necessarijs, qui seruit Euangelio, & merces ad largientem multo cum fœnore redit. Qui dispensat opes hominis, ita demum fidelis dispensator inuenitur, si quàm parcissime dispenset, quod creditum est. At contrà deus, qui diues est in omneis, cupit largissime erogari, quod dispensandum tradidit: & pro infideli habet, quisquis ueluti proprium tenuerit, quod dominus uoluit esse cõmune, quotics exigit proximi necessitas.

Proinde

Proinde qui in dispensanda re uilissima secus se gesserit, quàm ex sententia liberalissimi domini, nónne uidebitur indignus cui dominus credat rerum sublimiorum dispensationem? Quicquid habemus, domini est: diuitiæ corporales, & quicquid gignit hic mundus, dei benignitas est. Doctrina Euangelica, reliquæq; dotes spiritus, dei dona sunt: non in hoc datæ, ut his soli fruamur, sed ut in utilitatem proximi dispensemus. Verum hoc interest, quod ea quæ pertinent ad refocillandum corpus (quoniam extra nos sunt) nec propria sunt, neq; perpetua. Mũdi opes sunt potius, quàm nostræ. Deinde quoniam speciem habent felicitatis iuxta mundum, quum reuera uehementer officiant ueræ hominis felicitati: nec hoc sunt, quod dicuntur. Dicuntur enim bona, quum uere sint ea, quæ reddunt hominem infelicem. Igitur opes animi ueræ sunt ac nostræ: non quod has deo nõ debeamus, sed quod possessorem suum nõ deserant etiam in uita futura, si quis nunc ut oportet utatur. Vt autem in re publica nemo prouehitur ad consulatum, nisi prius in ædilitate aut prætura, alijsúe minoribus magistratibus specimẽ suæ integritatis dederit: & in familia non creditur dispensatio rerum preciosarum, nisi qui prius fidelem se declararit in rebus uilioribus: ita dominus docet non esse credendam dispensationem opum Euangelicarum, quæ uere propriq; sunt diuitiæ ei, qui pecuniam rem ut omnium uilissimam, ita & alienam parum fideliter

ter dispensauerit. Quisquis enim non potest cõtemnere diuitias terrenas, insyncere dispensabit animi diuitias. Hæc dominus inculcans animis suorum discipulorum, aiebat: Qui fidelis est in minimo, hunc consentaneum est & in re magna fore fidelem. Rursum qui in pusillo iniustus est, is & in magno erit iniustus: etenim cuius animum uilissimæ rei cura solicitare potest ad peccandum, hic multo facilius occasione maiore pertrahetur ad peccandum. Quod si in mammona iniquo, hoc est, falsis, & ut ferè fit, fraude partis diuitijs, non præbueritis uos domino fideles, qui eas dedit dispensandas: ueras animi diuitias quis credet uobis? Et si in re aliena, quæ nulli perpetua esse potest, parũ fideles fuistis, quis committet uobis, quod perpetuo uestrum erat futurum? Leuius lædit, qui mala fide tractat diuitias huius mũdi, quàm opes Euangelicas. Totum hominem postulat regnum dei. Animum postulat ab omnium mundanarum rerum amore liberum. Nec est quod quisquam tentet miscere mundum cum Euangelio, quod est regnum cœlorum. Etenim si nemo potest esse seruus communis duobus dominis, quod uix inter ullos homines sic conueniat, ut unus seruus utrique satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro contempto, cogatur uni adhærere: quanto minus uos potestis deo seruire & mammonæ, dominis tam discordibus, ut inter illos nihil conueniat? Seruit autem Mammonæ, qui magnam felicitatis partem collocat in diui

Universidad de Deusto
Biblioteca

in diuitijs, eaq; causa magno studio laborat, ut quàm plurimum possideat, ut quod partum est, tueatur, & augeat. Hic gestit accrescente re, discruciatur erepta. Deo seruit, qui uel reiectis istius mundi bonis, uel neglectim possidendo summo studio curat ea, quæ faciant ad æternam salutem. Hos sermones omneis tametsi dicebantur his, qui se credebant esse posse Christi discipulos, onustos solicitudine diuitiarum, tamen audiebant & pharisæi, quorum animi uelut utres anti/

Audiebant aũt hæc oĩa pharisæi.

qui non capiebant hoc Euangelicæ doctrinæ mustum. Erant enim auari non solum pecuniarum, uerumetiam gloriæ. Erant elati, feroces ac uindices. Proinde deridebant doctrinam domini Iesu prouocantem ad beneficentiam, ad neglectum uindictæ, gloriæ, uitæ denique. Habet autem ac semper habebit hic mundus suos pharisæos, qui suis freti præsidijs derideant doctrinam modestiæ, clementiæ, mansuetudinis, ac liberalitatis. Abhorret ab hoc musto cœlesti palatum assuetum uapæ mundanæ prudentiæ. V tinam & horum sannas dignetur retundere dominus Iesus, qui pharisæos irrisores seuere redarguit, dicens: V os, inquit, tumetis inanibus bonorum simulacris, uenditantes uos apud homines, qui æstimant hominem ex opulentia, ex uestitu, ex obseruatione ceremoniarum, ex quibus uobis conciliatis etiam sanctimoniæ laudem, quum reuera nec diuites sitis, nec sancti, nec felices, nec magni. Deus enim ex ipsis animi bonis æstimat hominem,

hominem, qui solus intuetur corda uestra. Atq; is demum diues est, qui apud deum diues est: is iustus est, qui apud deum iustus est: is magnus est, qui sibi paruus, dei iudicio magnus est. Nam ferè fit, ut quod hominibus uidetur sublime quiddam ac suspiciendum, apud deum habeatur abominandum. V os adhuc mordicus tenetis corticem legis, & in umbris gloriamini: quũ nunc aperiendus sit nucleus, ut umbras dispellat exorta lux Euangelicæ ueritatis. Desuescendum est à uapa Mosaicæ legis, & hauriendum mustum firmioris doctrinæ. Legis figuris suum fuit tempus, expectabatur quod promittebant prophetarum oracula: sed cessant figuræ, posteaquàm apparuit ueritas: nec expectatur iam prophetica pollicitatio, posteaquàm exhibetur id quod illi promiserant. Ab umbris oportet ad ueritatem proficere. Ex fide promissorũ proficiendum est ad amorem rei iam exhibitæ. Ioannes cõfinium fuit, dirimens legem cum suis figuris, & prophetas cum suis promissis ab Euangelio, quod reipsa exhibet, & quod lex umbris suis designarat, & qđ prophetæ deo afflati uenturum prædixerant. Prædicauit Ioannes adesse regnum dei. Hoc nimirum est qđ lex adũbrauit, hoc est quod prophetæ præcinuerunt. V idetis autem rem ipsam cõgruere cũ Ioannis prædicatione. Ab huius enim tempore nũciatur omnibus regnum dei, & multi lætis animis arripiunt felix nũcium. Bibunt mustum nouum, hauriunt doctrinam cœ

Universidad de Deusto
Biblioteca

leſtem: contemnunt terrena, & diteſcunt bonis cœleſtibus. Abijciunt pecuniam, ſed ædunt miracula: non habent arma, ſed propellunt morbos. Non gerunt magiſtratus, ſed eijciunt dæmonia. Non ſunt opulenti, potentes, & glorioſi iuxta mundum, ſed modeſtia, manſuetudine, tolerantia, beneficentia, cæteriſq; bonis animi uere ſunt & diuites, & potẽtes, & glorioſi apud deum. Ad hanc felicitatem nulli præcluditur aditus. Quod ſi uos phariſæi non dignamini intrare, occupabunt alij: intrabunt gentes, intrabunt quælibet orbis nationes. Excludi non poſſunt, poſtea quàm ſemel apertum eſt oſtium: irrumpunt ui, ſi non admittuntur. Videtis accurrentes publicanos, milites, peccatores, meretrices. Hi ſpretis omnibus quæ poſſident, contẽptis omnibus huius mundi uoluptatibus, freti promiſſis Euangelicis, toto pectore ſtudẽt ueris animi bonis: ac uobis, qui primi debebatis ingredi, & alios conantes inducere, foris ſtantibus, ardore fidei, promptitudine animi, uelimus nolimus, irrumpunt. Amat autem huiuſmodi uiolentiam regnum dei. Nec eſt quod clamitent legis amatores, abrogari legẽ, antiquari prophetas, imò hæc eſt legis non abolitio, ſed abſolutio. Nec enim mater plorat ſibi periſſe filium, qui ex puero factus ſit uir. Stultiſſimum autem ſit, amplecti pictã hominis imaginem, quum liceat amplecti hominem ipſum, qui pictus erat: & appellare promiſſorẽ, quũ tenere liceat, id quod promiſſum eſt. Conferenda res cum

Et omnes in illud uim faciunt.

cum imagine, quæ ſi congruunt, agnoſce quod adumbratum eſt, & amplectere quod exhibitum eſt. Si rerum euentus congruit cum promiſſis prophetarum, libera fidem illorum, & amplectere, quod præſtatur. Porrò ſi iam multa uides eueniſſe, quæ legis umbris deſignata fuerant, lex enĩ ſpiritualis eſt, ſi in pleriſq; rerum exitus reſpondet ad prophetarum uetuſta uaticinia, crede ſimili fide præſtanda & olim omnia, quæcunq; lex & prophetæ futura dixerunt. Quod erat in lege carnale & craſſum, id cedit perfectioribus: quod aũt ſpirituale eſt, id non ſolum nõ antiquatur, ueruẽtiã perficitur. Lex enim permittit marito, dato repudij libello, dimittere uxorẽ, & aliam domũ ducere. At iuxta legẽ euangelicam, quiſquis repudiata uxore duxerit alteram, cõmittit adulteriũ. Et qui repudiatam duxerit, adulteriũ cõmittit. Neuter enim ſuam habet uxorẽ, neutra ſuũ maritũ. Et naturæ ſenſus & Euangelica ſynceritas flagitat amicitiã perpetuam, & indiuulſam copulã, nõ ſolũ in matrimonio, uerumetiã in omni amicitia. Nec eſt quod quiſq; caueſetur Euangelicã doctrinam pugnare cũ præſcriptis Moſi. Moſes enim ob duritiam ueſtram nõ auſus exigere, quod optabat magis, quàm ſperabat: & inuitus indulſit diuortium, ne ſi negatum fuiſſet, odium ueſtrum erumperet in atrociora facinora. Perficit igitur, non abrogat, qui exigit quod eſt perfectius. Quemadmodum pater haud quaquã ſecum pugnat,

Universidad de Deusto Biblioteca

qui pridem indulgentior in filium tenerioris ætatis, post ab adulto plus exigit, quàm exigebat antea. Illud autem affirmo uobis, citius præteribit cœlum ac terra, quibus nihil est durabilius, quàm unus apiculus legis pereat, quin perficiatur quod prædictum est, tantum abest ut uenerim aboliturus legem. Quoniam autē dominus Iesus pauloante proposita dispēsatoris callidi parabola, cohortatus est ad beneficentiam erga egenos, ut post hanc uitam reciperent nos in æterna tabernacula: quum iam uersis rerū omniū uicibus, illi bonis omnibus abundabunt, contrà diuites malis omnibus cruciabuntur: uelut exemplum huius rei depingit, quo tenacius inhæreat mētibus hominū.

Homo quidam erat diues.

Erat, inquit, homo quidam prædiues, cui nihil deesse uidebatur ad absolutam huius mundi felicitatem: magni nominis apud homines, apud deum obscurus & ignotus. Is uestiebatur purpura & holoseriçis, non minus molliter quàm splendide. Et ne quid deesset ad oblectamentum corporis, comessabatur quotidie magnifice, simul & ambitioni seruiens & luxui, & uoluptati. Erat simul huic multum dissimilis mendicus quidam, obscurus & ignotus apud homines, sed clarus & nobilis apud deum. Habebat enim nomen ex re, dictus Lazarus, quod omnibus mūdi præsidijs destitutus, dei solius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec uestis, nec cibus, ac ne corporis quidē prospera ualetudo. Erat enim ulceribus plenus, qualis legitur

gitur fuisse Iob. Iacebat autem ad ianuam diuitis, expectans ut aliquid mitteretur de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quo placaret latrantem fame stomachum. Non admissus est ulcerosus, ne funesto spectaculo contristaret oculos undequaq; lauti cōuiuij. Audis fastum opulentiæ, sed in tanto luxu ac profusione tanta erat erga pereuntem proximum parsimonia, ut ne micæ quidem darentur roganti, quum canes illic panibus eßent saturi: quin & canes exprobrabant inhumanitatem deliciati diuiti. Veniebant enim & lingebant ulcera Lazari. Quis non iudicaßet diuitem illum absolutum exemplar felicitatis, & hunc Lazarū exemplar infelicitatis extremæ? Sed nequaquam ex his quæ contingunt in hac uita, æstimanda est hominis felicitas. Subito rerum uices inuersæ sunt. Mors enim omnibus imminens, ut diuitibus finis est omniū uoluptatum, ita afflictis terminus est omnium dolorum. Euenit enim ut moreretur mendicus, & qui neglectus erat ab hominibus quum uiueret, mortuus ab angelis dei deportatus est in sinum Abrahæ. Hoc honore dignatus est cum deus, quem diues non dignabatur tecto suo. Eodem autem tempore mortuus est & diues ille. Mors enim omnium communis, sola docet hoc diuites, quod homines sunt, quemadmodum cæteri. Ac Lazaro nec honor sepulturæ habitus est. Diues autem magnifica funeris pompa elatus est. Quū autem uterq; iam esset apud inferos, diues quum esset

in grauibus tormentis, nec ibi minus dure tractaretur rerum suauium inopia, & omnium malarum copia, quàm in uita sese ipsum tractarat molliter: sublatis tandem oculis conspexit Abraham eminus, agnouit & Lazarum illum ante spretũ, in sinu illius summa quiete solatioq; fruẽtem in mollissimo complexu sanctissimi patris. Agnouit enim ille filium suum, quem diues hominem agnoscere noluit. Augebat cruciatum, alienæ felicitatis conspectus. Hic diues frustra blandus factus ac mendicus, miserabili uoce clamabat: Pater Abraham miserere mei, ac mitte Lazarum, ut intinguat extremum digiti sui in aquam, quo uel una gutula refrigeret linguam meam, adeo discrucior in hac flamma. Ad quem Abraham: Fili, refrigerium quod nunc sero petis, quum in uiuis esses proximo refocillãdo tibi parare debueras, sed tũ rebus præsentibus delinitus, ne micis quidem mensæ tuæ dignabaris subleuare Lazarum pereuntem. Agnosce rerum uices iuste commutatas. Id agnoscas oportet, si meminisse uoles, quod tu quum uiueres, tua bona receperis, Lazarus contrà suis malis defunctus sit in uita. Nunc inuersis rebus, hic post afflictiones patienter toleratas refocillatur: tu uero post delicias, quibus te male oblectasti, merito cruciaris. Auersabaris ulcerosum, ipse delibutus unguento, nunc est in amplexibus meis, totus nitidus. Non dignabaris illum tecto tuo, ego dignor illũ sinu meo. Tu nec cibo nec potu refocillasti egentem,

nunc

nunc refiatur æterna quiete, quæ nec famis, nec sitis molestiam nouit. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pridem nullum abs te refrigerium impetrauit? Si tu nudum uestisses, si esurientem pauisses, si sitienti dedisses potum, si iacentem pro foribus collegisses in domum tuam, si curasses ulcerosum, nunc ille uicissim impetraret tibi solatium, ac relaxationem tuorum cruciatuum, ac te uicissim reciperet in hoc contubernium. Miser ubi nunc est tua byssus & purpura, ubi unguenta, ubi conuiuia, ubi choreæ, ubi tot ambitiosæ uoluptates? Viuus ad omne uinum fastidiebas, tantæ erant palati tui deliciæ: nec interim aquam impartiebas sitienti, nunc nec aquæ guttam impetrare potes ad refocillandum incendium linguæ tuæ. Pro superbis ædibus habes Tartarũ: pro delicijs cruciatum æternum: pro iocis & cantionibus perhennem eiulatum. Et hoc deploratior est uestra calamitas, quod ingens hiatus nos dirimit, ut si qui uelint hinc isthuc ire uobisq; opitulari, non liceat: neque si quis isthinc huc conetur ascendere possit, posteaquàm incommutabili dei iudicio sua quibusq; sedes designata est. In uita tempus erat mutuis officijs subleuare proximum, & uicissim ab eo subleuari. Nunc serum est hic uelle, quod fieri non potest. In delicijs solus esse uoluisti cum tui similibus, quos nunc habes pœnæ socios, Lazarum ac Lazari similes non passus es uenire in tuũ consortiũ. Nũc paria

referuntur. Hæc ubi loquutus esset Abraham, diues excluſus ſpe ſubleuandi ſui, cupit ſaltem fratribus, quos habebat ſuperſtites, cõſulere, ne ſi ſimiliter acta uita uenirent in eundem locum, tali conſortio creſceret etiam miſero mali ſenſus. Sed nunc fruſtra ſupplex eſt, qui ſupplicem proximum repulit. Si chaos, inquit, obſtat, quo minus mihi ſubueniri queat: ſaltẽ illud te rogo, ut Lazarum mittas in domũ patris mei. Habeo enim quinq; fratres ſuperſtites, ut illos admoneat, ne, ſi meis ueſtigijs ingrediantur, ueniant in huius calamitatis conſortium. Quin potius opibus ſuis egentium neceſſitatem ſubleuent: nec ad carnis uoluptatem, ſed ad animi pietatem utantur diuitijs ſuis: nec ament, quæ ad tempus delectant in uita, ſed quæ pariant æternam requiem. Ita diues, quem experta calamitas ſero iam & ſupplicem fecit & doctorẽ. Sed à morte nec precibus eſt locus, nec monendi facultas eſt. Nihil enim mortuis rei cum uiuis. Abraham itaq; reſpondit. Nihil neceſſe eſt hac gratia Lazarũ auocari à quiete ſua. Fratres tui, ſi uolent eſſe frugi, habent Moſen & prophetas, audiant illos. Loquuntur enim omnibus in ſuis libris. Tum diues improbus deprecator, ſed ſerus: Nec Moſen, inquit, nec prophetas audient pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis redierit ad eos, qui certa renunciet, quàm dira patiantur hic, qui illic uitam meo exemplo tranſigunt, quod ferè faciunt diuites omnes, reſipiſcent, ſeſeq; componẽt ad me-

liorem frugem. Ad hæc Abraham: Iſti ſunt prætextus eorum, qui nunquàm uolunt quod male amant relinquere. Maior eſt apud illos Moſi & prophetarum autoritas, quàm eſſet Lazari mendici. Quod ſi illos non audiunt, nec audituri ſint, ſi quis reſurrexerit ex mortuis. Cauſabuntur eſſe phantaſma, aut dæmonium. Hoc ſermone dominus tacite notauit incredulitatem gentis Iudaicæ, quæ quoniam non uere credidit Moſi ac prophetis, hodie quoq; Chriſto è ſepulchro reddito, & ad dextram patris conſidenti reclamat: utiq; creditura quod factum eſt, ſi Moſi & prophetis credidiſſent, prædicentibus hoc ita futurum. Hac parabola dominus Ieſus conſolatus eſt ſuos diſcipulos, qui propter amorem regni cœleſtis multas afflictiones perpeſſuri erant in hoc mundo: ac phariſæos, ſcribas, legiſperitos, ſacerdotes, primores, diuites, elatos, feroces, ac ſibi uiuẽtes territat, ut uel metu ſupplicij uitam impiam corrigerent, alioqui futurum, ut illic uiciſſim riderentur, qui hic Ieſum ad meliora uocantem irridebant.

CAP. XVII.

Sic autem erat à patre cœleſti definitum, & ſic expediebat ad ſalutem humani generis, ut humani corporis imbecillitate, quod aſſumpſerat dominus offenderẽtur ſuperbi phariſæi, ut humilem ac manſuetum affligerent, atq; occiderent: nihilo mitiores futuri in illius diſcipulos, ſui præceptoris ueſtigijs ingredientes. Vt autem incredulorum improbitas affli-

git bonos, ita bonorum tolerantia malis est occasio maioris exitij. Sed tamen horum malicia deus abutitur in bonum totius mundi. Ait itaq; Iesus ad discipulos suos, inter quos erat Iudas, autor offendiculi futurus, ac Iesum iuxta mundum pusillum & humilem in mortem traditurus. Sed huius impietas salutem maturauit orbi, & huius exitium exemplum salutare fuit omnibus. Fieri non potest, inquit, quin eueniant offendicula, sed tamen hoc non excusat eum, cuius culpa uenerit offendiculū. Magis enim expediret illi, ut alligato circa collum saxo ingenti, quod in mola substernitur, præceps detur in profundū maris, quàm ut offendiculo sit uni ex istis pusillis iuxta mundum. Habent enim ultorem deum, qui se putat in illis lædi: Leuius autem est malum, hic suppliciū quamuis acerbum perpeti, quàm offensis pusillis, quos deus amat, æternos cruciatus aærsere. Cauete igitur uos, uestrū non est uitare, quo minus exoriantur offendicula, uestrum tamen est cauere, ne uestro uitio nascantur. Sic autem effugietis, ne uobis imputari possit offendiculū, si non solū nulli uestra culpa præbueritis occasionē offendiculi, uerū etiā ab alijs oblatū, aut tollatis uestra mansuetudine, aut patientia uestra toleretis, non regeratis. Non enim ab impijs modo uobis oboriētur tumultus, uerūetiam inter uos, quoniā homines estis, nonnunq̄ orientur offensæ, quibus oportebit mederi fraterna monitione, quæ nō prodit peccantem, si sanabilis

bilis est, & ueniam habet paratam resipiscēti. Si itaq; fors euenerit, ut aliquid admiserit in te frater tuus, noli dissimulare culpam, ne impunitas inuitet licentiam, sed age fidum medicum, secreta obiurgatiuncula ostende illi morbum suum, ut pudore corrigatur. Facilius audiet amicum monitorem, quàm turbulentum accusatorem, quem habiturus est pro hoste. Sic enim est ferè hominis ingenium, ut libētius acquiescat consilijs, quàm succumbat iniuriæ. Non potest non uideri officium, quum quis secreto monet. Qui palàm defert, & ad pœnam uocat, non uidetur uelle mederi malo fratris, sed traducere. Quod si frater tuus abs te monitus resipuerit, & culpam agnouerit, sit parata uenia, quæ correctum placide comiterq̄; recipiat: & adeo ne cogites de uindicando, ut pudori quoq; illius, quantum potes, consulas. Quod si per humanam infirmitatem relapsus fuerit in culpam, etiam si septies eodem die peccauerit in te, ac septies in die resipuerit, teq̄; placare studens dixerit: peccaui, pœnitet, ignosce: condona illi ex animo culpam. Hæc ignoscendi facilitas melius tuebitur inter uos pacem & concordiam, quàm mutua offensarum retaliatio. His dictis quoniam apostoli intelligebant fontem omnium Euangelicarum uirtutum esse fidem, quam adeo diligenter dominus exigebat in ædendis miraculis, quam toties comprobauit in multis etiam alienigenis, quæ nihil non impetraret, & per quam ipsi quoq; morbos

Et dixerunt apostoli.

depu-

depulerant, dæmonia eiecerant: nec ignorabant fidei defectu factum, quod quendam muto obnoxium dæmoni non quiuerint liberare. Quanquam nec cæteris Euangelicis præceptis erit idoneus, nisi certam animo fiduciam cõceperit aliquis. Quando enim negliget huius mũdi uoluptates, quãdo suas opes effundet in pauperes, quando condonabit iniuriam fratri, quando de male meritis bene merebitur: quando carceres & uirgas & mortem toleranter accipiet, cui persuasum nõ sit, amplissimum esse præmiũ paratum in cœlis? Hoc inquam, quoniam intelligebant apostoli, dicunt domino: Domine quando nihil habemus boni nisi ex te, rogamus, ut adaugeas nobis fidem. Dominus autem sãens suos apostolos adhuc esse crassos, & imperfectos, & incrementum fidei potissimum in hoc petere, ut magis polleant miraculis: confirmat quidem robur ac uim fidei, si adsit syncera: sed indicat eam cũ summa modestia oportere esse coniunctam, nec proferendam ad inanem ostentationem, sed quoties urget salus proximi, aut gloria dei. Ait autem per similitudinem. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, quod minutum est atq; humile, nec exerit uim suam, nisi contritum aut cõmansum, dicetis huic arbori sycamino, quæ radicibus latè actis, uidetur nulla ui loco auelli posse, eradicator, & transplantator in mare, & obediet uobis. Porrò per granum sinapis dominus seipsum indicauit, qui quum se præberet humillimum

mum omniũ, tamen occultam diuinæ naturæ uim intus occultabat, quæ tum demũ sese prodidit, posteaq; in cruce cõminutũ est granũ, in morte sepultum est. Huius grani uis operabatur in discipulis, unde non oportebat ipsos sibi quicquam usurpare: quippe qui non essent autores eorum quæ gererẽt, sed tantũ ministri, daturi pœnas, si quod ipsis mandatum esset, cessassent peragere, cæterũ omnem laudem transscripturi deo, si quid per ipsos præclare aut magnifice gestũ fuerit. Hoc documentum Iesus parabola addita infixit animis suorum. Quis uestrum est tam commodus dominus, qui si seruũ habeat agricolam aut bubulcũ, reuerso ab agro protinus dicat: transi, accumbe: ac non potius ita loquatur: para quod cœnem, ac præcinge te, & ministra mihi donec edero, ac bibero, post hæc tu sumes cibũ ac potum? Et tamen seruus ille bona fide suo functus est officio in agro. Num ideo dominus habet illi gratiam, quod fecerit imperata? Non opinor, sed pœnam exacturus erat, nisi feciſset. Quãobrem? Non ob aliud, nisi quod serui sunt, & omnem operam debent hero suo, cuius sunt etiam ipsi. Laudẽ autẽ omniũ, quæ fiunt, sibi usurpat dominus, qui ea facit, quicquid fiat per eos, qui sine ipso nihil omnino boni possunt facere. Sic & uos, ne uobis arrogetis gloriã benefactorũ, tantum fidelem operam præstate. Et quũ omnia feceritis, quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

mus. Hæc enim modestia conseruabit in uobis thesaurum fidei. Cætera relinquite domino uestro. Nemo sibi uindicet honorem: nemo domini iudicium anticipet. Nouit ille tempus, nec quenquam fraudabit suo præmio. Vos interim nihil aliud uos esse memineritis, quàm seruos operæ debitores. Accidit autem, ut quũ dominus peteret Hierosolymam, iter faceret per Samariam & Galilæam. Gaudet enim frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, ut Hierosolymitis exprobret suam incredulitatem, qui Samaritanos peius abominarentur quàm ethnicos, & Galilæos pro semipaganis haberent. Quũ autem ingrederetur uiculum quendam, occurrerunt illi decem uiri leprosi. Credas significatos homines hæreticos, intus malis affectibus totos deprauatos, foris uariegata cute, ueluti falsa ueris permiscẽte doctrina insyncera. Cõtagiosum & abominandum genus, & idcirco procul arcentur ab hominum commercio. Nullum tamen est mali genus, quod nõ sanet Iesus, modo ueniatur in illius cõspectum, modo prodatur illi morbus, & adsit fiducia. Agnouerunt morbum suum, & ideo nõ accedũt propius, sed procul stantes, uoce sublata acclamant domino: Iesu præceptor miserere nostri. Audijt clamorem Iesus fiduciæ testem, & aduertit oculos. Felix clamor, qui facit attentum dominum: felix intuitus, qui prouocat misericordiam. Iesus autem nihil aliud respondit, quàm ut abirent, & ostenderent

derent se sacerdotibus, nam penes hos erat autoritas discernendi leprosum à mundo. Parent illi, & abeũt, pleni bona fiducia. Atque inter eundum subito mundati sunt. Erat par omnibus fiducia, sed dispar erat gratitudo. Solus enim Samaritanus ubi sensit se plenè liberatum à morbo, non clàm habuit diuinam erga se beneficentiam, sed ilico reuersus est ad Iesum, clara uoce glorificans deum, ac prostratus in faciem suam, accidit ad pedes Iesu, adorans eum, & gratias agens. Iesus autem non ignarus beneficium ad omneis decem peruenisse, sed taxare uolens illorum ingratitudinem, qui tantum dei beneficium suffurari studuerint, ait: Nónne decem mundati sunt? & nouem ubi sunt? Non enim nouit dominus ingratos: & indignos ostendit acccpto beneficio, qui non agunt gratias benemerito. Non patitur enim deus cælari sua beneficia. Quum obiicesceret Samaritanus, nõ solum gratus, uerumetiam modestus, qui uenerat suo functurus officio, non accusaturus alios: Iesus conuersus ad circunstantes, ait: Ex decem nullus repertus est, qui rediret & glorificaret deum, præter hunc unum alienigenam. Atqui magis hoc decuit alios facere, qui quum Iudæi sint, iactant se dei cultores. Et tamen ipsa re Samaritanus hic uincit illorum religionem. Hæc loquutus dominus, appellauit Samaritanum humi prostratum: Surge, inquit, & abi, certus hoc meum beneficium tibi fore perpetuum, quod tua fiducia

tibi

Universidad de Deusto

Interrogatus autē à phariſæis.

tibi impetrauit. Quoniam autem Ieſus frequenter habebat in ore regnum dei, Phariſæi, qui nondū intelligebant regnum Euangelicū eſſe regnū ſpirituale, ſed aliud quoddā regnū ſomniabant, in quo gens Iudaica cæteris nationibus imperaret, adibant eum, & interrogabant, quando uenturum eſſet regnum dei. Ieſus autem, quoties de ſupremo die fiebat mētio, ambigue reſpondere ſolitus, ait: Regnum dei non ueniet more regni mundani, ut obſeruari poſſit uel tempus, uel locus. Non enim eſt regnū corporū, ſed animorū, neq; cōſtat uiſibilibus præſidijs, ſed inuiſibilibus. Proinde non dicetur uobis: Ecce hic, aut ecce illic. Quid enim opus eſt obſeruare locum, quum regnum dei ſit intra uos? Quur expectatis foris, quod habetis intus, ac uobiſcum circūfertur, ſi uultis? Quur expectatis uentu rum, quod iam adeſt? Vbicunq; eſt animus ſuperior opibus, uoluptatibus, honoribus huius mūdi, uitæ deniq; contemptor, ubicunq; eſt animus fide robuſtus, charitate flagrans, afflatus ſpū cœleſti, ibi eſt regnum dei. Supereſt, ut quod adeſt amplectamini, ne quū ſubito uenerit ille dies, qui perficiet ac proferet regnū hoc, offendat uos imparatos. Hoc quū nec diſcipuli ſatis intelligerēt, qui ſomniabant & ipſi breui proferendū eſſe regnū Iſraëliticū, cōuerſus ad illos, ita tēperauit ſermonē, ut illos ad diē ſupremū ſemper redderet paratos, & temporis inquiſitionē adimeret: ſed armaret potius ad tempeſtatem imminentem crucis.

Veniet,

Veniet, inquit, omnino tempus, quum deſiderabitis uel uno die frui cōſpectu filij hominis, quem nunc pleriq; contemnunt præſentem, nec dabitur, quod optatis. Nec deerunt tamen, qui blandientes hominum cupiditati, conabuntur illum oſtendere uenientem, dicentes: Ecce hic, ecce illic: uos autem nolite fidem habere talibus prophetis. Si dixerint, hic eſt apud nos, nolite ire, ſi dixerint: ecce illic eſt procul, nolite ſectari. Ea credite, quæ per ſanctos prophetas prædicta uidetis impleri. Hoc unum deus noluit hominibus patefieri, & ideo tempus præſciri noluit, quia ſic expedit hominum ſaluti, quos uult in omne tempus eſſe paratos. Proinde quēadmodum fulgur erumpens ſubito promicat ab una parte cœli uſq; ad aduerſam, priusquā uenturum ſentiatis: ita magna quidem cum gloria, ſed inexpectatus ueniet filius hominis in die, quem ipſe ſolus nouit, uobis autem incognitum eſſe uult. Sed non ante proferet maieſtatem ſuam, quàm expleuerit diſpenſationem humilitatis. Prius enim oſtendēda eſt uia ad claritatem regni cœleſtis, prius aperiendum eſt oſtium regni cœlorū, ut liceat ingredi. Alioqui parum feliciter ueniret regnum dei ijs, qui ſe non huic præparauerunt. Ergo priusquàm ſe proferat maieſtas, quam affectatis ante tempus, oportet filium hominis multa pati, ac damnari à natione hac: ut quemadmodum flamma poſt fumum emicat, ita poſt ignominiam clarius ſeſe proferat dei gloria. Porrò ne quē

 opprimat

opprimat ille dies, facile remedium est, si se quisque sic apparet, ut quasi iam immineat ille dies: sed homines mundo dediti, sibi promittent dilationem, aut etiam diem illum omnino non uenturum, & hac spe securi uacabunt cupiditatibus suis. Itaq; idem accidet in diebus filij hominis, quod accidit olim in diebus Noë. Edebant, bibebant, emebant, uendebant, plantabant, ædificabant, perinde, quasi diluuium quod differebatur, omnino uenturum non esset. Sed malum oppressit improuisos. Nam eodem die, quo Lot reliquit Sodomos, depluit ignis ac sulphur è cœlo, ac subito perdidit omnes. Eadem erit facies rerum in orbe, quũ subito maiestatẽ suam proferet filius hominis. Is dies ubi ingruerit, abijciatur omnis cura rerum mundanarum. Tantum sibi quisq; in præsenti periculo, qua licet, consulat. Itaq; quem dies ille repererit in tecto, supellectile domi relicta, ne descẽdat ut auferat quod habet ibi rerum, tantum de sua salute cogitet. Itidem si quem dies ille offenderit in agro, ne fugiat domũ, præsentius enim periculum erit, quàm ut ullam moram patiatur. Vnusquisq; ut repertus fuerit, ita celeri fuga uitæ consulat. Mementote quid acciderit uxori Lot. Respexit tantũ, & perijt, adeo nihil moræ patitur mali celeritas. Ille tutior erit, qui ad fugam fuerit expeditior. Tum autem ea quærere, quibus solemus in posterum uitæ consulere, ueluti uestes, pecunias, domũ aut eiusmodi, uitam erit perdere. Sed quẽ omnibus

omnibus impedimentis abiectis neglexerit uitæ subsidia, is uitam lucrifecerit. Non enim tum erit spacium cogitandi de uita corporis, quũ animæ uita uertetur in periculo. Nec res, nec locus, nec uitæ genus in eo discrimine seruabit hominem, sed affectus ad exitum paratus. E duobus enim coniunctissimis subito unus assumetur ad uitam, alter relinquetur exitio. Illud affirmo uobis, ea nocte qua ueniet filius hominis, erunt duo in eodem lecto, quos subito diuidet præmij diuersitas: alter enim assumetur ad æternam felicitatem, alter relinquetur æterno exitio. Erunt duo molentes in eodem pistrino, quorum alter assumetur, alter relinquetur. Duo laborabunt in eodem agro, unus assumetur, alter relinquetur. Hæc quum discipuli non intelligentes, tanquam per somnium audirent, dicunt Iesu: Vbi domine? Adhuc carnem somniant, & regni locum scire quærunt. Iesus aũt per ænigma significare uolens, sanctos ubicunq; reperti fuerint non disiũgendos à domino, respondit: Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Nõ refert ubi sitis, modo mecum sitis, qui pascam animos uestros meipso, qui sum æternæ felicitatis pabulum.

CAPVT XVIII.

QVONIAM autem imminente supremo mundi fine, grauissima persequutio coorietur aduersus pios, adeo, ut si fieri possit, etiam electi sint seducendi, quanquam nunquam non sæuit malo-

rum in bonos improbitas, dominus Iesus docet suos, ut in malis nõ aliunde petant auxilium, quàm à deo: nec ullam interim uindictam molientes, nec iniuriam iniuria repellentes. Quod si deus non statim liberat ab afflictione, non tamen ideo desistendum à precatione. Audiet enim ille haud dubie preces suorum, quum erit tempestiuum, ac dilatio cedet in bonũ piorum, tantoq; grauius opprimentur impij, quo magis sibi persuaserant, se impune facere, quod faciebant. Hoc præceptum dominus tali parabola infixit animis suorũ. Erat, inquit, iudex quidam in ciuitate quadam, impius & impudens, qui nec deum timebat, nec hominẽ ullũ reuerebatur. Impietas faciebat ut non timeret deũ, potentia, ut non reuereretur hominẽ. Erat aũt in eadem ciuitate uidua quædam, quæ quum oppremeretur ab aduersario suo, adijt primarium illum iudicem, penes quem erat summa potestas, & interpellauit illius auxiliũ aduersus aduersarij uiolentiã. In bona, inquit, causa opprimor opibus & gratia aduersarij mei. Vidua sum ac destituta. Tu uindica ius meum aduersus aduersarij mei uiolentiam. Ad hunc modum, quum frequenter interpellaretur à uidua, tamen diu dissimulauit, nec uoluit opitulari uiduæ, cum in hoc detur magna potestas quibusdam, ut aduersus opulentos ac factiosos subleuent orphanos, pupillos, uiduas, ac tenues. Tandem quũ illa nõ faceret finem appellandi, iudex cœpit ita apud se cogitare: Quanquam

quam nec deum timeo, nec hominem reuereor, tamen quoniam hæc uidua mihi molesta est sua improbitate, subleuabo illam à uiolentia aduersarij, non quod illi bene uelim, sed ne tandem redeat, ac toties spreta conuicijs suis notam aliquam inurat famæ meæ, qui quum summi iudicis locum teneam in hac ciuitate, tamen oppressæ uiduæ pertinaciter defuerim. Narrata parabola subiecit dominus: Auditis qd dicat iudex impius & improbus? uictus improbitate precum succurrit uiduæ: et deus qui iustißimus est ac misericors erga suos electos, interpellatus illorum nocturnis diurnisq; precibus & clamoribus, obsurdescet, nec liberabit illos à uiolentia opprimentium, sed lento leniq; animo patietur illos affligi impune? Imò illud affirmo uobis, non patietur, sed aut conuertet malorum animos, ut mutata uoluntate desinant affligere, aut adimet nocendi potestatem, aut suos electos semel ab omnibus malis ereptos, transferet in requiem æternam. Certe quum uenerit ille dies supremus, iam nec Satanas, nec huius instrumenta homines mali, quicquam poterunt aduersus illos, quos deus selegit consortes regni sui. Quum enim ad summum increuerit malorum impietas, tum filius hominis subito ueniet, & omnino citius opinione malorũ. Sed quum ueniet filius hominis, an reperturus est fidem in terris? Tanta enim erit malorum & multitudo & improbitas, ut apud paucißimos sit superstes futura fides.

Dixit autẽ & ad quosdam.

Sed tamen apud quoscunq; reperta fuerit illa confidens in deum fiducia, liberabuntur ultore deo. Atque hæc quidem parabola territabat illos, qui palàm impij pios affligebant. Cæterum erat quoddam pharisaicum genus iustorũ, fidentium operibus suis, & ex eis sibi iusticiæ laudem arrogantium, quum apud deum nemo sit iustus: neq; solum sibi stulte placebant, uerũ etiam alios præ se despiciebãt, tanquàm peccatores, quum illorum modestia deo gratior sit, quàm horum opera. Aduersus huiusmodi pharisaicos iustos, & ad consolationem peccatorum ex animo sibi displicentiũ, dominus proposuit huiusmodi parabolam. Ascendit ut duo quidam ascenderẽt in templum orandi gratia, quorum unus erat pharisæus, alter publicanus. Pharisæus stans uicinus propitiatorio, uelut dignus qui cum deo cõminus colloqueretur, sic orabat apud se: Deus gratias ago tibi, quod non sum similis cæteris hominibus, qui rapto uiuunt, qui fraude rem augent, qui adulterio conspurcant alienos thoros: aut deniq; qui infame munus gerentes, in gratiam principum expilant populum dei, qualis hic est publicanus. Non indulgeo luxui, quemadmodum uulgus facit, sed ieiuno bis in sabbatò, et in tantũ nõ fraudo quenquã, ut omnium bonorum meorum decimam partem erogem in pauperes. Hæc erat tumidi pharisæi precatio, qui tametsi uera commemorabat, ac deo gratias agebat, tamen hoc ipso displicebat oculis dei, quod sibi placebat,

placebat: adulator sibi, contumeliosus in proximum. Contrà publicanus totus sibi displicens ob peccatorũ conscientiam, procul absistebat à sacris, adeo pudens pœnitens q; sui, ut nec oculos auderet in cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus tantum gratias agebat, existimans sibi nihil deesse ad perfectam pietatẽ, nec confitetur errata sua, quum inter ipsas preces grauissime peccaret, sua iactans, ac pœnitentem despiciens: sui laudator arrogans, & proximi temerarius accusator. Contrà publicanus nihil commemorat benefactorum suorum. Tantum sua mala agnoscens, tundit pectus sibi conscium, & implorat domini clementiam. Vultis scire exitũ diuersæ precatiõis? Publicanus ille, qui peccator uenerat in templũ, abijt domũ in oculis dei iustior illo pharisæo, qui sibi uidebatur iustissimus. Quisquis enim semet extollit apud sese, deijcietur in oculis dei. Et quisquis sese deiecerit apud sese, sublimis erit in oculis dei. Ecce autẽ altera occasio, qua nobis modestiam cũ simplicitate cõiunctam commendaret dominus. Matres afferebant ad Iesum infantes suos ut tangeret ac beneficeret, existimantes futurum, ut hoc pacto tutiores essent à casibus ac morbis, quibus illa ætas solet esse obnoxia. Id uidentes discipuli, increpabant eas, quod domino satis alioquin, ut ipsis uidebatur, occupato, rebus huiusmodi leuioribus facesserent negocium. Iesus autem,

Afferebant autẽ ad illũ

tametsi non ignoraret hæc ab suis officiosa quadam sedulitate geri, tamen ut nobis exprimeret exemplũ simplicitatis, modestiæ, & innocentiæ, simulq; pastores doceret non oportere quenquam, quamuis humilem aut imbecillem, despicere, conuocauit discipulos suos ad se, dixitq;: Sinite pueros uenire ad me, nec obsistite, quo minus adducantur, taliũ est enim regnum dei. Proferatur exemplũ omnibus, ut intelligant quò sit proficiendum. Nesciunt fucum, nesciunt fastũ, nesciunt referire, nesciunt regerere conuicium, nesciunt auariciam, nesciunt ambitionem, mera est innocentia, mera simplicitas. Illud adfirmo uobis, regnũ dei non recipit, nisi ad hanc imaginem transformatos. Proinde nisi quis accesserit ad doctrinam Euangelicam ea simplicitate, qua sunt hi pueri, non intrabit in regnum dei. Rursus accessit ad Iesum quidam è magnatibus, uelut explanaturus ipsa re, quid sibi uellet, quod dixerat Iesus de pueris. Ait autem: Magister bone, quid faciam ut uitam assequar æternam? Iesus autem uolens indicare, boni cognomen in neminem cõpetere, nisi in solum deum, qui suapte natura bonus est, respondit illi: Quur me uocas bonũ? Nemo bonus nisi solus deus, nõ quod dominus non agnosceret cognomen boni, quatenus erat deus: sed quod diues ille boni uocabulum tribueret Iesu tanquam homini, fortassis & sibi arrogaturus, si incidisset occasio. Nõ recte igitur bonum appellebat, quem non credebat esse deum

Et interrogauit eum.

deum. Ideo uero recusauit dominus id temporis honorem huius tituli, quod intelligeret percontatorem non omnino carere fastu, qui sibi uideretur multis bonis operibus abundare. Vt autem hominis morbum proferret Iesus, ait: Nosti præcepta legis Mosaicæ, nimirum hæc: Non occides, non committes adulterium, non facies furtum, non dices falsum testimonium, honora patrem tuum, & matrem tuam? Ad hæc ille, ueluti perfectæ iusticiæ laudem reportaturus, ait: Hæc omnia seruaui ab adolescentia mea. Hæc oratio non multum aberat ab illa pharisaica, sed plurimum aberat à simplicitate puerorum. Proditum igitur est unũ uitium, sed suberat & aliud, quod illum reddebat indoneum regno dei, id quoq; ut proferret Iesus, ait: Ad huc unum tibi deest. Quod si uoles ingredi regnum Euangelicum, abi, uende quicquid possides, & erogando pauperibus, reponito tibi thesaurum in cœlis. Eo facto liber & expeditus ueni, & sequere me. His auditis, percõtator ille mœrore affectus est: erat enim magnopere diues. Nondũ ad pueri formam redactus erat, cuius animum occuparat amor diuitiarum. Iesus autem uidens illum abire mœstum, qui sic ambiebat felicitatem regni cœlestis, ut tamen opes huius mundi non posset contemnere, uersus ad discipulos uelut ad mirabũdus ait: Quàm difficile q diuitijs onusti sunt, per angustam portam intrabunt in regnum dei. Facilius est enim camelũ transire per foramen acus, q̃ diuitem

diuitem ingredi regnum dei. Hoc sermone conturbati discipuli dicebant: Si nemo diues ingreditur, qs igitur potest saluus fieri? Paucos enim inuenire est, qui non diuitias, aut habeant, aut appetant. Iesus autem perturbationem suorum rursus consolatus est, dicens: Quod apud homines impossibile est, apud deum possibile est. Non est humanarū uirium contemnere diuitias, eaq; commoda quæ diuitias consequuntur. Sed hanc animi sublimitatem impartit deus ijs, qui se per credulitatem simplicem præbent aptos dotibus illius. Diues autem apud deum esse desijt, quisquis posuit amorem pecuniæ, & sic habet, ut libenter sit relicturus, quoties id postulabit ratio salutis æternæ. Ex hoc sermone bonam spem concipiunt apostoli, quorum plerique reliquerant id, quicquid erat quod antea possidebant. Horum igitur nomine loquitur Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, præstitimus, quod ab illo diuite exigebas. Quanquam autem perquā exiguū erat, quod Petrus & Andreas reliquerant, relicturi maiora si habuissent: dominus collaudat illorum promptitudinem, & ne pœniteat relictorum, ostendit ingens esse lucrum ob regnum dei fecisse diuitiarum iacturam. Siquidem pro rebus caducis ac uilibus contemptis & hic animus locupletatur bonis cœlestibus, & in futuro seculo rependitur æterna felicitas. Ait autem hūc in modum dominus: Hoc pro certo confirmo uobis, non solum uobis cedet in magnum

magnum lucrum reliquisse possessiunculas uestras mea causa, ucrum etiam quicunq; ob regnum dei reliquerit, uel domum uel parentes, uel fratres, uel uxorem, uel liberos, & in hac uita longe plura ac meliora relictis accepturus est, & præterea in futuro seculo uitam accipiet æternam. His dictis quum erexisset animos discipulorum suorum, assumpsit secum duodecim apostolos, quos nihil oportebat ignorare eorū, quæ gerebantur pro salute generis humani. Atq; his rursus apertius etiā cœpit inculcare de morte, quam Hierosolymæ sciens ac uolens esset oppetiturus, iuxta uaticinia prophetarum. Sciebat enim eos uehemēter perturbandos morte domini sui, eoq; crebrius sermonem hunc inculcat, ut tandem inhæreat animo, ac paulatim assuescant ferre, à cuius mentione prorsus abhorrebant illorum aures. Atque hæc quidem nō incredulitas erat, sed uehemens quidam amor erga præceptorem. Seorsum igitur illis indicauit instare tempus mortis. Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, ac perficientur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradendus est enim gentibus, & ab illis illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Postquam autem flagellauerint eum, & omne probrigenus in eum ædiderint, occident deniq;, sed ille tertio die resurget. Verū hic sermo quoniam ingratus erat, non descendebat in animos apostolorum: ut difficile credimus, quæ nolimus esse uera. Nondum autem per

Assumpsit aūt Iesus.

cipere

cipere poterant mysterium crucis, unde nouo dei consilio salus erat orbi proditura. Non libebat credere morte uiolenta periturum hominem tam charum: nec poterant credere occidendum ab impijs hominibus, qui tam admirandis factis polleret, qui toties è manibus impetentium elapsus esset: deniq; nõ dubitabant, quin facilius esset illi futurum efficere, ne moreretur, quàm ut à morte reuiuisceret. Et satius esse ducebant omnino non mori, quàm post mortem uitæ restitui. Quanquam autem de domini sui fide dubitare nõ poterant, tamen ita blandiebantur suis affectibus, & interpretabantur in his Iesu sermonibus subesse tropũ aliquem, cuiusmodi dominus peculiariter uti consuerit, fallens his nonnunquam non modo populum, uerum etiam ipsos apostolos, ueluti quum iuberet cauere à fermento pharisæorum: quum responderet sibi esse alium cibum, quem esuriret: quum doceret camelum citius transiturum per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum: quum significans suam doctrinam esse penitus traijciendam in uiscera animæ, negaret illi fore uitam, nisi qui edisset carnem ipsius ac sanguinem bibisset: quum promitteret se templum à Iudæis solutum, in triduo instauraturum. Huiusmodi suspicionibus blandiebantur affectui suo, & sermonem quidem audiebant, sed tanquam in somnis, uim autem sermonis penitus non intelligebant: & hoc pro temporis ratione, permittente domino, ut paulatim assi-

tim assuescerent ei, quod erat futurum amarißimum, nec ante tempus à præceptore suo diffugerent, cuius colloquio multis de rebus adhuc erant erudiendi. Non dum perspicere poterant arcana consilij diuini, quoniam oculos mentis habebant multa adhuc caligine cæcutientes. Sed magis etiam caligabant cæteri, qui minus erant domino familiares. Fons autem salutis est cognitio Iesu. Cognoscere enim est uidere. Lumen est fides, tenebræ sunt terrenæ cupiditates. Et ecce cæcus qui nobis ponat ob oculos, quomodo poßimus cernere Iesum: & in uno cæco forma proponitur, quo pacto poßit à multis tolli cæcitas animi. Vnus occurrebat corporeis oculis captus: sed quàm multi sectabantur Iesum, qui multo minus uidebant animo, postea quam & duodecim adhuc habebant oculos sic obductos ignorantiæ tenebris, ut manifestum domini sermonem non intelligerent. Accidit igitur, ut quum Iesus iter faciens Hierosolymam, non procul esset ab Hiericho, cæcus quidam sederet iuxta uiam publicam mendicans. Is quum ex strepitu uocum ac pedum deprehenderet magnam uim hominum prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset rei (ut est hoc genus eo curiosius, quod oculis careat) responsum est ei: Quod Iesus Nazarenus transiret. Ille protinus ex his quæ de Iesu audierat, concepta fiducia, clamabat dicẽs: Iesu fili Dauid, miserere mei. Addidit blandimẽtũ improbitati, idq; satis ex more mẽdicorũ. Porrò turba quæ

Factũ est autem cum appropinquaret.

ba quæ præcedebat Iesum, increpabat cæcũ, iubens eũ obticescere, suspicans eum uulgarem eleemosynam petere, ac metuens, ne homo sordidus ac mendicus publicus, molestus esset domino. Cæcus autem quo magis obstrepebat turba, tanto uehementius clamabat, eadẽ iterans: Iesu fili Dauid miserere mei. Quoniam nõ licebat uidere Iesum, tanto magis intendebat uocem, nescius quantum abesset, quem appellabat Iesus autẽ qui semel atq; iterum uociferantem dissimularat, ut euidentiorem redderet hominis fiduciam, tandem restitit, iussitq; cæcum adduci ad se, ut omnium oculos ad miraculi considerationem prouocaret. Quum autem uenisset ad Iesum, dominus interrogauit illum: Quid uis ut faciam tibi? Nõ ignorabat quid optaret cæcus, sed mali confessionem exprimebat, ut euidentius esset miraculum. Solent enim fingere quidam cæcitatem, quo plus accipiant: & fortassis erant cõplures in turba, qui nihil aliud sperare auderent quàm stipem. Solet enim & dominus tametsi iuxta mundũ pauper, ex his quæ donabãtur ab amicis aliquid elargiri pauperibus. Cæcus autem magna cum fiducia dixit: Domine fac ut uisum recipiam. Tribus uerbis petit, quod ab homine præstari non poterat, nihil addubitans, quin ilico posset, tanquã potentissimus, uellet tanquam clementissimus. Iesus autem illius expeditæ respondens fiduciæ, uerbo reddidit oculos, dicẽs: Recipito uisum, Fides tua te saluũ fecit, Fide cõspexerat Ie-

rat Iesum, priusquàm oculis corporis cerneret. Hæc nimirum est, quæ nihil non impetrat à clementissimo domino: hæc est quæ in medijs uitiorum tenebris, tamen procul cõpellat Iesum, ut misereatur. Obstrepit clamanti malorũ conscientia, sed hoc acrius intendit uocem ardor fidei. Huiusmodi mendicos amat dominus Iesus, & ideo differt nonnunquam, quod petitur, ut plura promereatur, qui mendicat. In tenebris altissimis uersantur qui pro deo colunt lapides, ac ligna: quibus pecunia, quibus uenter deus est: qui seruiunt ambitioni, qui libidini, qui furialibus bellis tumultuantur. Hi si nondum possunt accedere ad Iesum, quia uẽdere non possunt, saltem ad strepitum toto orbe Iesu gloriam prædicantium, interrogẽt: Quid est hoc rei? Vbi cognorint præterire Iesum, ne sinant elabi præsentem occasionem, sed miserabili clamore fatigent aureis illius, & si malorum præteritorum conscientia suadeat silentium, tanto instantius fidentis animi clamor pulset aureis. Non est cuiquam surdus Iesus, quẽ petit cum fiducia, uerbo dare potest, quod petitur. Transit quidem, sed non præteribit longius, si uocem intenderis. Felix autem mendicus, posteaquã ad ipsius uocem restitit Iesus. Quid miri, si ad uocem interpellantis resistit, qui ad ouem perditam tanto itinere uenire dignatus est? Felicior aũt cæcus, postq; additur ad Iesum. Iam enim saluti proximus est. Nec diu cæcus esse potest, quisquis accesserit ad fontem omnis lucis.

lucis. Non aspernatur mendicum dominus ille fons omnis gloriæ, & homo peccator fastidit proximum suum. Vbi coràm ueneris, ubi à teipso recesseris, non est opus prolixa oratione, tantum dic quid uelis, sed dic cum fiducia, non de tuis meritis, sed de illius uirtute ac pari bonitate cõcepta, ac protinus redibit uisus unà cum salute. Mox enim ut dixerat Iesus: Aspice, uidit, & ex mendico factus est Iesu sectator, ac prædicator diuinæ bonitatis. Quin & populus conspecto tam insigni miraculo, tribuit laudem deo.

CAPVT XIX.

ATQVE hic cæcus cui dominus lucem reddidit, non inepte designat populum gentium. Siquidem Iudæis aliquid lucis præstabat lex. Gentes in altissimis ignorantiæ tenebris uersabantur, adeo ut apud hos plerique non crederent omnino deum esse, alij crederent innumerabiles esse, sed hominibus ipsis sceleratiores. Rursus alij putabant deo nullam esse curam rerũ humanarum. Nec defuerunt, qui solem & lunam, qui boues, canes, simias, denique qui porrum & cœpe pro dijs haberent. Inter hos erant, qui nescirent certa connubia, sed ritu pecudum uterentur promiscua Venere. Erant apud quos pium esset occidisse senes parentes. Erant apud quos fas erat uesci carnibus humanis. Erant apud quos religio esset charissimos liberos mactare dæmonio. Quid hac cæcitate deploratius? Et tamen hic cæcus omnium uirtutũ egenus,

egenus, sensit prætereuntem Iesum, quem Iudæorũ natio ad se uenientem repulit, intendit uocẽ fidei: fili David miserere mei. Coëgit resistere Iesum. Meruit interrogari. Confessus est cæcitatem suam, ostendit uotũ suum: Domine, ut uideam. Accepit, quod simpliciter petebat. Ex cultore portentorum, factus est cultor Iesu: ex mancipio dæmonum ac uitiorum omnium, factus est discipulus & assecla Iesu: ex mendico publico ac miserã stipis flagitatore, factus est præco uirtutis diuinæ. Frequenter autem Iudæis ingeritur exemplum huiusmodi, quo uel resipiscant ab incredulitate, uel palam faciant in posterum se merito reiectos fuisse, qui sanari nollẽt. Et hic quidem typus exhibitus est ad ingressum ciuitatis Hiericho. Sed mox in ipsa ciuitate sese præbuit exemplum euidentius. Quum enim ingressus dominus iret per mediam ciuitatem undiq; stipatus densissima turba promiscuæ multitudinis, erat uir quidã ex re nomen habens Zacchæus, ardẽs studio iusticiæ, quũ esset publicanorum princeps, & idem prædiues, quũ neq; uitæ genus, neq; fortunæ indulgentia satis cõgrueret huic animo. Tenebatur autem ingẽti desiderio uidendi Iesum, ut eum de facie quoq; nosse posset, de quo rumor tam admiranda sparserat. Credebat & amabat quod audierat, & ideo iuxta uotum Simeonis ac patriarcharum, sancta cupiditate gestiebat & oculos explere felici spectaculo, maiora quoque conaturus, ni

A modestia

Universidad de Deusto
Biblioteca

modestia obstitisset: & ob hoc ipsum dignior, cui Iesu maior ficret copia. Diu tenuerat & Herodem desiderium uidendi Iesum. Vidit & aspernatus est. Nam frustra uidet Iesum, qui uicissim à Iesu non uidetur. Zacchæum uiderat Iesus antequam ab ipso uideretur. Herodes uidere cupiebat, qui miraculo quopiam edito, delectaret curiosos regis oculos. Zacchæus ideo uidere cupiebat, ut sciret quis esset: nimirum unicus ille filius dei, totius salutis autor omnibus ipsi fidētibus. Nō magnum est uidere Iesum iuxta carnem his oculis, quibus eum quotidie cernebant pharisæi, & deridebant. Sed discipulorum oculi beati prædicantur, qui uidere meruerunt, quod multis terræ principibus negatum esset. Beatus pronunciatur Simon Bariona, qui uiderat, quis esset Iesus, quum sic pronūciaret: Tu es ille Christus, filius dei uiui. Non uiderant quis esset Iudæi, qui dicebant: Nónne hic est filius fabri? Sed pio desiderio Zacchæi obstabat pudor, quo minus ad Iesum perrumperet, obstabat undiq; circumfusa hominum multitudo. Obstabat humilitas corporis. Erat enim statura pusillus. Humiles sunt, qui rebus sordidis ac fluxis incūbunt. Nam humile est, quicquid habet hic mundus, si conferatur ad maiestatem Euangelicam. His non est cōspicuus Iesus, nisi sese subducant in altum. Iesus sublimis non cōspicietur nisi ab humilibus. Iesus humili ac populari turbæ mixtus non cernitur, nisi ab his qui fastigium

stigium rerum humanarum calcarint pedibus. Et ideo ut à pusillis omnibus undiq; gentium conspici posset, ipse post conscendit sublime lignum crucis. Zacchæus itaque pusillus, non solum corporis statura, sed animi quoque modestia: quo sublimis uideret humilem Iesum, præcurrens occupauit locum, quâ Iesus erat trāsiturus. Suggestum præbebat arbor dicta Sycomorus, quod ficos gignat sui generis, unde & ficus Aegyptia dicitur, sed fōlijs morum arborem referens. Iudæorum turba medium cingebat Iesum. Præcesserat lex, præcesserant prophetæ, hinc atque hinc claudebat latus illa ætas. Sequitur & hodie Iudæorum natio, discit quæ fecerit, quæq; docuerit Iesus: nec adhuc cernere potest, quis sit ille Iesus, unde oporteat sperare salutem. Zacchæus præcurrens occupat hanc felicitatem, nimirum gentium typum gerens. Quid est in causa? Quia adhuc humi manet Iudæus, & hærens carni legis. Nō conspicitur autem Iesus, nisi ab his qui ab humili litera legis, erigunt sese ad sensum sublimiorem spiritus. Ex hoc suggestu licet uidere quis sit, & ubi sit Iesus. Alioqui si turbæ maneas admixtus, hoc est, si nihil eximium sapias, frequenter audies illam fallacem uocem: Eæ hic est, eæ illic est Christus. Pharisæi clamant: Ecce hic est Iesus. Sadducæi clamāt: Eæ hic est. Ebeonitæ clamāt: Eæ hic est. Alius ostendit aliquē è pharisæo genere, nigro pallio, et dicit: Aspice, hic est Christus. Alius rursus indicat aliū cādido pallio, et dicit: Eæ hic

est Christus. Alius diuersos indicãs colores & formas uestium, clamat: Hic est Christus. Alius demonstrat uescentem piscibus, & dicit: Hic est Christus. Alius spadonem ostendit, & dicit: Hic est Christus. O Iudaicum & incredulum genus. Vis uidere Iesum? Conscende arborem, sume tibi oculos Zacchæi. Non ille cupit uidere uestem Iesu, sed faciem cupit agnoscere. Hæc uelata est in sacris literis. Amoue uelum, erige intellectum ad ea quæ sunt interna, & uidebis Iesum. Videbis unde nobis proficiscatur uera salus. Incedit erectus ac sublimis pharisæus, sibi placens, sibi iusticiæ laudem, sibi legis cognitionem uindicans. Et dum sibi uidetur abunde magnus ac uictrix Christo, non dignatur arboris uti præsidio. Zacchæus autem humilis in oculis suis, & arborem conscendit, & uidet quod optat. Fortassis & hæc ficus erat illi similis, quã execratus est dominus, eo quod folio rum uirore promitteret fructum esuriẽti, quum nõ haberet: & iam tempus erat, ut post legis figuras, post prophetarum oracula, proferret fructum Euangelicæ pietatis. Hæc erat illa ficus, quam dominus iusserat excidi funditus, nisi admoto lætamine desijsset esse sterilis, & propemodum sterilis erat, nisi illam conscendisset Zacchæus. Stirps illa Iudaicæ ficus producebat grossos insipidos & immaturos: uerum ut conscendit arborem Zacchæus, ut insitus est populus gentium, iam cœpit proferre fructum, quales amat dominus IESVS. A Iudæis expectatus erat

ius erat multis seculis: tandem uenit ad illos, admixtus illis ambulauit, nec agnitus est. Gentium populus tantum audierat famam Iesu, & accensus amore cognoscendi, quem Iudæi suspenderunt in ligno, præcucurrit ardore fidei: & agnita sua iniusticia, humilis contempsit literam legis: contempsit ceremonias & figuras, quas & hodie Iudæi pro ueris amplectuntur, ac per fidem Euangelicam spiritualibus oculis cernit prætereuntem in apostolis, & agnoscit Iesum: & ultrò meretur habere hospitem, quem Iudæorum incredulitas expulerat. Interea sedet in arbore pusillus ille Zacchæus, obuijs oculis expectans aduẽtantem Iesum: nondum edoctus, quo signo posset eũ agnoscere, nisi quod sperabat id, quod uehementer optabat. At ubi uentum est ad Sycomorum, fortassis Zacchæus multis Iudæorum erat risui, diues ac publicanus sublimis in arbore spectator unius hominis. Non enim cupiebat cognoscere quenquam, nisi solum Iesum. Iesus autem delectatus hominis insigni cupiditate, quam ipso facto, quã uultu atq; oculis præseferebat: quanquam & ante uiderat illũ, tamẽ ut & Iudæis ostenderet exemplum promptæ credulitatis, sublatis in altum oculis, uidit Zacchæum. Nam mihi salutem aliquam insignem expecta, quoties obtutu suo quempiam dignatur Iesus. Habent enim illius oculi salutare fascinum. Ille uidere tantum ambierat, sed frustra uidet Iesum, quem ille uicissim non

dignatur oculis suis. Submoue te ab humilibus ac sordidis rebus, & suspiciet in te Iesus. Habet quiddã boni ominis aspectus, sed maioris est felicitatis audire uocem. Quum enim Zacchæus nihil aliud quàm intuerètur Iesum, dominus ultrò dixit illi, ipso etiam nomine ut notum compellans: Zacchæe festinanter descende, quoniam hodie oportet me domi tuæ manere. Accepimus dominum frequenter rogatum iuisse ad conuiuium, nunquam autem accepimus ultrò non inuitatũ ingessisse sese. Atq; id uulgo parum habetur ciuile. Sed introspexerat dominus affectum hominis, cui tãti erat uidisse Iesum prætereuntem. Plura tentaturus erat, nisi propria indignitatis conscientia obstitisset. Cogitabat apud se: Felices, quibus contigit adhærere tali, quibus coram intueri uultum, quibus audire cõminus uocem hominis. Iudæorum est hæc felicitas. Ego publicanus sum. Mihi abunde magnum est uidisse prætereuntem. Nulla uox inuitantis prodierat, sed hic animus erat urbanissimus inuitator, sic amat inuitari dominus Iesus. Plus impetrat, qui quod tacite secũ optat, propter conscientiã imbecillitatis suæ non audet petere, quàm qui ueluti deuincturus officio Iesum, uocat illũ ad se. Nũquã enim propius accessit ad Iesum Petrus, quàm quum diceret: Exi à me domine, quia homo peccator sum. Efficax inuitator erat & ille, qui dicebat: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. Iam in illius

illius ædibus erat Iesus, quum sanaretur puer eius. Illic enim Iesus est, ubicunq; salus est. Sitiebat Iesus salutem gentium, & ideo iubet, ut festinanter descendat Zacchæus. Iam enim uenerat tempus, ut salus demigratura à Iudæis, transiret ad ecclesiam gentium, illic enim oportet manere Iesum usq; ad consummationem seculorũ: quia non licuit manere apud Iudæos. Esubli mi speculatus fuerat Iesum per fidem, descendit ad officia pietatis: non enim satis est contẽplari Iesum, quoties eget hospitio: eget autem, quoties eget proximus. Quid interea Zacchæus? Nihil omnino respõdet. Ingens enim affectus uocem adimere solet, sed nihil contatus obtemperat. Festinanter descendit. Non enim conuenit contari, quoties nos uocat Iesus. Iudæi uocabantur, & excusant, Zacchæus gestiens & gaudens excepit Iesum in ædes suas. O miseram synagogam, quæ perdidit hospitem Iesum. O felicem ecclesiæ domum, quæ sua promptitudine prouocauit ad se totius felicitatis autorem Iesum. Vides initium ecclesiæ collectæ è gentibus. Nunc considera Iudaici liuoris imaginem. Turba quũ uideret Iesum tam propensum erga publicanum, ut ultrò semet in ædes illius inuitaret, murmurabat quod ad hominem peccatorem diuertisset. O contaminatam & inuisam deo iusticiam, quæ mauult fastidire, quàm sanari: mauult inuidere proximo, quàm cõmunicare. Ad hominẽ, inquiunt, peccatorẽ, quasi non primũ omniũ peccatum sit inuidere proximo, et quasi

bonus esse possit, qui fratri salutē inuidcat. Quid stas extra fores ecclesiæ inuide Iudæe? Licet & tibi ingredi. Quod si recusas, tamen apud Zacchæum decretum est Iesu manere. Gloriantur gentes tali hospite, quem non expectarant. Et hoc gratius est, quia non solum præter meritum, uerumetiam præter expectationem euenit. Vt nunc obmurmuratum est Iesu propter Zacchæum, ita post obmurmuratum est Petro, ob Cornelium centurionem. Quare introisti ad uiros præputium habentes? Sed quid interea? Zacchæus contempto murmure populi Iudaici stat ante Iesum, ambiens etiam in discipulorum ascisci numerum, ostendens quousq; iam profecisset. Ait enim ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quid quem defraudaui, reddo quadruplum. Audis pharisæe? non commemorat Zacchæus uictimas, non delectus ciborum, non iciunia, non dies festos, non sabbatismos, non lotiones, non uestem iactat aut genus, sed opera charitatis adducit. In his peccator uincit iustos, ac de sua sanctimonia gloriantes publicanus antecellit. Siquidem pharisæus ille prædicator suorum benefactorum, decimas duntaxat bonorum suorum dabat pauperibus. Hic dabat dimidium, nec dabat è præda, sed si quid fraude partū erat, restituebat fœnore quadrupli. Deinde de iuste quæsitis largiebatur dimidium egenis. O uices rerum mire inuersas. Quod intus erat in pharisæis, id erat plenum rapina ac dolo: & Zacchæum

chæum habemus iustum & liberalem, hominem non solum diuitem, uerumetiam publicanum, atque adeo huius generis principem, quo magis etiam erat abominabilis apud Iudæos. Sed nihil moratur titulos dominus, mentem intuetur, & ex factis æstimat: ex his autem factis, quæ ex fide & charitate proficiscūtur. Neq; uero iactanter hæc de se prædicabat Zacchæus, quemadmodum ille pharisæus, suæ iusticiæ buccinator apud deum, & publicani derisor. Zacchæus non præfert suam iusticiam alienæ iusticiæ, sed ut homo peccator ac publicanus simpliciter aperit sibi fuisse studium iusticiæ, etiam antequàm uideret Iesum, ex quo discere cupit, recte fecerit, nec ne: & quid præterea foret addendum ad adipiscendam uitam æternam. Sic enim expediebat, ut hæc Zacchæi uox audiretur ab inuidis Iudæis, & à Christo iisdem audientibus probaretur. Non enim poterat illis efficacius exprobrare suam fraudulentiam, auaritiam, rapacitatem: qui non solum ipsi nihil largiebantur egenti proximo, uerumetiam prætextu pietatis, parentes fraudabant à filijs debito subsidio. Iesus itaque uersus ad obmurmurantes Iudæos, ait: Illud affirmo uobis, quod hodie salus contigit huic familiæ, eo quod ipsa quoque pertineat ad parentem Abraham, quo generis autore uos gloriamini. Quisquis enim fide ac syncerite uitæ pietatéq; refert Abraham, is filius est Abrahæ, consors benedictionis, olim Abrahæ promissæ.

Non obstat huic genus ab Abrahæ stirpe diuersum, nõ uitæ genus ante hac in peccatis actum, quisquis à priore uita resipiscens, amplectitur doctrinam Euangelicam: quisquis Abrahæ uestigijs ingressus sequitur ueram iusticiam, filius est & hæres Abrahæ. Nec enim huiusmodi fastidiet filius hominis, qui in hoc ipsum uenit in mundum, ut quæreret quod aberrarat: seruaret, qd' perierat. Hi peccatores deo gratiores sunt, quàm qui falsa persuasione iusticiæ tument. Hoc sermone Iesu declarabat posthac non esse gloriandum in obseruatione legis, sed quicquid dotis obtigisset cœlesti munificentia, id totum eò cõferendum, ut quàm plurimos homines pertrahamus ad salutem. Nam hoc lucro potissimum delectatur deus, qui in hoc miserat filium suum, ut uniuersas orbis nationes gratis condonatis peccatis adiungeret sibi. Erant autem & inter discipulos qui putabant mox, ut uenisset Hierosolymam, cui iam cœperat esse uicinus, apparituru regnum cœlorum, de quo toties meminerat, imaginãtes regnum aliquod mundano simile, quum Christus sentiret de regno spiritus Euangelici, per quem opprimitur tyrannis peccatorum. Id autem regnum nõ constat copijs, armis, aut ui: sed fiducia erga deum, sed beneficẽtia in proximũ, sed clementia, sed syncera ac liberali dispensatione sermonis Euangelici. Porrò maiestatem huius regni, quæ pios decorabit immortali gloria, impios æternis supplicijs addicet, non statim esse proferendam, sed suo tempore nobis incognito prodendam. Interim illud omnibus modis agendum, ut quam quisque dotem habet, primum meminerit esse pecuniam domini, cui debemus omnia: & in huius lucrum erogãdum bona fide quod accepimus, non quod ille ullius rei sit indigus, sed qd' pro sua erga genus humanum charitate, situat omnium salutem: magnóque sese lucro auctum existimet, si homo per hominem resipiscat à uitijs, & ad Euangelicæ pietatis studium conuertatur, ut habeat quod in utroq; remuneretur, & eo qui iuuat beneficio, & eo qui adiutus est. Nec enim est quod hinc nobis uindicemus laudis aut gratiæ. Serui sumus omnes, operam debemus domino. Sors tota illius est, cuius sumus & ipsi: tantum hoc pro sua cuiq; uirili enitendum est, ut augeat rem domini, de præmio relinquat arbitrium domino, qui suo tempore promptam uoluntatem nostram, ac fidelẽ conatum largissime remunerabitur. Parabola sic habet: Homo quidam nobilis ac præpotens, profectus est in regionem longinquam, ut assereret sibi regnum, quod alius per tyrannidẽ occuparat: coq; peracto domũ sese reciperet. Sed is priusquam ingressus esset iter, conuocauit seruos, quos habebat decem, ac tradidit illis minas decem, sic ut inter omnes esset æqua sortis partitio, simulq; mandauit illis: Hanc, inquit, pecuniã uobis trado, nõ ut prodigatis, aut seruetis ociosam apud uos, sed ut negociatiõe crescat, uidelicet ut reuersus

Hæc illis audientibus.

pore

fus reperiã rem domi auctam. Hunc ad modum rebus domi ordinatis, profectus est. Ciues autem eius ciuitatis cui præerat, oderant eum. Itaq; profecto illo, cœperunt agitare de rebus nouandis, hoc molientes ut dum alterum regnum asserit, ab eo quod possidebat, excluderetur. Miserunt itaque legatos ad illum iam profectum, qui referrent illi ciues esse huius animi, ut post hac nollent illum habere regem, ne rediret unde profectus esset. Accidit autem ut ille uindicato regno, cuius gratia profectus fuerat, rediret: ac protinus iussit uocari seruos suos, quibus tradiderat sortem decem minarum, ut subductis rationibus sciret quantum quisq; feciisset lucri, prodijt primus, qui postulatus rationem, ait: Domine, mina tua creuit ad decem minas. Cuius industriam ac fidem collaudans dominus, respondit: Euge serue bone, quoniam quum res meæ essent angustiores, in exigua pecunia declarasti te fidelem, & amantem erga dominum tuum, nunc rebus meis auctis, æquum est, ut particeps sis amplioris fortunæ. Sume præfecturam decem ciuitatum. Post hunc uenit alter seruus, qui postulatus rationem, ait: Domine, mina tua quam mihi pro sorte dedisti, peperit tibi quinque minas. Et huius industriam tametsi inferiorem collaudauit dominus. Pro modo, inquit, industriæ tuæ esto & tu præfectus quinque ciuitatum. Quum ad hũc modum cæteri quoque reddita ratione, pro suo quisque modulo

modulo donati essent dignitate, tandem uenit seruus unus omnium ignauissimus, pessimæq; fidei, qui domino exigenti rationem, respondit: Domine, en refero tibi minam quam mihi credideras. Eam hactenus habui repositam in sudario, quo tibi sicut erat, esset incolumis. Adeo nõ profudi, ut nec attigerim. Hoc malui quàm uenire in periculũ, ne si male cessisset negociatio, tecum mihi res esset. Metuebã enim te, non ignarus, quàm sis homo austerus & lucri auidus, adeo ut non solum nihil dones de tuo, uerumetiam inde tollas, ubi nihil posuisti: & inde messem colligas, ubi non feceris sementem. Dominus autem non tantum offensus ignauia serui, uerumetiam quod culpam suam referret in mores domini, commotus ait: Serue piger, malæ fidei, & insuper insimulator domini tui, in tuum ipsius caput protulisti sententiam. Noueras, ut ais, quod homo sim austerus & lucri auidus, inde tollens ubi nihil deposui: inde metens, ubi nihil seminaui. Atqui hoc ipsum te debebat ad industriam excitare, ut meam pecuniam traderes mensarijs. Veniissem enim haud dubie, & eam simul cum usuris exegissem abs te, quod tibi in hoc credideram, ut per te cresceret. Ad hanc heri uocem quum obmutuisset seruus inutilis, dominus dixit cæteris seruis astantibus: Auferte ab illo minam, & date illi, qui habet decem minas. Hoc admirantes serui, dixerunt: Domine, quid opus est huic addere?

Satis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Satis beatus est. Habet enim decem minas. Tum dominus: Vestra nihil refert quid habeat, sic mihi uisum est, & sic æquum est in hac ratione, ut quisquis industria fideli auxerit rem domini, huic mea beneficentias adijciat aliquid, ut magis etiam abundet. Contrà qui per ignauiam nihil lucri sibi parauit, huius egestati adeo non subueniet mea liberalitas, ut hoc ipsum etiam quod habet, sit auferendum. Mea sors erat, mihi debebatur lucrum, uestrum erat præstare debitam operam. Nunc & sortem uobis largior, & lucrum. Hactenus ænigmate dominus Iesus docuit discipulos suos, ut in negocio prædicationis Euangelicæ, se quisque quàm maxime fidelem ac industrium præberet, præmium autem expectarent in altero aduentu domini, quum iam apparebit potens ac sublimis, regno ecclesiæ iam uindicato ac tradito patri. Primum enim deus tantum in Iudæa notus, unius tantum ciuitatis regulus esse uidebatur, quum diabolus impune regnaret in alieno, per uniuersas orbis nationes. Cupiens autem sibi uindicare per Euangelij prædicationem, quod sibi Satanas per tyrannidem occuparat, reliquit Iudæorum terram, ac profectus est in cœlum: sed prius diligenter instructis discipulis ad munus Euangelicæ negociationis, quibus credidit Euangelici sermonis dispensationem, ueluti sortem quandã, unde lucrum ingens per illos accresceret domino talium

lium lucrorum auidissimo. Attraherent ad regnum Euangelicum quoscunque possent, publicanos, meretrices, milites, Græcos, Romanos, Scythas, Gallos, Gothos, Sarmatas. Hoc autem agerent usque ad reditum domini, qui rediturus est in fine huius mundi, distributurus cuique pro suis factis æterna præmia. Non uenturus est autem, nisi prius subiecerit orbem imperio Euangelico, & in unam ecclesiam coëant omnes totius orbis nationes. Verum dum hæc molitur per suos discipulos, Iudæi, apud quos solos deus hactenus regnare uidebatur, propter cognitionem legis ac religionis autoritatem, ciues illius ex quibus & apud quos natus fuerat, quum in primis illum amare debuerint, & in uindicando regno adesse modis omnibus, non solum nullam opem addiderunt, uerum etiam obstiterunt clamantes apud prætorem: Non habemus regem nisi Cæsarem. Idem fecerunt & post, denunciantes apostolis cæsis, ne posthac de nomine Iesu facerent mentionem. Mosen uolebant regem, Christum nolebant: oderant enim illum, quod aduersaretur ipsorum prauis cupiditatibus. Videmus autem & hodie, quomodo natio Iudæorum se subduxerit à regno Euangelico, quámque pertinacibus odijs conspirarit aduersus eum, cui data est à patre omnis potestas in cœlo & in terra. Nolumus, inquiunt, hunc regnare super nos: & dum nolunt seruire Christo,

seruiunt

seruiunt omnibus huius mundi tyrannis: seruiunt Satanæ tyranno sæuissimo, quumq; passim toto terrarum orbe uideant Christianos gaudere libertate spiritus, ipsi mordicus etiamnum tenent literam insipidam, cui seruiunt uelut assripti glebæ. Sed his fruſtra reclamantibus uindicatur & confirmatur ecclesiæ regnum, in quo parando constabiliendóque qui fidelem nauarint operam, pro modo fructus, quem attulerunt in uinea domini, gloria & honore coronabuntur in regno cœlesti. Iudæis autem pertinaciter incredulis, quid crit præmij? Et hoc explicuit dominus in reliqua parte parabolæ. Posteaquàm enim sumpsisset supplicium de seruo malæ fidei, adiecit: Quin & ciues illos meos, genere ciues, animo hostes, qui seditiosa legatione missa, deprecati sunt me regem: adducite huc, ut occidantur in conspectu meo, mihiq; dent pœnas rebellionis. Hæc est mors æterna, quæ manet omnes, qui nõ obediunt Euangelio filij dei. Tunc enim merito experientur implacabilem, qui mansuetum & clementem pertinaciter contempserunt. Hæc loquutus dominus: pergebat ire Hierosolymam, ubi peracturus erat illud eximium sacrificium pro salute generis humani, & è specula crucis uelut auarus & ambitiosus rex, omnia pertracturus ad se. Quanquam enim ubique multi fuerunt, & futuri sunt, qui clament factis ipsis: Nolumus hunc regem super nos, tamẽ nulla est natio tã procul

semota à Iudæis, unde non plurimos pertrahat ad sese. Rursus igitur facto inculcat, quod prius designarat in Zachæo, quod mox prolixiore parabola explicuit. Procurat interim illud dominus, quod & ante sæpe procurauit, ut liqueat omnibus, sese sponte uolentem, ac scientem pati, quicquid passurus erat, alioqui posse quicquid uellet. Quoniam autẽ decreuerat per summam ignominiam ac deiectionem asserere sibi summam apud homines gloriam, & discipuli nõdum ad plenũ capaces huius mysterij, nescio quid magnificum ac præclarum iuxta mundum expectabant à domino, uoluit ante mortem ad tempus illorum blandirè uel illudere potius affectibus, & irridere mundi huius gloriam, ostendens, q̃ sit inanis & infida, quũ tantos applausus, tam honorificas adclamationes, tantum populi studium mox sequuta sit crux. Quum itaq; Iesus peruenisset ad montẽ qui dicitur Oliueti, uicinus duobus oppidulis in eius montis latere sitis, unde iam in prospectu esset Hierosolyma, emisit duos è discipulis suis cum mandatis. Ite, inquit, in oppidulum quod uidetis è regione. In cuius ingressu reperietis pullum asinæ alligatum pro foribus, rudem adhuc sessori, & cui nullus hominum insederit, soluite illũ & adducite mihi. Quod si quis obstiterit interrogans: quare soluitis pullum? hunc in modũ illi respõdebitis: Dominus hoc opus habet. Abiere discipuli, repererunt pullum alligatum. Soluere parant. Interim aderant, qui rogarent

uelut obsistentes: Quare soluitis pullum? Illi ut erant iussi responderunt: Dominus opus habet illo. Audito nomine domini, passi sunt abduci pullum. Adduxerunt igitur ad Iesum. Vbi uero conspexere dominum uelle conscendere, quod tamen nunquam antea fuerat solitus, ne in nudo tergo sederet incommodius, discipuli instrauerũt sua pallia iumento. Iam autem insidente Iesu, & cunte, quidam etiam in uia strauerunt sua uestimenta, uel honoris gratia, uel ne pullus rudis & incalceatus ad lapides offenderet ungulas. Quum autem iam uentum esset ad pedem montis, ac rectà tenderetur Hierosolymam, mirus quidam affectus corripuit animos omnium, quorum alij comitati fuerant Iesum, alij è Hierosolymis processerant obuiam. Nam certatim uiam, qua incedebat dominus, ramis arborum undique decerptis consternebant, magnóque gaudio, clarisq; uocibus cœperunt laudare deum super omnibus beneficijs ac miraculis, quæ uiderant & audierant gesta per Iesum. Resonabant undiq; uoces gratulantium, ueluti triumphatori domino, & acclamantium: Osanna in excelsis. Benedictus qui uenit in nomine domini, pax in cœlo & gloria in excelsis. Hæc erat uox promiscuæ multitudinis, præcipue iuuenum, qui uelut afflatu quodam numinis, contempta pharisæorum inuidia, reddidere palàm testimonium domino Iesu. Erant autem in ea multitudine pharisæi quidam, quos male habebat hæc acclama-

clamatio, nescio quid præseferens homine maius. Ex his erant qui monerent Iesum, ut ipse sua autoritate cohiberet acclamationes impias, ex immodico quodam erga præceptorem studio proficiscentes, & ob id ingratas etiam ipsi domino, qui tam eximias laudes non agnosceret: Magister, inquiunt, increpa discipulos tuos. Iesus autem piam simplicis turbæ professionem non compressit, sed pharisæorum cæcitatem oblique taxauit, qui non uererentur ea, quæ magnificè gerebat dominus, tribuere Beelzebub principi dæmoniorum. Respondit autem: Qua fronte compescam gloriam merito canentes deo, & quod à prophetis olim dictum est, nunc pijs uocibus occinentes? Illud affirmo uobis, adeo deus non uult hanc laudem suam sileri, ut si homines conticescerent, ipsi lapides clamaturi sint. Et lapidibus duriores sunt, qui tot beneficijs, tot miraculis prouocati, non possunt ad prædicandam dei gloriam permoueri. Hac itaque triumphali pompa, & huiusmodi stipatu dominus Iesus ibat Hierosolymam. Tantulum enim illi libuit gustare de huius mundi gloria, antequàm subiret crucem: & hanc professionem extorsit ab ea gente, à qua mox erat crudelissime perimendus, ut Iudæi suæ ipsorum uoce condemnarentur, quod suum Messiam ac seruatorem adegissent in crucem. Subest autem in hac rerum gestarum historia non parum mysterij. Asina stabat, stabat & pullus asinæ filius. Asina

iam assueuerat sessori, legis iugum ferre solita, nimirum Iudæorum natio. Pullus asinæ filius, quoniam salus à Iudæis cœpit exordium, gentium populus, adhuc rudis erat, nec legis iugo pressus, nec per Euangelicam obedientiam Iesum sessorem tergo uehens. Vtrunque iumentum erat alligatum, quoniam & synagoga carni legis seruiebat, non aspirans ad libertatem spiritus, & gentes philosophorum decretis ac dæmonum cultui erant obnoxiæ. Habebant tum cõmunes dominos, eosq; non paucos. Siquidem in Iudæorũ simul ac gentium populis plerique seruiebant auariciæ, libidini, ambitioni, inuidiæ, cæterisq; fœdis & inclementibus dominis. Hos iussu domini soluunt apostoli duo, Petrus doctor circũcisionis, & Paulus doctor gentium, dum per fidem Euangelicam & baptismum condonant utrisq; omnia peccata uitæ pristinæ, ut soluti posthac mereantur habere sessorem Iesum. Dedit enim hanc potestatem discipulis suis, non solum inter Iudæos, uerumetiam inter gentes, ut quicquid solucrent in terris, idem solutum esset in cœlis. Quid autem mirum, si priores illi domini non possunt impedire solutionem, quando qui soluunt, illius domini iussu soluunt, cuius uoluntati nemo resistit? Illi talibus iumentis opus est, talium dorsis gaudet insidere, qui simpliciter obediunt, qui suaue iugum Euangelicæ doctrinæ libẽter accipiunt, qui non ferociunt aduersus sessorem, qui placido incessu corporibus suis portant & glorificant dominũ

dominum Iesum, donec peruenerint in ciuitatem sanctam & in templum domini, non illam interfectricem prophetarum, sed cœlestem illam, quæ nescit rebellionem. Mundi principes amant feroces caballos, ac bello natos et edoctos. Dominus Iesus tales amat asinos, qui mites mitem uehant dominum, nec sessorem tergo excutiant. Hanc uectationem rident elati principes huius mundi, rident supercilioſi philosophi, rident tumidi pharisæi, sibiq; uidentur felices, quod tergo uehant immitissimum sessorem diabolum, quod tot dominis inclementißimis seruiant, quum uni domino seruire felicitas sit. Nihil his pusillis ac simplicibus felicius, posteaquàm semel soluti sunt à seruitute, posteaquàm semel tergo receperunt dominum Iesum. Iuxta mundum asinini generis uidentur idiotæ, simplices, nescij fraudis, sed habent rectorem dominum, qui non sinit illos aberrare, qui non solum dignatur insidere dorsis illorum, uerumetiam inhabitare pectora, quæ suo spiritu moderatur. Erant nuda iumenta prius, sed apostoli suis pallijs cõuestiunt, sua doctrina, sanctæq; uitæ exemplis ea præparantes conscensuro Iesu, qui quod semel fecit iuxta carnem, nunq; non facit iuxta spiritualem sensum. Via erat aspera, sed hanc quoque discipuli substratis uestibus communiunt, ostendentes facilem esse uiam pietatis, si quis per sanctorũ exempla ingrediens, subdat se domino Iesu. Itur per ramos palmarum, per frondes arborum uirentes, per semper

florentem ac uirentem memoriam martyrum, uirginum & confessorum. Quanta enim uis exemplorum offert sese undique uiam pietatis ingressis? Huiusmodi magnam copiam suppeditant ipsi Iudæorum libri gentibus quoque. Aggratulantur huic pullo, quicunq; Christum agnoscunt dominum. Nec hodie desunt pharisæi, nec unquam defuturi sunt, quos urat Christi gloria. Mallent enim acclamari sibi: Osanna in excelsis, benedictus qui uenit in nomine domini: quum non ueniant in nomine domini, sed in nomine suo. Sed Iudæis hodie tacentibus Christi gloriam, cui inuident, lapides clamitant, iam facti filij Abrahæ. Hierosolymitæ clamant: tolle tolle, crucifige. Hyberni, Scoti, Britanni, Galli, Sarmatæ, Germani clamant: Benedictus qui uenit in nomine domini. Qui dum suæ gloriæ causa student, obscurare conantur gloriam Christi, qui priuati commodi causa premunt ac deprauant synceritatem scripturæ sacræ, dum suam magnitudinem prædicari uolunt ab hominibus, & Christi gloriam sileri: hi nimirum pharisæos illos agunt, obturare conantes ora filiorum Hebræorum, quos deus afflauerat ad decantandam gloriam sui nominis ac filij sui, quem mundo dederat seruatorem. Habet & illud salubrem aliquam significationem, quod ex monte descensus est, deinde iter per planiciem, mox rursus ascensus in montem Sion. Nam in hoc extructum erat templum domini. Nisi mõs haberet oleum unde

unde fidei lumen aleretur, non esset descensus à fiducia legis, qua tument Iudæi: à fiducia philosophiæ, qua sibi placent gentes. Nam initium profectus ex fide est. Oportet autem accedere ad domum buccæ, nam id Syris sonat Bethphage. Hæc enim est bucca, non quæ tumet fastu, sed parturit confessionem admissorum. Nec procul abesse oportet à Bethania, quæ dicitur domus obedientiæ. Non omnes autem obediunt Euangelio. Sed hinc tamen est salutis initium. A descensu iter est per planiciem, undiq; constratam ramis bonorum exemplorum, donec rursus ascendatur in montem Sion, quæ specula dicitur. Nimirum hoc est illud uirtutis fastigium, unde uelut è sublimi specula despiciuntur omnia, quæ mundus hic ostentat ueluti sublimia. Iámque animus cœlo uicinus contemplatur ea quæ sunt æterna, quæq; exuperant omnem sensum humanum. Porrò quum iam eò progressus esset dominus Iesus, ut propius in prospectu esset Hierosolyma, uidens ciuitatẽ illam, ædificijs magnificam ac splendidam, uiris, opibus, ac religionis opinione florentem, superbam rebus præsentibus, ignoratione uenturæ calamitatis securam: misericordia motus illachrymauit: ac uerbis adruptis, ueluti prædolore singultiens deplorauit illius exitium, dicens in hanc sententiam: Si tu quoque cognouisses, quemadmodum ego cognoui hunc tuum diem, quo tibi pax offertur ac remissio pristinorum criminum,

studeres amplecti quod offertur. Nimirum hic tuus dies est, quo prouocaris ad resipiscentiam, & inuitat te dei bonitas ad pœnitentiam: inuitat autem extremo gradu benignitatis, ad quem nihil potest adiungi. Toties abs te spreta dei clementia, nouo quodam modo dignatur te inuisere, ut saltē hac ratione mitescas. Veniet alius dies non tuus, sed Romanorum & ultionis diuinæ, quo pœnas dabis omnium scelerum tuorum, quæ cumulare, quàm deplorare maluisti. Nunc autem nec diem tuum agnoscis, nec illum non tuum prospicis, quoniam uterq; absconsus est ab oculis tuis, quos habes præsentis felicitatis temulentia cæcutientes. Nec recordaris præteritorum malorum, quæ commisisti: nec prospicis futura, quæ tibi imminent: nec agnoscis præsentem dei erga te bonitatem, quam quoniam pertinacissime spernis, ò ciuitas immedicabilis, & interfectrix eorum, qui tibi salutis nuncium adferunt: uenient alienigenæ aduersum te, qui tibi adferent exitiū. Auersaberis Messiam tuum, & Cæsarem tibi regem asciscs. Senties igitur tuos reges, longe alio apparatu ad te uenientes, quàm nunc ad te uenit rex tuus, salutifer ac placidus. Non recipis qui uenit daturus salutem, & recipere cogeris qui uenient daturi perniciem. Venient enim Romani principes, pro regibus hostes, quos anteposueras tuo regi, cum armatis copijs: ac primum circunsepient te uallo, ne quâ pateat effugium, deinde uiris ac machinis undiq; cingent te, ac prement

ac prement obsidione arctissima, deniq; totam istam structuram tuam unà cum templo solo æquabūt. Nec hoc contenti, filios tuos, quibus tu nunc superbis, ac uicissim addis animos tuo splendore, internicione concident: totamq; istam tuam gloriam sic funditus tollent, ut nec lapidem relicturi sint lapidi cohærentem, ne quod uestigium tui maneat, aut ne qua spes sit instaurandi tui. Erunt hæc quidem miseranda, sed tuo merito accident, eo quod toties prouocata, olim per prophetas diuersos, nunc etiam per Ioannem, ac Messiam tuum, obstinate spernas dei misericordiam. Senties igitur tempus uindictæ, quæ tempus uisitationis nosse nolueris. Poteras & ipsa amplecti salutem oblatam. Nunc saltem tuo exitio salutiferum exemplum præbebis alijs, ne simili modo spernant dei bonitatem ad meliora prouocantem. Hæc loquutus Iesus uenit Hierosolymam, & ingressus est templum, unde eiecit uendentes & ementes, dicens: In scripturis dicit deus: Domus hæc mea non negociationi dicata est, sed precationi: uos autem uertistis illam in speluncam latronum, spoliantes hospites, & insidijs impijs uestrum lucrum aliorum damno procurantes. Hoc facto dominus Iesus declarauit, quantam perniciem adferant ecclesiæ, qui sub prætextu pietatis student fœdo quæstui, qui sub titulo religionis suum agunt negocium, non pascentes gregem, sed deglubentes, & insyncera do-

ra doctrina perimentes animas, quas syncera debe/bant uiuificare. His peractis dominus uelut in suo re/gno uersans, quotidie docebat in templo, palàm con/tempta pharisæorum insanabili malitia. His rebus iri/tati, qui inter sacerdotes primas tenebant, scribæ ac primores populi captabant occasionem perdendi ser/uatorem. Non deerat mala mens, sed non affulgebat spes perficiendi quod uolebant. Audierant acclama/tiones populi, uidebant & in templo totam multitu/dinem suspensam pendere ab ore illius: tanta erat di uini sermonis & uis, & gratia. Fastidiebatur istorum frigida doctrina, ueluti uapa, de lotionibus, de cor/bona, de decimanda menta & ruta, semel gustato mu sto uigoris Euangelici. Hinc metuebant autoritati suæ, metuebant quæstui suo, metuebant regno suo. Quod autem id temporis iuxta historiam accidit, id frequenter euenit iuxta tropologiam, quoties hi qui religionis arcem tenent, quique sacræ doctrinæ pro/fessione conspicui sunt, conspirant cum prophanis principibus aduersus Iesum, tum imminet ingens exi/tium populo. Id fit, quoties autoritas sacerdotum ac sacræ doctrinæ professorum adulatur huius mundi monarchis, & illorum affectibus subseruiunt autori/tate sua, quorum potentiam oportebat salubribus ac liberis monitis cohibere: ac uicissim monarchæ suis opibus episcoporum ac theologorum prauas cupidi/tates

tates, hoc est, auariciam, ambitionem, tyrannidem fulciunt ac muniunt: quanquam neutri alteros amant, ta/men impia collusione in perniciem Euangelicæ ueri/tatis tradunt operas mutuas. Horum scelerata coniu/ratio maius exitium adfert orbi, quàm tum adfere/bat pontificum, scribarum, pharisæorum ac primo/rum conspiratio.

CAPVT XX.

QVæritur igitur occasio, ut tametsi cupiditas occidendi esset impia, tamen apud homines studio iusticiæ facere uiderentur. Accidit itaq; ut die quodam, quum Iesus doceret populum in templo, & inculcaret illis lætum, & optatum nuncium æternæ sa/lutis: conuenirent illi coniurati sacerdotum primores unà cum scribis ac pharisæis & populi primatibus, ut uel autoritate cohiberent Iesum à sacra doctrina. Non poterant illius admiranda facta damnare, quæ tam multa teste populo gesserat. Non poterant refellere doctrinam, quæ cum lege cumq; diuina uoluntate con sentiebat. Hinc igitur meditantur calumniam, quod hanc docendi populum autoritatem sibi sumpsisset, quum ab ipsis oportuerit accipere: uidelicet illud agen tes, ut uel gloriam deo debitam in se transferrent, uel Christo struerent calumniam motæ seditionis, qui sine publica principum autoritate conuocaret ac de/tineret populum. Simul igitur adeunt Iesum in tem/plum

plum, dicentes: Si uis ut nos quoq; credamus tibi, dic nobis, qua nam autoritate facias ista quæ facis. Baptizas, prædicas, sanas in sabbatis, doces in templo, colligis discipulos, auocas ac detines populũ. Nobis ignotus es, nulla potestate publica præditus es. Quis igitur dedit tibi istam autoritatem? Iesus autem intelligens, hanc percõtationem ab impia cogitatione proficisci, nimirum ut calumniarentur, non ut discerent: non conatus est eos docere, sed retudit illorum maliciam, ueluti clauum clauo pellens. Ioannem enim baptistam plurimi fecerant, & ad huius baptismum confluxerant. Et is collegerat discipulos, & is turbis prædicabat in desertis & circa Iordanem, instare regnum dei: libere damnabat uitia quorumlibet, & inuitabat ad pœnitentiam. Nec huic tributa fuerat autoritas à sacerdotibus, pharisæis, aut primoribus populi, sed è deserto ueluti nouus homo prodierat, afflatus ac missus à deo, iuxta uaticinium Esaiæ. Cæterum huc tendebat insidiosa procerum interrogatio, ut si Christus respondisset eam autoritatem sibi à deo traditam, accusarent eum blasphemiæ, quod homo sibi uindicaret colloquium, aut commercium cum deo. A pontificibus, pharisæis & scribis non acceperat. Superarat iuxta collectionem illorum, seditiosam esse potestatem, & ex instinctu satanæ, quam sibi sumeret. Contendebant enim, omnem potestatem diuinam ad ipsos

ipsos deuolutam esse, neque quicquæm pie geri, quod non ex ipsorum autoritate gererctur. Et interim odio cæci, non cogitabant, quod Ioannem nulla hominum autoritate similia faciẽtem suspexissent, adeo ut Messiam esse contenderent: nisi quod Ioannes non ædebat miracula. Atqui hoc nomine minus debebant obstrepere Christo. Ac ne illud quidem illis ueniebat in mentem, quod iam olim deus tradidisset hanc potestatem, loquens per prophetas suos. Prophetarum autoritatem recipiebant, & rem à prophetis prædictam reijciebant. Itaque dominus malicioſam illorum prudentiam, & stultam fraudulentiam uolens eludere, respondit hũc in modum: Priusq; ad interrogationem uestram respondeam, sciscitabor & ego à uobis quiddam, quod uerbo poteritis expedire. Id ubi expedieritis, respondebo & uestræ percontationi. Dicite mihi: Baptismus Ioannis utrum erat è cœlo, an ex hominibus? Et cuius autoritate baptizabat, cœlitus accepta, an à uobis? Sensit ilico cornutam interrogationem impia Iudæorum conscientia. Si uera respondere uoluissent, simplex ac parata erat ueritatis oratio: sed sentiunt sese eadem arte peti, qua petebant. Initur itaque consilium dolosum. Nihil enim operosius simulatione, & fraus fraudem, dolus dolum trahit. Conferunt igitur inter se: Quid ad hoc problema respõdebimus? Si dixerimus, Ioannis autoritatem è cœlo profectam fuisse, ilico retorquebit in caput nostrum, & dicet: Quur

cet: Quur igitur non habuistis illi fidem de me testificanti? Confessus est se minorem, & indignum qui gestaret calciamenta mea. Confessus est se terrenum terrena, & humilem humilia loqui, me de cælis profectum maiorem esse omnibus. Quomodo recipitis illius autoritatem uelut à deo profectam, & meam autoritatem, de qua testificatus est ille, palàm calumniamini? Quod si dixerimus, Ioannem nihil egisse autoritate dei, sed tantum humano spiritu, populus uniuersus adorietur nos lapidibus, quod cuncti persuasum habeant Ioannem fuisse prophetam, & afflatu numinis gessisse, quicquid gesserit. Non erat illis curæ ut uerum responderent, sed ut quod ipsis esset commodum. Sic respondent falsi doctores, non quod docet scriptura, sed interpretantes, quod ad ipsorum facit affectus. Si respondissent uerum, periclitabatur apud populum illorum autoritas: sin falsum, metuebant uitæ suæ. Formidabant homines, qui dei timorem abiecerant. Itaq; respondent se nescire. Hæc una rima supererat, qua elaberentur, sed elapsi, simul à quæstione liberant dominum. Ait enim: Quia uos tergiuersamini, nolentes respondere quod scitis, nec ego dico uobis qua autoritate faciam hæc quæ uidetis, quanquam nec hoc ignoratis quod percontamini. Sacerdotibus autem, pharisæis, scribis & populi primoribus ad eum modum confutatis, subiecit dominus parabolam quæ poneret ob oculos immedicabilem illorum maliciam

exitio

exitio dignam, qui tot modis à deo prouocati ad resipiscentiam, semper in deterius profecissent, contempta lege, cæsis & occisis prophetis, occisuri post hos & extremum malorum remedium filium dei, & hunc rursus in apostolis & martyribus frequenter afflicturi. Parabola sic habet: Homo, inquit, quidam plantauit uineam, quam unice charam habuit, nihil non faciens, ut aliquando fructum ex ea perciperet. Sepsit enim eam diligenter, extruxit in ea turrim ad custodiam, effodit lacum, addidit torcular. Sic rebus omnibus probe instructam, locauit eam colonis, ut eam colerent, & fructum colligerent. Quo facto, peregre profectus est, diuq; foris commoratus. Nimirum hæc est uinea domini Sabaoth, quam dominus trāstulit ex Aegypto, plantauit in terra promissionis, sepsit legis ambitu, protexit sua custodia, ornauit templo, addidit sacerdotes, iudices, duces, doctores: nihil omisit quod ad curam illius pertineret. Ac bene curata uinea, colonorum uitio, posteaquàm erat diu expectata ut produceret uuas, tandem produxit labruscas. Dominus interim, quanusquam non adest, tamen illis procul abesse uidebatur, quod ageret in cœlis. Quum igitur tempestiuum esset, ut aliquando fructum tali dei benignitate dignum adferret populus Israëliticus, misit uineæ conditor seruum suum prophetam quempiam ad colonos, hoc est, ad principes, ad sacerdotes

& scribas,

& scribas, qui rerum habenas moderabantur, ut redderent fructum enatum. Coloni qui sibi coluerant uineam non domino, seruum pulsatum ac uerberibus affectum, repulerunt ac remiserunt inanem. In quem enim prophetarum non sæuitũ est? Tanta autem erat domini lenitas, ut nec tanta prouocatus contumelia sæuiret in colonos, sed misit alterum seruum, qui tentaret, an posset illos ad officium reuocare. At illi nihilo mitius tractarunt hunc, quàm priorem tractauerant. Nam uerberibus afflictum & contumelijs affectum, remiserunt illum inanem domino, inanem expectato fructu, sed onustum iniuria. Quorsum enim irent nisi ad dominũ, qui dixit: Mihi uindicta, & ego rependam? Ne sic quidem iritata domini lenitas prosilijt ad ultionem, sed misit tertium seruum. Et hunc coloni uulneribus etiam inflictis, remiserunt inanem domino. Siquidem domini bonitas, quæ illos inuitabat ad pœnitẽtiam, magis iritauit illorũ maliciam. Quanquam autem omnis cõtumelia, qua afflixerant seruos missos, merito pertinebat ad dominum qui miserat, iamq; iure plecti debebant, qui toties prouocati, semper ad scelera maiora profecerant, tamen ex insigni lenitate sua distulit adhuc ultionem, malẽs extremum experiri remedium, quàm sæuire in colonos. Cogitauit autẽ apud sese: Quid faciam, ut impios colonos reducam ad mentem meliorem, quorum culpa iam olim mihi perit fructus uineæ meæ? Misi tot seruos, nihil profe-

profectum est. Quod unum supereſt id faciam. Mittam filium meum unicũ ac dilectum. Qui seruos meos contempserunt, fortassis hunc ubi uiderint, si non amabunt, certe reuerebũtur, meipsum in illo uenerantes. Qui natura mali sunt, solẽt aliquoties uel pudore cohiberi à maleficio. Placuit hoc consiliũ clementissimo domino, filij sui periculo uenari salutem colonorum, uidelicet auido seruandi, ad uindictam lentissimo. Iuit filius obediens patri. Hunc ubi conspexere coloni, non solum reueriti non sunt, sed impijs animis ad extremæ dementiæ consilia sese conuerterũt, dicentes apud sese: Hactenus seruos reiecimus. Hic est filius & hæres, ulturus aliquando patris contumeliam. Occidamus eum, & nobis uindicabimus hæreditatem huius uineæ, contempto fortiter domino. Placuit inter coniuratos impium consilium, ac filium eiectum è uinea, interfecerunt. Hoc sermone dominus Iesus quum prodidisset sacerdotibus, scribis & primoribus suam ipsorum conscientiam, qui tum molibantur, quod paulo post perpetrarũt, educentes Iesum et extra ciuitatem crucifigentes: uersus ad illos, interrogauit eos: Hæc quum sic habeant, quid faciet dominus uineæ talibus colonis? Illis rursus respondere tergiuersantibus, adiecit dominus: Veniet ipse dominus, ac male perdet colonos illos, qui nulla lenitate uinci poterant: atq; illis pro suo merito extinctis, uineam suam locabit alijs. Hoc dicto significabat dominus,

 sublata

sublata funditus Iudæorum religione, per apostolos Euangelij fructum transferendum in gentes. Id abominantes pharisæi, respondere: absit. Intelligebant enim totam hanc parabolam in ipsos dictam: & quum nõ abominarentur tam impium consilium, tamen detestantur impij consilij iustam uindictam. Iesus ut ostẽderet & hoc, quod illi negabant, euenturũ fuisse prædictum à prophetis, intuitus est eos, & ueluti cõpellans illorum cõscientiam, ait: Si non creditis meæ parabolæ, quid est igitur, quod legitis in psalmis? Lapis ille, quem reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli? Quisquis inciderit in eum lapidem, conquassabitur: rursus in quem ille inciderit, eum comminuet. Se lapidem à deo cœlestem significat Christus, quem Iudæi reprobarunt, ædificantes synagogam absq; Christo: sed deus hunc fecit lapidem angularem, connectentem & continentem utrunq; parietem, duosq; populos per fidem Euangelicam absq; legis ceremonijs in unam ecclesiam copulantem. Atq; hic lapis tutissimum est præsidium aduersus omneis insultus mundi ac Satanæ ijs, qui credentes illi inhærent & innituntur. Cæterũ solidus est & inuictus rebellantibus. Nulla est enim tanta potestas huius mundi, quin conquassetur, si in hunc lapidem impegerit: impingit autem qui repuguat ac reijcit. Porrò comminuetur etiam, in quem inciderit ille. Incidit autem in eos, quos diu tolerratos, uindicta dei tandem opprimit inopinantes.

Idem

Idem enim lapis, salus est innitentibus, exitium aduersantibus. Hæ parabolæ domini sic exacerbarunt animos primariorum sacerdotum ac scribarum, ut inibi statim uoluerint illi manus inijcere, sed ab impio facinore cohibuit illos populi metus, apud quem uidebãt Iesum adhuc plurimi fieri. Etenim homines sibi male conscij, senserant parabolam dictam in se cõpetere: quæ ideo dicta est, ut ex eius intellectu reuocarentur à nefarijs consilijs: nunc hoc ipso fiunt ad malefaciendum iritatiores, quo debuerant à malicia deterreri. Proinde metu plebis excluſi à palàm patrando facinore, quod iam in animo patrarant, postquam deerc uerant, per cuniculos aggrediuntur efficere, hoc etiã sceleratiores quod fraudem addunt maliciæ: quemadmodum sceleratior est, qui ueneno occidit, quàm qui gladio. Audi nunc Theophile dolos & artes impiorum sacerdotum, qui ideo Iesum uolunt extinctum, hoc est, ideo ueritatem Euangelicam uolunt oppressam, quia per eam aufertur cultura uineæ, cuius dominatum sibi perpetuum, atq; hæreditarium promiserant. Dissimulant iram, & obseruant omnem occidẽdi occasionem. Submittunt uero quosdam, qui sese iustos simularent (Nihil autẽ simulata iusticia capitalius) ut ex illius sermonibus uenarentur aliquid, quo deferri posset apud Cæsareos præfectos ac præsidem Pilatum, qui tum in Iudæa nomine Cæsaris rerũ summa potiebatur, ut inuidia facti transferretur in hos,

 quorum

quorum sententia fuisset occisus, ipsi uelut innoxij tẽ peraſſe uiderentur à ſanguine. Sed quo magis humana uerſutia conantur diſſimulare, hoc magis ac magis traducunt ſuam inſignem maliciam. Adoriuntur igitur Ieſum illi perſonati ſatellites pontificum his uerbis: Magiſter, perſpecta eſt nobis tua integritas, libere loqueris, & recte doces omnia: nec eſt apud te reſpectus perſonarum, ut in gratiam ullius quamlibet potentis mentiri uelis, ſed unum deum ſemper habes præ oculis, quod illi gratum eſt, ſimpliciter ac libere doces. Dic igitur nobis, quid ſentias tu, de quo multis eſt cõtrouerſia: utrũ fas eſt nobis, dare tributũ Cæſari an nõ? Ieſus autem intelligẽs fraudulentæ blanditiæ, & inſidioſa interrogatio quorſum tenderet, ninirum huc, ut ſi, quod ſperabãt fore, reſpõdiſſet, nõ eſſe fas ut populus deo ſacer ſeruiret ac cenſum penderet impio & idololatræ principi: quam opinionem phariſei probabant, etiam ſi profiteri nõ auderent: rurſum ſubornarent, qui deferrent eum apud Pilatum Cæſaris præſidem leſæ maieſtatis: ſic Euangelica prudentia fraudulentiam illorum eluſit, ut & illis adimeret captatam anſam lædendi, & admoneret quid ipſos oporteret facere, quod ſine dubio nemo non ſine certo ſalutis ſuæ periculo foret omiſſurus. Nec enim in hoc uenerat Chriſtus, ut doceret quantum Cæſaribus aut Cæſarũ præfectis pendi deberet, ſed quid ex ſpirituali cenſu deberetur deo, qui dominus eſt omnium.

Quid

Quid me tentatis, inquit? Oſtendite mihi denarium. Non enim agnoſcit Cæſaris imaginem, qui nihil habet in terris. Exhibito nummo rogauit, quæ nam eſſet imago, & cuius haberetur inſcriptio. Nec iſta nouit qui uere Chriſtianus eſt. Aiunt qui nouerant, nimirũ mundo dediti, Cæſaris. Subijcit Ieſus: Reddite igitur Cæſari, ſi quid ad Cæſaris ius pertinet. Neque enim hoc mea refert, quid exigant huius mundi principes. Cæterum illud magis ad rem pertinet, ut reddatis deo, quod illi debetis. Agnoſcite illius imaginem expreſſam in animis ueſtris, agnoſcite titulum illius, & inſcriptionem. Totus animus illi debetur, nec alij ſeruire debet, quàm ei qui condidit & corpus et animam. Quur autem dei gerens imaginem datur diabolo? Mirati ſunt ſubdoli captatores tam cautũ reſpõſum. Habet enim & euangelica ſimplicitas ſuam prudentiã, nec tamen agnoſcunt diuinam in eo ſapientiam, ſed dolent nihil eſſe, quod in eius ſermone poſſent reprehendere. His ſubmotis accedũt Sadducæi, qui falſo nomine iuſticiæ ſeſe ueniebant: quemadmodum phariſei dicebantur ab eminentia, qua ſibi uidebantur longe præcellere cæteris. Habet autẽ illud Sadducæorũ ſecta peculiare, quod nõ credũt eſſe reſurrectionẽ corporũ, nec aliquid hominis extare poſt mortem, nec ullos eſſe angelos. Hi domino proponũt huiuſmodi quæſtionem: Magiſter, Moſes huiuſmodi legem tradidit nobis, ſi quis, uxore ducta, deceſſerit abſque liberis,

ut defuncti frater ducat mulierem uiduam, & succedens in locum fratris, suscitet ex eadem posteritatem fratri suo. Euenit igitur ut fuerint fratres septẽ, quorum primus duxit uxorem ac decessit absque liberis. Huic natu proximus accepit uxorem relictam, ac decessit & ipse, non susceptis ex ea liberis. Huic successit in coniugium tertius frater, secundum ætatis ordinem, qui & ipse decessit absq; liberis. Atq; ut breuiter dicam, simili modo ducta est mulier ab omnibus usq; ad septimum, nec quenquam illorum fecit patrem. Tandem mortua est et mulier. Proinde in resurrectione quis è septem fratribus sibi uindicabit eam uxorem? Nupsit enim mulier omnibus, nec tamen potest esse communis omnium. Ex hac absurditate Sad ducæi putabant posse refelli pharisæorũ opinionem, qui cõtendebant animas supereſſe corporibus, & corpora quoq; mortuorũ aliquando reuicturа. Quoniã autem horũ interrogatio plus habebat stulticiæ quàm maliciæ, Iesus non dedignatus est eos docere, dicens: Erratis, inquit, imaginantes talem esse rerum statum in futura uita, qualem in hac uidetis. Filij huius seculi in quo uicißitudo morientium ac nascentium est, necessario quærunt uxores filijs suis, ac filias maritis elocant, nec etiam alia ratione propagari potest genus humanum. Proinde matrimonium inter eos nõ est felicitatis, sed necessitatis. Cæterum quibus contingit ea felicitas, ut digni habeãtur resurrectione iustorũ,

& illo

& illo seculo, quod mortalitatem nescit, nec uxores accersent filijs suis, nec filias suas nuptum dabunt uiris. Quid enim erit opus nuptijs & coitu, posteaquam nemo iam moritur? Iam enim desierunt esse carnales, & huius corporis incommodis obnoxij, sed recepto iam immortali corpore, non aliter uicturi sunt, quàm uiuunt angeli, inter quos ideo non sunt nuptiæ, quia non est moriendi necessitas. Hic qui mortales ex mortalibus nascuntur, usu matrimonij prospiciunt posteritati. Cæterum illi iam uirtute spiritus renati factiq; filij dei uiuentes in æternum, nõ desiderabũt matrimonium, quia nescient mortem, utpote iam per resurrectionem restituti ad uitam immortalem. Quoniam autẽ in hoc propositũ erat hoc problema à Sad ducæis, ut irriderent resurrectionem mortuorũ, quia non credebant animas à morte corporis esse superstites, dignatus est dominus et hac de re docere rudes illorum animos ex autoritate scripturæ, quam ipsi non improbabant quidem, sed parum attente legebant. Porrò mortuos, inquit, posse resurgere, nec animas simul interire cum corporibus, ipse etiam uos docet Moses, cuius autoritatem, quum in cæteris agnoscatis, hic non debetis reijcere. Siquidem ille literis prodidit, sibi deum hunc in modum loquutum fuisse de rubo, quem citra dispendium uiderat flagrantem. Ego sum deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Iam Abraham, Isaac et Iacob sepulti erant, quod

Sed erunt sicut filij dei.

si iuxta uestram sententiam totus & irrecuperabiliter perit qui moritur, quomodo deus se uocat deũ illorum qui non sunt? Quum enim deus sit ipse uiuens, imò uita ipsa: non conuenit, ut se uocet deum eorum, qui iam morte prorsus interierunt. Sed non interierunt, quorum potior pars supereſt, uidelicet ea pars, qua uiuimus. In cæteris animãtibus mors interitus est, siquidem & corpus collabitur à uita destitutum, & anima quæ in illis nihil aliud est, quàm harmonia qualitatum corporis, soluta temperatura, euanescit. In hominibus mors nihil aliud est, quàm diuulsio animæ à corpore, sic ut melior nostri pars maneat incorrupta, solum corpus ad tempus non intereat, sed corrumpatur. Id autem in resurrectione restitui uirtute diuina, mirũ uobis uideri non debet, quum quotidie uideatis ex arido grano seminis in terram abiecti atq; inibi putrefacti, enasci nouam ac uiuam arborem, quæ latebat in exiguo mortuoq; granulo iã sepulto. Proinde qui mortui sunt, uobis quidẽ mortui sunt, qui eos nõ potestis reuocare in uitam: deo aũt uiuunt omnes, etiam qui mortui sunt, cui in manu est, ubi uolet, diuulsas animas suis quasque corporibus restituere. Quũ ad hæc obticescerent Sadducæi: scribæ quidam approbarunt Iesu sermonẽ, quod hac de re inter phariſæos & scribas conueniret aduersus sectam Sadducæorum. Sed ut rectior erat hac in parte phariſæorũ & scribarum opinio, quàm Sadducæorum, ita scelerior

ratior erat animus. Minus enim est ibi maliciæ, ubi plus est ruditatis. Postquam ergo frustra tentatus esset à diuersis Iudæorum sectis (nam & phariſæis responderat de maximo præcepto legis) neque cuiquã quod tentarat succeſsisset, nullus ausus est eum amplius quæstionibus lacessere. Iesus igitur ultro prouocauit illos simul collectos quæstione, non insidiosa, sed quæ ad illorum salutem pertinebat. Rogauit, cuius filium scriptura pronunciaret fore Messiam. Illi non ignari prædictum, quod è stirpe Dauid nasciturus esset Messias, incontanter responderunt: Dauid. Ad hæc Iesus: Atqui Dauid afflatus cœlesti spiritu, sic de Messia loquitur in psalmis: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Qui conuenit ut dominum appellet eum, quem agnoscit filium? Filius enim minor est patre: ac magis conuenit ut filius patrem honoris gratia dominum appellet, quàm contrà. Hanc quæstionem nemo poterat dissoluere, & id temporis satis erat Iesu per ænigma significasse diuinam naturam, iuxta quam maior erat omnibus patriarchis, nimirũ æqualis deo patri, quanquam & secundũ humanam naturam præcellebat omnes. Et Dauid memoriam habebant sacrosanctam, eum, quem Dauid agnoscebat & filium & dominum, aspernabantur, non ex ignoratione legis, sed ex iudicio prauis affectibus excæcato. Horũ autem malicia, quoniam erat deplorata,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullisq; remedijs ſanabilis, reſtabat ut admoneretur ſimplex & rudis populi turba, ne horum fucis & artibus circumueniretur: qui quum eſſent omni religione uacui, tamen ſummam ſimulabant pietatem, non aliò ſpectantes, quàm ad gloriam & quæſtum ſuum, & hac de cauſa modis omnibus obſtrepentes gloriæ dei, ac proximorum ſaluti. Nulli ſunt enim hoſtes capitaliores ueræ pietatis, quàm qui ſimulatione ſanctimoniæ ſibi conciliant autoritatem, & hac freti, ſimplicem populum auocant à uera pietate. Hoc hiſtrionum genus duplici potiſſimum morbo laborat, ambitione, quæ uergit in tyrannidem: & inexplebili auaritia. Hos Ieſus depinxit ſuis diſcipulis, idq; toto populo audiente, ut uitarentur, qui corrigi non poſſent: & deſinerent fallere, qui nolebant reſipiſcere. Non erat hoc alienæ famæ obtrectare, ſed ſimpliciũ ſaluti conſulere. Nunc audi mi Theophile, quibus coloribus eos depingat dominus, ut cognitos uites. Caucte uobis, inquit, à ſcribis, cuiuſmodi iam ſæpe uidctis dolome adorientes. Profitentur ſcientiam legis, & aduerſus mentẽ legis pertinaciſſime repugnant. Habent deũ in ore, ſed aduerſantur gloriæ dei. Profitentur ſe curare rem populi, quũ ſui cõmodi gratia ſimulent omnia quæ faciũt. Fugitant conſortia peccatorũ, & ſi forte in illorum congreſſum inciderint, expiant ſe lotionibus, ſed ipſi intus toti madent tetrioribus uitijs, inanis gloriæ ſiti, faſtu, liuore, ſed in primis auaritia, quæ

quæ eſt idolorum cultus. Quoniam autem intelligũt populum uiſibilibus rebus potiſſimum commoueri, talium rerum præſtigijs captant autoritatem apud ſimplices. Venditant ſeſe nouitate ueſtis, gaudentes obambulare conſpicui magnificis ſtolis ad terram uſq; demiſſis, & uultibus ad grauitatem compoſitis: crebro uerſantur in foro & hominum cœtibus, ut illic adorentur & ſalutentur Rabbini. In ſynagogis item & conſeßibus ambiunt primi honoris ſellas, & in cõuiuijs appetunt in accubitu locum honoratiorem, ut magni uideantur apud homines, quum apud deũ ſint execrabiles. Inanes tantum & ſtulti uideri poterant, ſi præter popularem auram & ſalutationum fumos nihil ambirent. Nihil eſt illis rapacius. Non exercent uſuram, non ſunt telonæ, ſed artes habent illorum arte ſceleratiores. Simpliciores uenantur ad prædam, captant uiduas beatas, & maritorum præſidio deſtitutas. Sexus eſt idoneus fraudi, & pium uidetur adeſſe deſtitutis. His itaq; facile imponunt ſimulatione ſanctimoniæ. Plurimũ grauitatis præſeferunt in uultu, honorantur ab omnibus, ueſtitus ipſe undiq; clamitat ſanctimoniam. Addunt prolixas preces, idq; in publico. Factũ eſt hoc & à Ioanne, & à ueteribus prophetis, ſed in occulto. Iſti non orant, ſed uenantur. Quid igitur mirum, ſi tot fucis falluntur uiduæ? Ad has poſteaquam irrepſerunt, deuorant earum domos: quasq; tueri debebant, expilant: & quod erat erogandum in

dum in usus pauperum, in suum quæstum conuertũt. Tales id temporis erãt scribæ & pharisæi, qui sine fine repugnabant Euãgelio. Quãquam & hodie sunt, & semper futuri sunt scribæ, qui dum suis student commodis, & populi cõmodis aduersantur, & Iesu gloriæ resistunt, idq; falso prætextu religionis, cultu, titulis, prolixis precationibus uenantes opinionẽ sanctimoniæ apud uulgum, qui nondum intelligit quibus in rebus sita sit uera religio. Quid autem aduersus hos facient Christi discipuli, qui lædere nesciunt, utpote simplicitate columbina præditi? Nimirum hic adhibebunt & serpentis astutiam. Si moniti non resipiscunt, uitandi sunt insanabiles: & admonendi simplices, ut ab illorum insidijs caueant. Manet illos sua pœna. Quum enim uentum erit ad tribunal illius iudicis, qui non iudicat ex his, quæ uidentur oculis corporeis, sed ex occultis affectibus animorum, tum grauioribus pœnis addicentur, quàm qui palàm ac simpliciter flagitiosi sunt, hoc minus noxij, quod morbum suum præse ferunt.

CAPVT XXI.

QVO magis autem dominus Iesus hoc infigeret animis populi, homines apud deum non æstimari ex rebus uisibilibus, sed ex animi syncerita-
te: simulq; taxaret scribarum, pharisæorum, & sacerdotũ auaritiam, qui hoc persuadebant populo, præsertim autem mulierculis uiduis, sed beatis, summam esse sanctimoniam, si quàm plurimũ ex opibus suis cõferrent

ferrẽt in corbonam, præteritis interim pauperibus, nõ nunquam & liberis ac parentibus suis: quum sederet in templo, sustulit oculos ad eum locũ, qui dicitur gazophylacium, in quo donaria seruabantur. Eam pecuniam sacerdotes adeo uolebãt haberi sacram, ut quũ lex in primis iussisset honorari parentes, illi docerent deferendum potius patrem, quàm non augendam corbonam, quum tamen ea pecunia uitio sacerdotũ iam magna ex parte uerteretur in luxum ipsorũ. Quum autẽ multi diuites multa misissent in gazophylaciũ, & his ueluti pijs à sacerdotibus ac pharisæis applauderetur: accessit & uidua quædã paupercula quæ misit duos æreos nummulos, qui conficiũt quadrantem. Huic quum nullus hominũ applaudaret, Iesus tamen huius mulieris pietatẽ uoluit esse notam populo. Ait enim: Hæc uidua hominũ iudicio uidetur minimũ misisse in gazophylacium. At ea dei iudicio plus misit quàm illi diuites, qui copiosissime miserunt. Siquidẽ illi ex eo liberales sunt, quod ipsis domi supest. Hæc autẽ studio pietatis ex sua penuria dedit, totamq; substãtiam, quam domi habebat, misit in gazophylaciũ. Apud deum igitur, qui non spectat rei modũ, sed animum, hæc benignius cõtulit, quàm illi. Ita Iesus ubiq; per omnem occasionem auocauit suos à fiducia rerũ uisibilium, quibus Iudæi nimium tribuebant, ad studiũ Euangelicæ pietatis, quæ in animi syncera affectibus sita est. Iudæi uero præcipuam gloriam habebãt

in tem

in tẽplo Hierosolymitano, quod operiosissime cõstructum, magnificisq; donarijs locupletatum, magna religione uisebatur, non solum ab omnibus Iudæis, uerum etiam ab alienigenis. Iam autẽ uenerat tempus, quum cessaret illius templi religio cum suis uictimis, ac deo pararetur templum animi, spiritu sancto consecratum, in quo illi quotidie immolarentur uictimæ gratissimæ: non pecudũ, sed uotorum & gratulationum. Purus enim animus cuiuslibet etiam pauperis sanctius ac magnificentius templũ est deo, quàm sumptuosissimum illud tẽplum tot annis extructum. Pudicitia, modestia, charitas, ornamẽta sunt longe precio siora in oculis dei, quàm illa marmora, ebur, cedrus, aurũ, argentum, gemmæ, quibus superbiebãt sacerdotes & pharisæi. Quũ igitur quidam ostenderent Iesu templi mirabilem structuram, quod lapidibus eximijs magnaq; arte politis & sculptis substructum esset, quodq; splendidis donarijs ornatũ, respondit: Parate deo templũ spirituale, quod nec uetustas exedat, nec tempestas deijciat, nec ignis exurat, nec ulla uis hominum demoliatur. Nam hæc omnia quæ nunc mirami, ni, tanquam deo digna: futurũ est, ut funditus diruantur, adeo ut nec lapis fiat reliquus lapidi adhærens, qui nõ destruatur. Hoc audientes discipuli, ac uel ex hoc conijcientes imminere regnũ cœlorũ, quod existimabant magna quadam rerũ mutatione futurũ, auidi cognoscere tempus, quando hæc essent uentura, dicũt

domino:

domino: Præceptor, ista quæ narras de templo demoliendo, de subuertendis Hierosolymis, quo tempore fient, aut quo signo poterimus cognoscere, iam adesse tempus illud? Iesus aũt uolens suos semper esse paratos ad omnes malorum incursus, ambiguis sermonibus suspendit illorũ animos, cõmiscens multa de afflictionibus, quas essent perpessuri ob prædicationẽ Euãgelij: de subuersione ac miserabili clade urbis Hierosolymæ, de fine mũdi, cuius tempus uoluit omnibus esse incognitum, ut semper sint parati. Discipuli de regno cogitabant, dominus autẽ hoc eos scire maulut, quod magis ad illos pertinet, & à quorũ cõmemoratione abhorrebat imbecilliũ animus. Malebant enim audire iucũda, quàm salutaria. Regnũ illud beatũ alẽ quãdo uenturũ est, & suo tẽpore uenturũ, eius rei curã magis expedit deo cõmittere. Nostrum est interim sic nos gerere, ne regno uideamur indigni. Nec enim perucnitur ad regni gloriã, nisi p uarias afflictiões. Aduersus has oportet armatos esse animos nostros. Ait itaq; Iesus: Omnino uenturus sum, ac prodituru maiestatẽ Euangelici regni. Sed uidete, ne seducamini, aliũ Christũ pro me amplectentes. Veniẽt enim ante tẽpus illud, quo uenturus sum, multi q sibi uindicabũt nomẽ meũ, ac de se prædicabũt: ego sum Christus. Tẽpus instat. Nolite taliũ uerbis cõmoueri: & si quõ uocabũt uos, nolite sequi. Porrò quũ audieritis omnia cõmisceri seditionibus ac bellis, multi uaticinabuntur

instare

instare finẽ mundi. Vos aũt huiusmodi rumoribus no lite terreri, quasi iam instet dies supremus. Euenient quidem ista, sed nõ protinus ab illis finis mundi. Siquidẽ hæc nihil aliud erũt, quàm præludia quædã illius extremæ calamitatis, quæ malos perdet, bonos examinabit purgabitq;. Vt corporis interituri signa sunt ualidi morbi, ex uitiosa temperatura qualitatum exorti, ita mundi finẽ prædicant horrẽdi tumultus, quos homines ipsi sibi cõsciscũt, prauis cupiditatibus infecti. Horũ peruersitate concutietur ipsa rerũ natura, ueluti maliciam hominũ detestata, & in scelerũ uindictam insurgens. Magnis tumultibus insurget gens aduersus gentem, regnũ aduersus regnũ. Porrò quum nihil sit calamitosius bello, tamẽ hanc pestem sibi cõciliant, & accersunt homines ambitiõe, stulticia, auaritia, odijs, similibusq; uitiosis affectibus. Addet & ipsa natura graues terræmotus pluribus in locis, uelut indignante mũdo, quod homines tam impios ferre cogatur. Accedent & pestilentiæ, suo cõtagio plurimos absumpturæ, uelut ipso aëre armato in uindictã malorũ, qui in hoc datus est, ut salutari aura uitã cõferat & alat omnibus. Accedet ex prouentus inopia fames, ueluti terra negante suã alimoniã filijs tam impijs ad uersus deũ, cui muta quoq; famulantur elementa. Nouis & insolitis tumultibus commouebitur mare, solitum & ipsum seruire usibus hominum. Quin & cœlum ipsum prodigia dabit, iram dei testantia, sole subito

subito uerso in tenebras, luna in sanguinẽ, cometis nouæ specie sese proferentibus, aliisq; prodigijs nouis et admirandis. Verum & corpus hominis, nõ statim emoritur morbis ingentibus cõcussum, sed tamẽ morbi subinde recurrentes, declarant non procul abesse mortis diem. Ita quum huiusmodi malis frequenter concutietur mundus, significationem dabunt mundi iam senescentis, & ad ruinam tendentis. Sed antequam hæc publica calamitas orbẽ corripiat, antecedet insignis hominum peruersitas, quæ dei bonitatem ad iram prouocabit. Vobis enim nomen meũ, per quod salui fieri potuerunt, prædicantibus, inijcient manus, & omni genere malorum persequentur: pertrahent in conciliabula sua, ueluti nocentes ac maleficos. Conijcient in carcerem, reos peragent apud regum ac præsidum tribunalia, non ob ullum uestrum maleficium, sed ob ingẽs beneficium, uidelicet ob professionem nominis mei, quod modis omnibus conabuntur abolere, quũ per illud gratis liceat assequi salutẽ æternã. Hoc aũt accidet uobis, ut & uestra probata sit cõstãtia, & illorũ intelligatur merito damnata malicia. Vos autem meo præsidio, uestraq; innocentia freti, non est quod metuatis illorũ tribunalia, nec quod soliciti meditemini apud uos, quomodo sitis acturi causam homines idiotæ apud cõfessum magnatum aut principes. Nec est quod rhetorem, patronum, aut iureconsultum aduocatũ adhibeatis. Ego per meum spiritum uobis adero patronus & aduoca-

tus inuictus, qui uobis suppeditabit & linguam & sapientiam, cui nec resistere poterunt, nec contradicere omnes aduersarij uestri, quantumuis crudeles aut diserti mundana sapientia. Atq; hæc patiemini, non solũ ab ignotis & alienis, uerumetiam ab his, qui uobis propinqua cognatione arctisq; necessitudinis uinculis iuncti sunt. Pater persequetur filium, fratres affligent fratrem, cognatus deferet cognatum, amicus in ius uocabit amicum. Erunt autem ex uobis, quos odio mei sunt interfecturi. Tam atrox odium totus mundus concipiet in uos ob mei nominis professionem. Proinde quicquid in uos audebunt, hoc in meam cõtumeliam factũ accipiam. Quare non est quod uos de uindicando cogitetis. Ego lædar, ego occidar in uobis. Meũ erit & uobis consulere, & illorum ulcisci maliciam. Quantumuis autem desæuierint in uos persequutionum humanarum procellæ, non est quod metuatis uidelicet me protectore. Non enim cõmittam ut uel pilus capitis uestri pereat: tantum abest, ut sim uobis defuturus. Ne respicite ad humana præsidia, copias, arma, machinas: sola tolerantia uestra defendetis uitam uestram. Nõ potest perire, qui ob mei nominis professionem occiditur. Nõ peribitis ante diem. Nec enim tantum permittã humanæ uiolentiæ. Ille uero uere seruauerit animam suam, qui mea causa cõstanter mortem oppetierit. Ciuitas autem hæc opulenta, qua nunc superbiunt Iudæi, & in qua sibi regnare uidentur, funditus subruetur à genti bus.

Cum autem uideritis.

bus. Quum igitur uideritis Hierosolymam cingi obsidione, tunc intelligite imminere uastationem illius: neque quicquam superesse, nisi ut sibi quisq; quantũ potest celeri fuga consulat. Solet enim sibi quisq; in bellis blandiri spe uictoriæ, cauete ne quem hæc spes fallat: sed qui tum temporis fuerit in Iudæa cõfinijs, subducat sese in loca montana & inuia. Et qui in meditullio Iudææ habitarint, demigrent aliò. Quos uero calamitas hæc deprehenderit in exteris regionibus, ne recipiant sese in Iudæam. Habeant omnia pro derelictis, tantum uitæ suæ quisq; consulat. Non enim hæc fient tumultibus fortuitis hominũ, sed ultio diuina iam diu prouocata pertinaci malicia hominum, per alienas nationes pœnam sumet de hac natione, iam olim rebellante aduersus deum. Hæc ita uentura prædixerũt olim prophetæ, præcipue Daniel. Necesse est autem uenire, quicquid prædixit euenturum scriptura, quæ non fallit, quippe diuini spiritus afflatu scripta. Nec ideo tamen incidet hæc calamitas, quia sic fore prædixerint prophetæ: sed ideo prædictũ est, quod deus præuiderit hominũ puiacẽ impietatẽ, quæ diuinã ultionẽ in se prouocarẽt. Erit aũt ingẽs malorũ procella, quoniã præcessit diutina pertinaxq; malicia gentis huius, quæ tot modis prouocata ad resipiscentiã, semper in deterius progressa est. Inuoluet aũt hæc tempestas, & noxios & innoxios. Minus aũt infelices erunt, quos illa procella malorum ingruens offenderit accinctos ad fugã.

Væ autem grauidis, ac mamma lactantibus, quoniam onustæ sarcina, quã deponere nec uolent nec poterũt, non erunt expeditæ ad fugiendũ. Nec erit nisi in fuga spes incolumitatis. Nec enim erit uulgaris afflictio, sed atrox ultio dei corripiet regionem hanc omnẽ, & populum hunc tot seculis rebellem. Subuersis enim urbibus, aut trucidabuntur, aut captiui ducentur dispergẽdi per omnes gentium nationes: ut uersis rerum uicibus, seruiant gentibus, quas hactenus ut abominabiles excerati sunt: hoc ipsum illorum humanitati debituri, quod ullæ supersunt reliquiæ gentis impiæ. Quin & Hierosolyma hæc, & opibus & religionis opinione superba, cum suo templo, cuius structuram sibi promittunt æternam fore, cõculcabitur à gentibus, donec expleta fuerint tempora, quibus deus passurus est Iudæorũm nationem premi & affligi à gentibus incircuncisis, donec diutinis malis correcti Iudæi, tandem resipiscant, & in societatem Euangelicæ professionis coëant cum gentibus. Nam id futurum est, antequam ueniet supremus dies mundi. Huius autem aduentum signa multa portendent, antequam ueniat. Erit enim ille dies horribilis, præsertim his, qui meum tempus placidum, & ultrò beneficijs inuitans ad mentem meliorem, spernunt. Proinde rerum elementa uelut exhorrescent ad huius aduentum. Sol ille fons luminis, solitus exhilarare rerum mundi faciẽ, subita caligine multum obducet. Ne lunæ quidem erit suum lumen mutuum

tuum, quod uobis impartiat. Stellæ sanguine rubentes de cœlo descendent in terras. Item uehemens animorũ anxietas ac rerum desperatio corripiet omnes gẽtes, intumescente mari, tristiq; fragore resonantibus fluctibus. Hæc & huiusmodi portenta, quæ se proferent undiq; ex omni parte mundi, declarabunt ingruere terribilem ultionem dei: eoq; mortales extabescent, & exanimabuntur metu & expectatione eorum, quæ mox superuenient uniuerso orbi. Concutietur enim tota rerũ natura: neq; terra solum & mare cõmutabuntur, uerũ etiam illa solidissima mũdi corpora, quæ hactenus ab elementorum mutatione fuerunt immunia, solitaq; tantum agere in ea, quæ subiecta sunt, non autem uicissim ab illis affici, cõmouebuntur. Qui nunc aspernati sunt filium hominis placidum, mitem ac beneficum, tunc uidebunt cum, sed suo malo uidebunt, sublimem uenientem in nube, cũ ingenti potestate, summaq; gloria. Porrò quum hæc cœperint fieri, subrigite oculos, & attollite capita uestra ad cœlestem illam ciuitatem Hierusalem: quoniam in propinquo erit regnũ dei, in quo nulla iam erit malorum afflictio, sed perpetua tranquillitas, & æterna felicitas. Hæc erunt certissima signa iã instantis supremi diei. Et adiecit dominus similitudinem. Exemplum ab arboribus capite, quæ signis certis præmonent homines sequuturi fructus. Videtis enim ficum & reliquas arbores, quum protrudunt gemmas ac frondes, & ex uobis ipsis intelligitis instare æsta-

tem, & incipitis sperare fructus. Ita & uos quum uideritis hæc præludia mundi transformandi, concipite certam spem iamiam proferendum regnũ dei: nec amplius fore malis ius affligendi bonos: sed impij pœnis æternis afficientur, pij gaudijs fruentur perhennibus. Si uideritis euenire, quicquid hactenus prædictum est uobis à prophetis & à me, credite haud dubie & hæc uentura quæ nunc prædixi uobis. Illud affirmo uobis, non præterierit hæc hominum ætas, prius quàm hæc omnia euenerint. Nihil cœlo ac terra stabilius: sed cœlum ac terra citius euanescent, quàm mea uerba transibunt inania. Proinde certi uenturum hoc tempus formidabile, præparate uos in aduentum illius, ne uos opprimat oscitantes. Id facietis, si caueritis ne corda uestra grauentur luxu ac temulentia, reliquisq; solicitudinibus uitæ præsentis: qn potius ita uiuite, quasi mox sit uenturus ille dies, nihil amantes in hoc mundo, sed totis animis intenti ad cœlestia. Sic fiet, ut dies ille uos non opprimat inexpectatus. Cæteris enim qui sic uiuunt, quasi tempus hoc nunquam sit uenturum: sic ueniet ille dies, quasi laqueus furtim ab insidiante positus, & inuoluet omnes, qui non habẽt animos & oculos sublatos in cœlum, sed habitant super faciẽ terræ, ubi non habemus stabilem sedem, sed ad illam æternã properamus. Atq; illi quidem aliud agentes sese captos sentient, prius quàm laqueum præuiderint. Idem ne uobis usu ueniat, fugite somnolentiam: nolite indormire

uoluptatibus & curis huius mundi, sed studijs rerum cœlestium perpetuo uigilate, continenter precantes, ut uos deus dignetur habere in numero eorũ, qui poterunt effugere hæc tanta rerũ pericula, & subsistere ante iudicem ineuitabilem filium hominis, qui ut nunc omneis magna lenitate prouocat ad pœnitentiam, ita tum magna seueritate iudicabit uiuos et mortuos. Nemo suis fidat præsidijs, nemo feret hoc iudicium, nisi præmunitus fauore diuino. Sed is non aderit, nisi qui interim summo studio conantur sese præbere dignos eo fauore. Tunc enim implorare clementiam illius serum fuerit his, qui nunc abutuntur illius lenitate. Quum autem instaret tempus mortis, dominus Iesus exemplo suo docuit discipulos, tum maxime inuigilãdum pijs studijs, quũ imminet dies uitæ supremus. Nã quod orbi est dies ille supremus, de quo iã multa prædixerat, hoc unicuiq; est suus obitus dies. Proinde dominus interdiu docebat populum in templo, non cessans benefacere his, à quibus se nouerat occidendum: noctu uero demigrabat in montem Oliueti, quo magis uacaret precationi, qua continenter patrem pro salute mundi interpellabat, munimũ temporis somno impartiens. Populus autem diluculo uentitabat ad illũ in tẽplo, ut audiret eum docentem.

CAPVT XXII.

QVo magis populus pendebat ab ore domini, hoc magis ac magis inflabantur sacerdotes,

scribæ & phariſæi coniurati cum primoribus populi ad occidẽdum Ieſum. Iam autem & tempus appetebat, quo decretum erat & conueniebat immolari uictimã illam pro ſalute totius humani generis. Delectus enim erat ad hoc conſilium dies apud Iudæos longe omniũ religioſiſſimus, quem illi uocant Azymorum, quod nefas eſſet Iudæis per eius feſti dies ueſci panibus fermẽtatis: atq; idem dicitur phaſe, ſiue paſcha, quod Syris ſonat tranſitum, ab agno anniculo, cuius cruore ſummi poſtes ædium illinebantur, ut eas præteriret angelus dominu extinctor omniũ, qui hoc ſignum non haberẽt in foribus. Hic dies erat minime commodus ſacerdotibus & ſcribis, qui maluerant mortem illius obſcuram eſſe, ac uulgari nocentium ſupplicio ſimillimam. Ieſus autem uoluit ſuam mortem eſſe celebrem & ſolennem, ac per omnia ueteris teſtamenti figuris ac prophetarum oraculis congruere. Hic enim erat agnus ille neſcius omnis maculæ, cuius carne ueri Iſraëlitæ p orbẽ uniuerſum quotidie reficiuntur: cuius ſacroſancto ſanguine emundati, ſubducti ſumus ab exitio, liberati à tyrannide peccati: & quotidie longius recedentes ab Aegypto, properamus ad cœleſtem illam terram omni genere felicitatis exuberantem, abſtinentes interim à panibus fermentatis, ac uerſantes in ſimplicitate ac ſynceritate ſpiritus Euãgelici. Hic igitur dies ad uerum illud ſacrificium delectus eſt deo, quum non placeret phariſæis. Mortuus eſt enim non ex arbitrio Iudæorũ,

dæorũ, ſed ex patris ſuo ſ; arbitrio, quando uoluit, ubi uoluit, & quomodo uoluit. Nihil enim hic temere caſu uc geſtum eſt. Nihil hactenus potuerat phariſæorũ malitia, ſubinde mortẽ domino machinantiũ: quia tametſi non deerat praua uoluntas, non eſt tamen data diuinitus perficiendi quod deſtinarant facultas. Sic tamẽ interim illi conſerunt ac miſcent ſua conſilia, quaſi ſuis præſidijs poſſent efficere, quod uolebant. Geſtiebat enim multis modis, iritata phariſæorũ ac ſacerdotũ malicia, inijcere manus in dominũ, & ad mortem pertrahere. Sed obſtabat populi metus, quem uidebant æditis miraculis ac beneficijs illi conciliatum pendere ab ore ipſius. Vnde periculũ erat, ne ſi coram multitudine tẽtaſſent illi manus inijcere, coorto tumultu periculum eriperetur ex ipſorum manibus, atq; ita conatus in uanũ cederet, etiam in poſterum ſibi proſpiciente, qui ſemel fuiſſet elapſus. Immemores interim erant, quod toties è manibus ueſanæ multitudinis euaſiſſet incolumis. Offendebat eos & dies parũ ad rem gerendã idoneus, ob celebritatem & frequentiam populi: ſed præter ſpem aliunde præbita occaſio, cum impia ipſorum uoluntate coniuncta, excuſſit ſcrupulum diei feſti. Satanas enim qui prius per ſe Ieſum tentauerat, nunc eundẽ per ſuos miniſtros & organa perſequẽs, occuparat cor Iudæ Iſcariotæ, q fuit unus è duodecim illis ſelectis, quos apoſtolos nominarat. Hunc ſola pecuniæ cupiditas, quã contrectarat, huc ueſaniæ perpulit, ut ultrò adi-

ret primarios sacerdotes ac magistratus (habebant enim & sacerdotes armatam manũ, sed non in hoc data tam) tractans cum illis de prodendo in manus ipsorũ Iesu. Nouerat enim hoc illos agitare. Nullus autẽ minister ad prodendũ Iesum magis idoneus, quàm qui illi familiarissimus est titulo ac professione, mentis affectu hostis. Iudas non male sentiebat de domino, nec ab eo fuerat offensus, ut causam haberet, quur illi male uellet, sed auaritiæ pestis habebat animum illius. Gauisi sunt sacerdotes oblatum histrionem, qui huius fabulæ primas ageret partes. Placuit Iudæ consilium, conuenit de pretio, quod ille sanè mediocre postulauit, ne res non responderet prophetiæ. Illi polliciti sunt pecuniã, hic operam. Interea quærebat occasionem, qua quod illi uolebant, traderet illis Iesum semotum à turba, ne quid à fautoribus oriretur tumultus. Nouerat autẽ ille omneis domini secessus. Iam uero aderat ille dies azymorum Iudæis sacerrimus, in quo iuxta legis præscriptum oportebat occidi agnum, quem Iudæi à transitu, ut dixi, uocant phase. Verum autem phase erat dominus Iesus agnus ille purissimus, iuxta patris æternũ cõsilium immolandus, pro salute mũdi. Iesus igitur quo penitius infigeret animis suorum mortis suæ memoriam, docereté; se præscium ac uolentẽ hæc omnia perpeti, uoluit in extrema cœna, quam cum illis erat acturus, mysticis signis hoc apud eos repræsentare, quod postridie peracturus esset in cruce, non ignarus quàm essent

essent sua morte perturbandi. Occupat igitur tempus, dum adhuc illorum animi monitorum essent capaces. Hoc negociũ dat duobus apostolis præcipue dilectis, Petro & Ioanni. Ite, inquit, & parate nobis agnũ pascha lem, ut simul comedamus. Audis ecclesiæ exordium, & finem synagogæ. Quoniam dominus non habebat proprium aut certum domicilium, quum esset cõditor ac dominus uniuersorum: rogant discipuli, ubi nam sibi uellet adornari cœnam paschalem. Erant autem usq; adeo hospites ac peregrini discipuli in ciuitate, ut uix domum aliquam certò cognitam haberẽt. Tales enim oportet esse ueros Christi discipulos in hoc mundo. Iesus autem ut ostenderet sibi nihil eorũ ignotum esse, quæ mox essent futura, dixit illis: Ecce quum ingressi fueritis ciuitatem, occurret uobis quidam baiulans hydriam aquæ plenam. Hunc sequimini usque ad domũ quam fuerit ingressus. Ibi dicetis patrifamilias: Præceptor iussit, ut suis uerbis tibi diceremus: Vbi est cœnaculum, ubi paschalem agnum comedã cum discipulis meis? Agnoscet præceptoris titulum, sicuti domini uocabulũ agnouerat uobis soluẽtibus asinæ pullum. Is nihil cunctatus ostendet uobis cœnaculũ ingẽs iam futuro conuiuio cõstratũ, ibi mihi parate paschа. Illud interim considera mi Theophile. Ignotus hospes est, qui præbet cœnaculũ, & aquæ baiulus dux est ad hanc domum, in qua Christus celebrat pascha. Per baptismum enim & sacram doctrinam ingressus est in

ecclesiã

ecclesiam: purgat aqua uiua sermonis Euãgelici, purgat & aqua sacramenti. Paterfamilias non habet nomen, quoniam ubiq; Christi est ecclesia: primũ ex obscuris initijs exorta, sed indies latius sese diffundẽs in uniuersum mundum. Quoniam autẽ principiũ omnis salutis est fides: credunt domino, & obtemperant discipuli. Abeunt in ciuitatem, reperiunt baiulum hydriæ, sequuntur præeuntem. Referunt patrifamilias, quæ iussi fuerant. Ille cõmonstrat cœnaculum ingens. Amplum enim sit oportet, quod omniũ orbis nationum sit capax. Nam Iudæorum synagoga angusta est. Et procul à terrenis submoti debent esse, qui uolunt uesci cibo cœlesti. Hic igitur discipuli cœnã parant, nimirum pastorum fungentes officio. Quum aũt iam esset cœnandi tempus, uenit eò Iesus, & accubuit cũ duodecim selectis discipulis, quod cæteri nondum essent capaces tam retrusi mysterij, quod post per apostolos suos cõmunicari uoluit, his qui iam essent Euangelij sacramẽtis initiati. Quũ igitur accumbentibus cibus ac potus esset appositus, dominus quo penitus infigeret animis suorũ, se nulla necessitate, sed amore redimendi genus humanũ passurum crucis suppliciũ, ait illis: Ingẽti desiderio desideraui, ut hunc agnũ paschalẽ uobiscum comederẽ ante mortẽ meam: cuius tempus adesse gaudeo, quia sitio salutem hominũ. Hoc enim affirmo uobis, posthac non comedã uobiscum hoc pascha iuxta legis præscriptũ, sed aliud perfectius pascha iuxta spiritum

ritum perficietur in regno dei. Hic agnus qui quotannis mactatur solẽniter à Iudæis, typum habuit mortis meæ. Nunc adest ueritas, & cessabit umbra, posthac spirituale et efficax phase mihi celebrabitis, cuius esus uos reddet immortales. Vbi uero singuli gustassent de carnibus agni, Iesus accepto poculo gratias egit patri, & libato porrecto q; calice dixit discipulis suis: Capite & diuidite hoc inter uos. Illud affirmo uobis, posthac nõ bibam de fructu uitis iuxta carnis necessitatem, sed mox aderit regnũ dei. Hæc omnia quæ lex habuit carnalia, spiritualiter exhibebuntur. Hactenus figurarum legis est finis. Sub hæc dominus Iesus mystico symbolo suis consecraturus nouũ testamentũ, accepit panẽ, et gratijs actis patri, fregit manibus suis, deditq; discipulis, dicẽs: Hoc est corpus meũ, quod pro uobis in mortem traditur. Mors mea nõ iterabitur. Sufficit enim unica uictima pro peccatis omniũ seculorũ. Sed uos uobis huius meæ erga uos charitatis memoriã frequenter renouabitis, facientes inter uos quod nunc à me uidetis fieri. Erit enim hoc sacrosanctum signum fœderis inter nos initi. Peracta uero cœna sumpsit & poculum, ac porrigens illis, dixit: Hoc est nouum testamentũ, nõ uituli aut hirci, sed meo sanguine consecratum, qui pro uobis seruandis effunditur. Habetis summũ argumentum ac pignus meæ erga uos charitatis. Deberet autẽ amor esse mutuus: sed tamen est hic uobiscum in mẽsa, q me proditurus est his, qui me quærunt ad mortẽ. Nec

ist a

ista fiunt fortuito, sic definitum est consilio diuino, sic prædictum est à prophetis, ut hoc ordine filius hominis redimeret genus humanum. Seruit ille quidem publicæ saluti. Sed quoniam hoc animo impio facit, cedet in exitium ipsius, quod alijs adferet salutem. Nõ illum dei decretum pertrahit ad impium facinus, sed sua praua cupiditate eò ducitur. Ea uox Iesu uehementer perturbauit omniũ animos, ac cœperunt inter sese quærere, quis nã esset ille, de quo Iesus esset loquutus. Nemo sibi male conscius erat, præter unum Iudam Iscariotem: nemo tamen ausus est sibi fidere. Non prodidit tamen Iesus proditorem suum, sed frequenter illius cõscientiam pupugit, ut resipiscceret. Et sciebat futurum, ut ille nihilominus in sua demẽtia perseueraret: nos interim docens, ut erga peccatores sũma lenitate utamur: quibus certũ esse non potest, an aliquãdo redituri sint ad sese. Quoniam autem dominus in cœna meminerat de regno dei, rursus incidit inter discipulos adhuc infirmos, & carnem ex parte sapientes contentio, quis à morte domini primatũ haberet in regno dei. Nam in porrigendo pane & poculo uisus est omneis æquasse, dicẽs: Diuidite inter uos. Iesus autem quanquã et aliâs reuocarat illos ab hoc affectu, nunc moriturus repetit, & inculcat, dicens: Nolite tale quippiam imaginari in regno cœlorum, quale uidetis in regnis mundanis. Lõge aliud regni genus est, quod beneficijs constat, non ui: spiritualibus præsidijs obtinetur ac defenditur, non uiolentia

uiolentia: persuasione dilatatur, non necessitate. Siquidem principes huius mũdi dominatũ exercent in eos, in quos habent magistratum: non enim persuadent ut ament honesta, sed metu suppliciorum deterrent à maleficijs, & honorem à suis exigunt, etiam si non promereantur: imò quo propius accedunt ad tyrannidem, hoc plus honoris exigunt à suis, & interim magnificis titulis honorantur à populo. Vocantur principes, patres patriæ, seruatores, consules, quod potestate sua premant inferiores. Tale quidem est regnum gentium: inter uos autem, quos formo instituoq; ad regnum Euangelicum, longe diuersa erit ratio. Quo quisque maior erit inter uos, hoc minus sibi uindicabit uiolentæ potestatis aut gloriæ. Nec enim huc spectabit, ut suis dotibus quas accepit à deo, premat inferiores, sed prosit ac subleuet: nec sibi uindicabit laudem, sed deo totam transcribet: non quod non sit in hoc regno futurus ordo, sed quod is qui delectus est ad primatum, ut alijs dux sit ad pietatem, adeo seruiet omnium commodis, ut uideatur esse minister potius, quàm princeps. Fauorem non ambiet, sed promerebitur animus ad benefaciendum omnibus promptissimus: autoritatem tuebitur uitæ integritas, non supercilium aut fastus. Ne pigeat autem uos inter uos eam præstare modestiam, quam ego uobis præstiti, qui meo iure potrã mihi dominatum uindicare. Nam illud cogitate, uter maior uidetur, qui ministrat, an qui accumbit? Nónne qui accumbit?

bit? Nõ quod reuera maior sit, quisquis accumbit: imõ qui conuiuio accipit alios, hoc ipso maior est, quod bene meretur de multis. Et tamẽ ciuilitatis gratia cæteris, quos uocauit, accumbentibus, ille obambulat solicitus ne quid cui desit in conuiuio, & unius solicitudo, omnium uoluptati prospicit. Nónne ego me talem gessi inter uos? Nónne sic uersatus sum inter uos, quasi minister essem omnium uestrum, de meo ministrans, & unius pro omnibus soliãtus? Quãto magis oportet uos abesse ab omni tyrannide & ambitione, qui conditione pares estis, qui de meo ministratis, qui cõmunem habetis dominum? Accepistis sacrosanctum illud symbolum Euangelicæ concordiæ: ut qua charitate uos complexus sum, ea uos inuicem complectamini. Non potest autem constare concordia, ubi regnat ambitio. Interim promerendus est honor, non uindicandus. Principes enim huius mundi, ut recte administrent munus suum: tamen quoniam honorem exigunt à suis, nihil habituri sunt apud deum præmij. Vos autem de præmio securi, tantum de officio cogitate. Meum erit de dignitate prospicere. Si fueritis imitatores humilitatis meæ, eritis & gloriæ consortes: si fueritis afflictionum socij, eritis & immortalitatis. Et hactenus mecum permansistis in afflictionibus meis, quibus pater cœlestis uoluit explorata ac spectatam esse meam obedientiam. Non uos humilitas, non paupertas, non labores uitæ, nõ obtrectationes

ctationes hominum, non phariſæorum inſidiæ, non potentium minæ diſtraxerunt à meo contubernio, quum alij defecerint, alij non ſint auſi profiteri ſeſe meos diſcipulos. Quod ſi perſtiteritis iſtoc animo, nec uos piguerit interim imitari meam humilitatem quo magis poſitis omnibus, ego uiciſſim efficiam ut olim ſitis participes gloriæ regni mei. Pater enim hanc uoluit eſſe uiam ad regnum cœleſte. Eam uobis aperui hactenus, & aperiam morte mea. Per humilitatem ille me prouehet ad regni gloriam: per afflictiones temporarias, ad æterna gaudia. Quemadmodum autem mihi regnum eſt paratum à patre, quod hic interim iuxta uoluntatem ipſius miniſtrum ago, non dominum: & ego prouectus ad regni dignitatẽ, uobis mea ueſtigia ſectantibus parabo regni conſortium, ut qui hic non quæſiſtis honorem, ſed geſſiſtis uos ut omnium miniſtros, ſedulò diſpenſantes doctrinam Euangelicam, in regno meo non iam uelut miniſtri, ſed uelut honorabiles filij dei accumbatis ad menſam meam: & qui nunc mea cauſa pro contemptiſſimis habemini inter Iudæos, tunc uelut primores ſedeatis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Tunc enim apparebit illorum humilitas, qui nunc uidentur rerum apicem tenere, & ueſtra ſublimitas, qui nunc uidemini reiectamenta mundi. Hæc figuratè loquutus eſt dominus Ieſus, ſermonem ſuum ad ruditatem ſuorum diſcipulorum attemperans, quam ideo diu paſſus eſt in

Universidad de Deusto Biblioteca

illis residere: partim ut in nobis efficacius eximeret humanos affectus, quibus tum discipuli erant obnoxij: partim ut nos alienam imbecillitatem magna lenitate toleremus, donec proficiant ad perfectiora. Restabat ut animos suorũ aduersus imminentem tempestatem armaret, ac sui fiduciam eximeret. Nullos enim citius deijcit afflictionum procella, quàm qui suis fidunt uiribus. Sed qui suis, hoc est, humanis præsidijs diffisi toti pendent à præsidio cœlesti, hi demum firmi sunt aduersus omnes huius mundi tumultus. Itaq; sermonem uertit ad Petrum, ut per hunc institueret & castigaret omnes. Sciebat enim hũc esse cæteris promptioris animi, sibiq; plurimum fidere, pio quidem affectu, sed humano. Nondum enim acceperat illum totius uirtutis largitorem spiritum sanctũ. Ait igitur: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit uos studio, ut uentilet uos cribrétque ueluti triticum, dissipaturus si possit. Et facturus erat, si uestræ imbecillitati fuissetis relicti. Sed ego deprecatus sum patrem pro te Petre, ut q̃uis uacillatura sit fides tua, non deficiat tamen. Hoc exemplũ in te placuit ædere, qui tibi plurimũ fidis, quo tu post lapsum reuersus ad te, tuo exemplo confirmes fratres tuos eadem imbecillitate lapsos, ut intelligant omnes, neminem suis uiribus parem esse posse aduersus satanæ maliciam, nisi meo præsidio fulciatur. His auditis, Petrus adhuc suis fidens uiribus, respondet: Domine, quam defectionem, aut quam conuersionem

Simon ecce satanas.

mihi

mihi narras? Imò senties me constantem & inuictum in fide. Et quemadmodum hactenus non deserui te, ita nec posthac unquam sum deserturus, adeo ut paratus sim tecum extremũ adire periculum capitis, siue eundum sit in carcerem, siue etiam in mortem. Hanc uocem à pio quidem ac simplicia profectam animo, sed nondum sibi satis noto, dominus ilico repressit huiusmodi responso: Quid ais Petre? Tu mecum in carcerem & in mortem ibis? Imò aliud prædico tibi: Futurum est enim, ut ter me abneges & abiures te nosse me hac nocte, priusquàm gallus cantet bis. Tanta erit afflictionis procella. Posteaquàm illis exemerat sui fiduciam, rursus inculcat, quod sæpe docuerat, ne se commeatu præmunirent aduersus necessitatem: aut humanis præsidijs armarent aduersus malorum uiolentiam, quod oporteat cœlestis Euangelij ministrum esse liberum à sordidis huius uitæ curis, nec alijs armis instructum esse aduersus omnes impiorum assultus, quàm gladio spiritus, qui est sermo diuinus. Quum mitterem, inquit, uos experiundi gratia, ad prædicandum inter Iudæos instare regnum dei, adeo nullo commeatu instructos, ut nec loculos haberetis reponendæ pecuniæ, neque peram recondendo cibo, neque calciamenta tuendis pedibus: num quares defuit uobis? Respõdent, nihil. Tum Iesus, ut prorsus reuelleret ex animo illorum omnem uindictæ cupiditatem, fallit eos ad tempus obscuritate sermonis,

 sed in

sed in hoc patitur errare, quo certius & efficacius existimat omnem affectum ulciscendi. Sciebat enim illos accendendos ad defendendi studium, quum uiderent tanto tumultu dominum suum, quem uehementissime, sed tamen humano affectu diligebant, ab armatis satellitibus inuadi. Quem nisi castigasset euidentr, existimassemus nobis licere aduersus impiorũ uiolentiam armis nos defendere, ac uim ui repellere. Nunc quum Petrus reprehẽsus sit, quod aduersus impios & sceleratos pro innocentissimo domino strinxerit ferrum, quæ poterit esse posthac causa, ut homo Christianus iniuriam iniuria repellat? Ait autem dominus: Ad primam Euangelij prædicationem iuistis expediti, nulloq; cõmeatu instructi, sed tamen meo præsidio nihil uobis defuit, id satis erat uobis, quũ nulla grauis immineret procella, posthac ad duriora parandus est animus. Etenim quo sæuior erit persequutionis procella, eo oportet uos à terrenis impedimentis expeditiores esse. Nunc bellum ingens imminet, & gladio opus est. Quare si quis fortè loculum habet, aut peram, tollat, ut emat gladium. Quod si hæc desunt quæ possunt abijci, & quibus caruistis absque incommodo, uendat tunicam suam & emat gladium. Ad hoc bellum oportet ualde expeditum uenire, nec alia re instructum quàm gladio. Res ad extrema ueniet. Non enim solum mihi inijcient manus uiolentas, uerũetiam oportet perfici quod de me futurum prædixit olim Esaias:

Et cum

Et cum iniquis deputatus est. Si graue est occidi, quanto grauius inter facinorosos infami supplicio affici? Et hoc quoq; manet filium hominis. Iam enim instat tempus, ut quicquid de me prædictum est à prophetis, perficiatur. Hunc sermonem quum non intelligerent apostoli, suspicarẽturq; dominum admonuisse, ut gladium haberent paratum ad depellendam uim imminentem, simpliciter respõderunt: Domine, ecce adsunt iam duo gladij: existimantes omnino opus esse gladijs, sed illud tantum uerentes duos gladios nõ sufficturos ad eam pugnam. Ostendebant affectum pugnandi pro domino, quem scicbant de suo posse supplere, si quid deesset ipsorum præsidijs, quemadmodum ante quinque panes & duos pisces auxerat, ut sufficerent multis hominum milibus. In hoc tam crasso affectu Iesus id temporis reliquit discipulos suos, ut (quemadmodum dixi) illorum infirmitas nos erudiret ad perfectam tolerantiam. Respondit itaq;: Satis est. Hoc illi sic dictũ accipiebant, quasi duobus gladijs, quos tum habebant paratos, possit sustineri prima pugna, quũ Christus sentiret de spirituali pugna aduersus mũdum & satanam: in qua, uictoria contingit ex animo ab omnibus terrenis cupiditatibus expedito, soloq; gladio doctrinæ cœlestis armato. Ea constat ueteris ac noui testamenti scriptura irrefragabili, ut duos possis intelligere gladios, sed ab eodem spiritu correctos. Quoniam ucro milites inituri pugnam, solent aduersus in-

Et egressus ibat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantem cum hoste conflictum reficere corpora, & excitare animos: dominus uolens ostendere suis, quid illos maxime roboraret aduersus tales congressus imminentes, egressus est Hierosolymam, atque ex more suo concessit in montem Oliueti, comitantibus eum discipulis suis. Quum autem peruentum esset ad secessum in quo solitus est orare, dixit illis: Quo substistere possitis aduersus tempestatem imminentem, uigilate, & orate, ne si uos oppresserit oscitantes & ociosos, illaqueet uos incautos, & superet. Hæc loquutus dominus, substraxit sese ab illis fermè ad iactum lapidis, solus oraturus pro omnibus, quemadmodum unus pro omnibus passurus erat. Verum ut illius mors non profuit ociosis, ita nec precatio ualere debet, nisi his qui pro se quoque student orare. Vtq; nos doceret animum esse submittendum, quoties cum deo loqui paramus, flexis in terram genibus orabat patrem, dicens: Pater si sic est uoluntas tua, transfer hoc poculum à me. Sentio naturam, quam assumpsi, abhorrentem à morte, sed uincat hic hominum salus: idq; fiat, quod tua uoluntas immutabilis decreuit, non quod huius corporis suadet imbecillitas. Nouerat dominus quid uellet pater, & cupiebat ipse bibere poculum mortis pro salute mundi, sed in se transtulit affectum sui corporis, ac suis precandi formam præscribere studuit. Siquidem hæc precatio pulchre congrueret martyri sub tempus carnificinæ.

cinæ: Fiat tua uoluntas non mea, siue me uiuere uis, siue mori. Hanc autem naturæ nostræ trepidationem Christus in se suscepit, ut à suis eximeret. Cæterum ut nos doceret, tum cœlitus nobis adfore auxilium à domino, postquàm nos totos diuinæ uoluntati tradiderimus, siue ad uitam, siue ad mortem, apparuit illi de cœlis angelus corroborans eum. Vt nobis perturbatus est ob mortẽ imminentem, ita nobis corroboratus est per angelum. Post hæc corripuit illum uehemens quidam angor, qui ferè solet accidere iam mortem animo contuentibus. Solet autem hic affectus esse nonnunquam ipsa morte grauior. Nec hunc cruciatum Iesus nostra causa dedignatus est accipere, qui crucem nostra causa non recusauit: nos interim docens, ad quæ præsidia confugiendum sit, quoties horror ille nostram imbecillitatẽ ceperit. Prostratus enim in terram, uehementius orabat. Hinc nimirum pendet tota spes uictoriæ nostræ. Porrò ut nos essemus in supplicijs firmiores, tantus angor corripuit Christum, ut toto corpore guttæ sanguineæ defluerent in terram. Vt autem sese erexit à deprecatione, redijt ad discipulos suos, & reperit illos dormientes præ mœstitudine. Non erat illa crapula, sed imbecillitas naturæ, grauis animi mœror somnum adduxerat: sed cum hac infirmitate pugnandum est uigore spiritus, qui uelit in tali conflictu uictor euadere. Obiurgat itaque Iesus suos, & excitat rursus ad orandum: Quur, inquit,

nunc in tanto periculo dormitis? Surgite & orate ne uos oscitantes obruat ingruens tempestas, iam enim instat tempus. Nondum finierat hũc sermonem dominus Iesus, iam apparuit turba scelcratorum militum, quos sacerdotes & pharisæi sceleratiores miserant ad capiendũ Iesum. Iudas autẽ ille, modo Christi sectator & cõuiua, nũc dux impiæ manus, antecedebat illos ex interuallo, sed prius illis dato symbolo (solet hoc in bellis fieri) ut cui dedisset osculum, hunc scirent esse Iesum. Vbi uero propius adisset Iesum, iam osculum ex more porrecturus, dominus pro sua mansuetudine nec proditoris recusauit osculum, sed rursus illius pupugit conscientiam, ut uel tanta domini lenitate motus resipisceret: Iuda, inquit, osculo filiũ hominis prodis? Intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocentiam domini, toties inaudita mansuetudine prouocabatur ad mutanda consilia: uel lapis emolliri poterat, nisi totum illius pectus iam satanas auariciæ morbo occupasset. Ac Iudæ quidem impietas ipsi quidem uni exitium attulit. Cæterum qui nunc simili dolo ueritatem Euangelicam produnt principibus huius mundi, grauiorem perniciem adferunt, & maiore supplicio digni sunt, quàm Iudas infelix sero facti pœnitens de se exegit. Post datum osculum accurrit turba militum, ut manus inijcerent in Iesum, qui non in aliud uolebant Iesum agnoscere, nisi ut caperẽt. Felices autem illi, qui ideo cognoscere studeut sermonem Euangelicum, ut

cum, ut Iesum imitentur. Porrò cæteri discipuli conspicientes uim parari domino, amore suppeditante audaciam, aiunt domino: Domine an uis ut feriamus gladio? Meminerant quod de gladio emendo dixerat, sed quoniam in eo perpetuam mansuetudinem uiderant, dubitabant an passurus esset eos uti gladijs. Cæterum Petrus qui cæteris uehementius amabat, quiq; præ cæteris fortia pollicitus fuerat, nõ expectato domini responso, gladio petijt quendam è ministris primarij sacerdotis, qui primus tentabat manum inijcere Iesu, uidelicet domini sui sæuitiam referens: sed moderante ictum domini mansuetudine, tantum dextram illius auriculam amputauit. Felices sunt quibus amputatur auricula, quæ hactenus auscultauit impijs sacerdotibus ac legi carnali: & restituta à Christo, iam auscultat ijs quæ faciunt ad salutem æternam. Infame uulnus erat magis quàm periculosum, sed tamen insanabile, quod chartilago semel desecta non coëat rursus. Iesus autem, cui nullum uulnus sanabile non est, obiurgato discipulo, quod contra mansuetudinem Euangelicam, sed ueteris adhuc legis memor, gladio pugnare cœpisset, restituit Malcho suam auriculam, sic ut nullum uulneris uestigium appareret. Minimum enim peccabant milites & serui, quorũ stulticia sacerdotum, pharisæorum & scribarum maliciæ seruiebat. In hos potius sæuiendum erat, nisi sic uisum esset deo, uictoriam Euangelicam in tolerantia sitam esse. Iesus autem Dixit autẽ Iesus ad eos

tem ut declararet sese uolentem omnia pati, conuersus ad eos, quos impij sacerdotes & scribæ miserant, ait illis: Quid accidit, quod nunc armati gladijs ac fustibus egressi noctu ciuitatem huc accurritis, ueluti latronem uiolentum ac repugnantem expugnaturi? Quum quotidie fuerim apud uos in templo, expositus omnibus inermis, nemo manus iniecit in me. Certe eadem erat uobis tum uoluntas, quæ nunc est, sed obstetit uobis eius uoluntas, cui nemo potest resistere. Nondum enim uenerat tempus, quo pati decreueram, sed hoc est tempus uestrum, tempus nocturnum, & hæc est potestas tenebrarũ à deo permissa. His dictis, dominus Iesus nihil reluctans, præbuit se uinciendum. Illi comprehensum adduxerunt in domum Caiphæ, qui tum erat sacerdotum princeps, totius Iudaici populi pessima pars. In huius atrium conuenerat concilium sacerdotum, scribarum, phariſæorum, primorum populi, reliquaq; multitudo, quæ uel metu, uel affectu, uel errore horum maliciæ seruiebat. Interim discipuli metu perculsi, alius aliò diffugerant. Petrus autem parum feliciter tentata pugna, nondũ tamen deposita tota spe salutis, è lõginquo sequebatur Iesum. Ausus est etiam per tenebras ingredi pontificis atrium, ac famulorum turbæ miscери ignotus. Quum autem in medio atrij essent accensi carbones ob frigus nocturnum, inter considentes ministros assidebat admixtus Petrus, cumq; illis sese calefaciebat ad prunas. Quem

quum

quum uidisset ancilla quædam, ita sedentem, ut facies esset obnoxia lumini, fixius intuita agnouit eum: utq; se declararet domini sui similem, statim exclamauit, cæteris audientibus: & hic erat cũ illo, qui captus est. Non hoc actum est fortuito, sed ita placuit diuinæ dispensationi, quo magis retunderetur Petri fiducia, qui prius tam magnifice pollicitus domino, se uel in mortem cum illo iturum, nunc ad mulierculæ uocem abnegarit dominum. Petrus enim territus hac uoce mulieris, abiecte respondit: Mulier non noui illum. Sic primum elapsus est Petrus. Sed mox recurrit periculum. Quidam enim è famulis rursum noscitare cœpit, & ait illi: Et tu de numero illorum es, quorum ducem cepimus. Rursus Petrus ad hanc uocem exanimatus, ait: Homo non sum: adiurans se non nosse Iesum. Rursus elapsus est periurio. Nec interim uenit in mẽtem, quid prædixisset illi dominus, & quid illi promisisset ipse. Interea Iesus examinabatur ab impio concilio, & alapa cædebatur, contra morem Iudiciorum: eminus spectante Petro, quem exitum res esset habitura. Sed post horæ fermè spacium, alius quidam è famulis, cognatus eius, cui præciderat auriculam, intuitus Petrum agnouit illum, & ait: Profecto & hic erat cum Iesu in horto. Negãte Petro, adiecit: Verum esse quod dico, uel ipsius lingua declarat. Est enim Galilæus. Ibi Petrus totus expauefactus, cœpit abiurare ac deuouere seipsum, si uel intelligeret, de quo Iesu, aut de quo

horto,

horto, aut de quibus Galileis loqueretur. Adeo sibi exciderat ille futurus ecclesiæ princeps Petrus. Interea dum negat, dum abiurat, dum execratur, dum se deuouet Petrus, cantauit gallus iterum: quod signum illi dederat dominus: ac ne sic quidem redit ad sese. Nec erat futurus errandi finis, nisi dominus per medios impios uertisset oculos ad Petrum, & intuitus illum fuisset. Petrus tactus aspectu domini sui, recordatus est sermonis, quem paulo ante dixerat dominus: Priusquàm hac nocte cantet gallus bis, ter me negabis. Subitóque tactus dolore uehementi, subduxit se foras, & fleuit amare. Quod fecit Petrus, idem erant facturi discipuli cæteri, si similis incidisset necessitas: sed in uno Petro Iesus doœre uoluit omnes, ne quis sibi fidat, ne quis se malorum admisceat consortio. Nox erat, refrixerat in eo charitas, ad impiorum ignem sese calefaciebat: sedebat admixtus impijs, in domo Caiphæ pontificis, ipse põtifex futurus, sed illi multum dissimilis. Illic quæ scelera non perpetrantur? Illic per sacerdotes, pharisæos, scribas & seniores populi conspiratũ est in necem Iesu. Illinc emittuntur in eum satellites, illic ligatur, cæditur, uelatur, illuditur, & accusatur. Illic peierat & execratur Petrus, atrox crimen, nisi excusaret infirmitas. Non enim peccabat destinata malicia, quemadmodum Iudas, sed animi consternatione. Non enim illuc uenerat, ut abnegaret, sed ut spectaret exitum iudicij, nondum satis

satis firmus ad commoriendum Christo. Nec dum enim uenerat tempus. Quotquot igitur prolapsi sunt in graue crimen, orent dominũ Iesum ut dignetur oculos suos flectere ad sese, & protinus agnoscent, unde, quò reciderint. Subducant sese à scelerato consortio, & lachrymis mutatum animum testantibus culpam abluant. Interea nox illa tota transacta est ludibrijs in Iesum. Siquidem hi qui ceperant Iesum, illudebant ei conuicijs, addentes uerbera. Quoniam autem audierant, quod populus illum ueneraretur ut prophetam, obuclatis illius oculis, impegerunt alapas in faciem eius, dicentes: Diuina, quis te percusserit: multisq; alijs ludibrijs & cõuicijs impia turba debacchabatur in omnis gloriæ fontem, ne quis nostrũ indigneferat, si propter Euangelicum sermonem contumelijs incessitur, si malis affligitur ab his, qui profanorum pontificum, qui fucatorum pharisæorum, qui stultorum principum animo seruiũt. Vt uero diluxit, iam legitimi concilij formam exhibituri, frequentes conueniunt primores sacerdotum, scribæ & principes populi, & accitum in concilium suum, Iesum percontantur, uenantes aliquid ex illius dictis, quod in eo criminentur. In iudicio crimẽ quæritur, ac destinata morte, post circunspiciunt, quo titulo mortis causa possit intendi. Aiunt itaque: Si tu es ille Christus, quem iuxta prophetarum oracula expectamus, dic nobis. Iesus autem, sciens illos scisciari non ut discerent ueritatem,

ritatem,sed ut ucnarentur calumniam,respondit illis: Si dixero uobis qui sim,non credetis mihi:quod si uos perconter ex scripturarum testimonijs, qualis sit promissus Messias, & an ea signa competant in me,non respondebitis mihi ex animo, qui nec discere cupitis quod uerum est,nec docere. Nec ideo absoluetis me,si declararo meam innocentiam. Nõ enim hoc agitis interrogando,quod in legitimis iudicijs fieri consueuit, ut cognita ueritate uel absoluatis innoxium, uel damnetis nocentem,sed ut quod facere decreuistis, iusticiæ titulo facere uideamini. Nõ dicam igitur quod scientes scire non uultis,sed illud dicam, quod uerum esse comperietis. Filius hominis qui nunc ob infirmitatem carnis,& humilitatem à uobis elatis non agnoscitur, posthac erit sublimis assidens dexter maiestati diuinæ. Hæc ideo dixit Iesus,ut quoniam humilẽ Christum,per quem seruari poterant,occidere q̃p amplecti maluerunt:scirent sese conspecturos iudicem & ultorem impietatis suæ,quem seruatorem promissum, & expectatum tot seculis,agnoscere noluerunt. Ea uox uisa est omnibus idonea ansa calumniandi, si modo profiterctur aperte sese filium dei. Aiunt igitur: Tú ne igitur es ille filius dei,de quo meminerunt prophetarũ uaticinia? Iesus ad hæc ita responsum temperat, ut neq; neget se esse quod erat,neq; illis ansam calumniandi porrigat,nec de se præbeat arrogantiæ speciem. Siquidem dominus ubiq; maluit factis declarare naturam

turam diuinam,q̃ uerbis profiteri. Itaq; respõdit: Vos dicitis esse me: modeste subindicans,totidem uerbis affirmari posse, quod ueluti dubium interrogabant, si quis tantum pronunciationem mutet. At illi iudicantes,hanc esse satis idoneam causam,quur illum accusarent de blasphemia, quo nullum crimen apud Iudæos capitalius, dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi audiuimus ex ore eius manifestam blasphemiam. In hanc sententiam facile pedibus discessum est ab omnibus, qui quocunq; titulo decreuerant occidere Iesum.

CAP. XXIII.

REperta,ut ipsis uisum est,causa satis idonea,siperierat ut inuidiam quoq; mortis abs se transferrent in alios. Visum est itaq; præsidi Pilato reum obtrudere,ut nõ à Iudæis,sed à gentibus occisus uideretur. Consurgit itaq; conciliũ omne unà cum multitudine,quam ad impij facinoris societatem pertaxerãt, & adducũt Iesum ad Pilatũ Iudææ præsidem. Is enim illic nomine Cæsaris magistratum gerebat,quum ipse Iudæus non esset. Hic primum Iudæorum natio Messiam suum ad ipsos missum, tradit gentibus, & ab sese ablegat. Gentes sibi commendatum amplectuntur & adorant. Iam præiudicio damnatus erat dominus in cõcilio Iudæorum,apud quos quamlibet leuis prætextus sufficiebat,nimirũ magna uesania mortem innocentis sitientes. Apud tribunal profani iudicis,quoniam plus erat æquitatis, opus erat subornatis testibus,

bus, qui multa & magna crimina intenderent ei, qui solus omnium uacabat omni crimine. Initiũ autem accusationis hoc erat: Hũc deprehendimus subuertentem gentem nostram, eo quod uetuit tributa pendi Cæsari, seq; prædicauit esse Messiam regem. Hæc duo crimina sibi uidebantur pulchre cõmenti, quæ maxime cõmouerent præsidem, eo quod utrunq; pertineret ad læsam Cæsaris maiestatẽ, sic oppugnãt ueritatem Euangelicam impudentissimi mendaciorũ artifices. Quid enim his mendacijs impudentius? Iesus responderat ostenso nomismate: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & deo, quæ sunt dei. Regnũ à Iudæis delatũ etiam fugit. Messiã se esse factis ipsis declararat: proinde etiam si prædicasset sese Meßiam, nõ oportebat obijcere criminis loco, nisi declaraßent in eum non competere, quæ de Messia prophetæ prædixerãt. Victoriæ spes erat in multitudine coniurata, & in solitudine rei, deniq; in iudice ut ipsi putabant impio. Pilatus quanq; idololatra, tamen multo æquior Iudæorũ sacerdotibus, prius crimen de non pendendo Cæsari tributo dissimulat, uel quia sensit esse commẽtitium, uel quia nouum non erat hoc disputari apud Iudæos, quum tota pharisæorum secta sentiret, populum deo peculiarem non oportere pendere censum gentibus: de regno percontatur Iesum, in quo nullam regni speciem uidebat. Solus erat, cultus, facies, totusq; corporis habitus modestiam, ac simplicitatem præseferebat. Itaq;

præses

præses auditis accusatoribus, seorsum interrogauit Iesum, an rex esset Iudæorum. Iesus autem respondit: tu dicis. Sic enim ubiq; tẽperauit dominus responsa sua, ut innocentiam probaret suam, nec daret operam tamen ut elaberetur è iudicio, qui mori decreuerat. Rex erat Iudæorum, hoc negare nõ debuit, sed aliud regni genus erat, quod sibi patriq; uindicabat. Iuxta diuinã naturam rex erat omnium, de qua nihil suspicabatur Pilatus. De regno Euangelico non intelligebat homo legis & prophetarũ ignarus, nisi quod audierat à Iudæis expectari Meßiam, regem nescio quem, cui rumori non multum tribuebat homo minime superstitiosus. Quanquàm itaq; nõ intelligebat Iesu responsum, tamen non ignarus maliciæ Iudaicæ, & ex ipso uultu collecta Iesu modestia, prodit ad pontifices Iudæorũ, & cõglomeratam multitudinem. Examinaui, inquit, hominem de criminibus obiectis, nihil in eo criminis inuenio. At illi sibi conscij, quod argumentis uincere non poterant, clamorem intendunt, crimina criminibus, mendacia mendacijs connectentes. Imò et seditiosus est, inquiunt, commouet populũ sua doctrina per uniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa ad hanc usq; ciuitatem. Hoc nimirum est peculiare crimen Euangelicæ ueritatis: commouet populũ & seditionem mouet, impijs aduersus inuisam ueritatem insurgentibus. Verum non hic tumultus imputandus est Euangelij præconibus, sed hominum insanabili maliciæ, qui ueri

F tatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem salutiferam obrui malunt, quàm morbum animi deponere. Nec enim aliter doctrina Euãgelica turbat populum, quàm pharmacum concutit corpus. Nisi enim fiat concussio, totum intereat necesse est. Hoc crimen quum leuiter moueret Pilatum, uidebat enim rem omnem geri à coniuratis primoribus, & quibusdam è populo horum maliciæ subseruientibus: studet & reum, et accusatores ad alterius cognitionẽ reijcere, ut si non posit Iesum liberare, ipse saltem à causa liberaretur: arripuit ansam ex una uocula Galilææ, cuius regionis Tetrarcha erat Herodes. Percontatus est, igitur an Iesus esset Galilæus. Responsum est, esse, quod uulgo crederetur esse Nazarenus, nam illic nutritus fuerat & uersatus. Vt igitur intellexit Pilatus cognitionẽ de reo pertinere ad Herodem, reiecit eum ad Herodem, qui tum tẽporis forte erat Hierosolymis. Quanq̃ hæc quoq; gesta sunt dispensatione consilij diuini, ut ab omnibus tribunalibus dominus Iesus referret testimoniũ innocentiæ suæ, magisq; traduceretur põtificũ, scribarũ et primorũ malicia. Herodes ubi uidit adduci Iesum, gauisus est eo spectaculo. Iam enim ex multo tẽpore habebat hominẽ cupiditas quædam et libido uidendi Iesum, de quo tam multa audierat. Iamq; sperabat fore, ut se quoq; spectante miraculum aliquod ædaret, qualia didicerat ab eo permulta gesta. Percontabatur itaq; Iesum uarijs de rebus, cupiens aliquid ab illo prolicere, non ut redderetur melior, sed

lior, sed ut suæ curiositati morem gereret. Nec enim alia sciscitabatur à Iesu, quàm quæ sciscitaturus erat à mago quopiam. Iesus autem, qui nõ in hoc uenerat, ut impij principis libidini seruiret, sed ut salutẽ omnium procuraret, nihil illi respondit: nos interim docens aliquando non promendum sermonẽ Euangelicũ, ubi cõstat indignos esse qui audiant. Vrgent interim pontifices & scribæ, & acriter accusant eum apud Herodem, misere metuentes, ne quà reus elaberetur. Herodes autẽ, tametsi rex esset impius, tamen nihil commotus est illorum criminationibus, nimirũ intelligens ab inuidia proficisci quod agebatur. Sed satis habens contemnere à quo contemptus fuisset, ludibrij gratia Iesum indutũ ueste alba (nam id regum erat & Cæsarum) remisit ad Pilatũ. Hanc ignominiam tulit dominus Iesus à crasso rege, & illius armato satellitio quo cingebatur, ne non haberent similes labra lactucas. Siquidẽ apud hoc hominum genus citius gloriam referet funambulus quispiam, aut præstigiator, quàm ueritatis Euangelicæ syncerus prædicator. Aut enim delectari uolunt, aut ea discere, quæ faciunt ad ipsorũ tyrannidẽ. Sed tamẽ interim Herodis ciuilitas damnabat pontificũ & scribarũ impietatem, & reum absoluebat, quem accusatũ & obmutescentem ad obiecta crimina non damnarit. Gratũ interim erat, quod Pilatus hoc honoris habuerit sibi, ut uidendi Iesu fecerit copiam. Itaque ex eo die coijt amicitia inter Herodem &

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem & Pilatum, quum antehac inter eos fuerit simultas. Impia uero pax est quam conglutinat iniuria ueritatis Euãgelicæ. Pilatus aũt ubi uidet remitti reum, nec successisse quod conatus fuerat, ex iudice cœpit esse patronus Iesu. Conuocatis q; pontificibus, scribis, primoribus, & populo qui illos comitabatur, sic loquutus est ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, uelut auertentem populum uestrum ab obedientia Cæsaris ac legum uestrarum, & ego uobis præsentibus, uarijs interrogationibus sum ab eo conatus expiscari uerum, nec reperio illum ulli horum criminum obnoxium, de quibus accusatis eum. Idem accidit Herodi, qui me certius poterat his de rebus iudicare, peritus legum uestrarum, nam hac de causa reieci cognitionem ad illius tribunal. Qui si comperisset eum nocentem, nõ passus fuisset elabi. Nunc quoniam comperit nullam in eo culpam esse capitalem, leui pœna contentus, illusit tantum homini, nimirum absoluens à capitis periculo, proinde præstat imitari & nos Herodis æquitatem. Pœna quapiam non capitali castigatum dimittam homunẽ. Hoc agebat præses, sperans fore, ut cõspecto Iesu tot ludibrijs ac flagris affecto, miteſceret Iudæorum furor. Quum nec hac uia profecisset Pilatus, sed magis iritaretur Iudæorum insania, reperit aliud commentum absoluendi Iesum. Erat apud Iudæos solenne, ut præses ob festi diei religionem condonaret Iudæis aliquem è nocentibus, quem ipsi flagitas-

sent. Itaq;

sent. Itaq; præses prævenies illorum flagitationẽ, proposuit illis, utrum è duobus sibi uellent condonari diei festi gratia, Iesum, an Barabbam. Is enim erat insignis & facinoribus nobilis latro, qui seditionc mota in ciuitate, trucidarat quendam è ciuibus, ob id coniectus erat in carcerem. In hũc præses quoniam sciebat esse publicum ciuitatis odium, sperabat fore ut citius paterentur dimitti Iesum de multis benemeritum, quàm hominem publicæ tranquillitatis hostem. Sed tanta erat pontificum & his adhærentium insania, ut postularent sibi condonari Barabbam, Iesum autem in crucem tolli, quod mortis genus, ut erat grauissimum ob diutinũ cruciatum, ita habebatur & ignominiosissimũ. Adeo nihil crudelitatis omissum est à Iudæis. Sic uisum est consilio diuino, ut Iesus omnis gloriæ fons & autor, ad hoc ueniret contẽptus, ut seditioso homicida posthaberetur, nc nos desponderemus animum, si quando ob Christi nomen ac doctrinam spernamur ab his, qui diligunt hunc mundum. Pilatus ubi uidit nec hac ratione quicquàm profici, rursus aggressus est illos, tentans, si quo modo uerbis posset illorũ animos mitigare, ac Iesum innocentem liberare. Illi rursus iritatiores facti, canunt furiosam illam cantionẽ: crucifige, crucifige eum. Ac ne sic quidẽ Pilatus cessit illorum clamoribus, sed tertio conatus est illos cõpescere, dicens: Iudex sum, aduersus innocentes nullũ habeo ius, non possum infligere mortem, in quo non

 inuenio

inuenio crimen morte dignum, quid autē admisit iste morte dignū? Exquisiui, nec ullū in eo crimen inuenio morte plectendū. Si quid est offensæ leuioris, dabitur hoc animis uestris, corripiam illum ac dimittā. Sed aduersus hanc iudicis æquitatē illi pertinaciter instabant, non probationibus, sed insanis uociferationibus, flagitantes, ut dimisso Barabba crucifigeretur Iesus. Quū q; tentatis omnibus præses uideret magis ac magis inualescere clamorem illorū, postulata aqua, ac testificatus innocentiam Iesu, damnataq; Iudæorum peruicaci malicia, pronūciat mortis sententiam aduersus Iesum, nō ex suo animo, sed ex Iudæorū arbitrio, qui uitæ ac salutis autorē efflagitabant ad necem, & Barabbam seditiosum homicidam cōdonauit illis, quē Iesu prætulerant. Iesum aūt tradidit illis, ut exequerentur in eum quæ uellent. Postcaq̄ omne ludibrij genus in eū exercuissent, ad saturandū odiū suū, rursum indutū suis uestibus, quo magis agnosceretur à populo, educunt ad supplicij locū, baiulantem crucē suam ex more. Inter eundum forte obuium habuerunt Simonē quendam Cyrenensem uenientem è uilla sua, huic uolenti nolenti imposuerunt domini crucē, ut Iesu præcedente baiularet post illū, non ut parcerent Iesu, sed ut celerius absoluerent quod agebant. Verum diuino consilio typus interim procuratus est ecclesiæ ex gentibus colligendæ, quæ Iesu crucem amplexa est, & illius uestigijs ingressa. Comitabatur autē Iesum mumerosa mul-

rosa multitudo populi ac mulierū, quæ sacerdotibus ac scribis gaudētibus plangebant, ac lamentabātur de morte innocentis. Nihil enim aliud poterant humiles et imbelles aduersus coniuratam magnatū impietatē. Iesus aūt qui suā mortē non lugubrem, sed gloriosam esse uoluit, nec eam deplorari uoluit, sed adorari, ut quæ sponte pro salute totius mundi suscipiebatur: cō pescuit illarū indecoram lamentationem, quanquàm ab affectu pio proficiscentem. Filiæ, inquit, Hierusalem, nolite deflere me, sed uestram ipsorum ac filiorū uestrorum uicem deflete. Non enim est deflenda mors innocentis, sed illorum exitium deplorandum est, qui pro suis sceleribus, et hic miseris cladibus afficientur, & in posterum pœnis addicentur æternis. Imminet enim huic regioni tam miseranda calamitas, ut homines appellaturi sint eas mulieres beatas, quæ non genuerunt, & felices uteros qui nullum fœtum ædiderunt, feliciaq; ubera, quæ nunq̄ lactauerunt. Grauius enim cruciatur materna pietas in malis liberorum, q̄ proprijs. Nunc exultant quasi re bene gesta, sed tunc quum uenerit ille dies ultionis diuinæ, tanta formido malorum ingruentiū corripiet animos illorū, ut montibus dicturi sint: obruite nos, & collibus: operite nos. Etenum si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Hoc ænigmatē dominus Iesus testabatur summā innocentiā suam, quod solus esset hominū nulla uitiorū aut cupiditatū carie uitiatus, sed omni uirtutū genere totus

re totus florens ac perpetuo germinans. Quod si illo rum malicia tale exemplum ædidit in hominem undi quaque inculpatum, quale exemplum ædi conuenit in eos, qui prauis cupiditatibus undique corrupti, nõ po tuerunt ad ullam bonam frugem adduci? Hac pompa Iesus princeps & rex noster ad suum triumphum pro cessit. Ducebantur autem simul & alij duo facinoro si, pariter cũ eo damnati, sed non eadẽ causa. Procu ratum est & hoc à Iudæis, quo magis infamem redde rent Iesum apud multitudinẽ, quod tali sodalitio esset adiũctus. Delectus est & locus nocentiũ supplicijs in famis ac funestus, cui nomẽ ex re Golgotha, quod ho minũ illic occisorum cranijs & ossibus albicaret. Hic igitur crucifixus est Iesus, inter duos latrones medius, ueluti socius criminis, qui socius esset supplicij. Sed quicquid Iudæorum malicia potuit excogitare in ig nominiam domini Iesu, id ille uertit in gloriã suam nostramq; salutẽ. Etenim qui innocens sponte se deij cit ad seruandos homines, hoc plus meretur gloriæ et apud deum et apud homines, quo semet ad maiorem ignominiã submiserit. Sic uisum est diuinæ sapientiæ, quo uel tam insigni exemplo nostrã frangeret super biam, qui pro malefactis etiã laudẽ expetimus ab ho minibus. Iesus aũt iam sublimis, & in eam speculam sublatus, unde esset omnia reuocaturus ad se, uolens summæ tolerantiæ perfectissimũ exẽplar ædere, quũ innocẽs, quũ tot modis benemeritus, tot malis, tot igna

minijs,

minijs, tot ludibrijs esset affectus, quũ in cruce quoq; pendentem, quæ miserabiles facere solet etiã homici das, amarulentis conuicijs incesserent, quæ perferre grauius esset homini, quàm perpeti mortem: adeo nõ ulciscitur, adeo non regerit conuicia, ut patrem oret pro his à qbus indigna patiebatur. Pater, inquit, igno sce illis. Nesciunt enim quid faciant. Hæc nimirũ erat illa sancta precatio nostri pontificis in ara crucis, a gnum paschalem semel pro totius mundi salute immo lantis. Nec fuit inefficax deprecatio. Multi enim ex his qui per errorem adegerunt dominũ ad crucẽ, co gnita ueritate per Apostolorũ prædicationẽ, professi sunt nomen crucifixi. Quanquàm & pharisæorum malicia non caruit omnino errore, sed qui non liberet illos à crimine. Poterant enim errore carere, nisi pra uæ cupiditates, quibus seruiebant, obstetissent. Sed erant inter hos quoque, qui hoc animo dominum per sequebantur, quo Paulus persequebatur ecclesiã dei. Hic si consideres, optime Theophile, summam illam Iesu innocentiam, summam in omnes beneficentiam, summas animi dotes, quibus erat incomparabilis: rur sus ex aduerso contemplere odium, conuicia, probra, dolos, insidias, criminationes, ignominias, cruciatus, mortis genus, quo illum Iudæorum impietas affecit: et audias eum in ipsa cruce in medijs cõuicijs obsecran tem patrem, ne ulciscatur, sed ignoscat tanti sceleris autoribus: nónne uehemẽter impudens uidebitur, qui

 quum

quam se Christi discipulum profiteatur, peccator in peccatorem uindictam moliatur, quamuis etiam grauiter lacessitus iniuria? Quantum autem degenerant ab hoc exemplo Christi, qui ob leue conuicium ferrum stringunt in uiscera proximi? Qui non concoquentes dictum aliquod cõtumacius in se iactum, totas urbes, tota regna funestis bellis concutiunt, totasq; nationes ad mutuam sanguinis effusionem cogunt? Nos uero ne dimoueamus oculos nostros ab hoc exẽplo, & imitemur regem nostrum in cruce debellantem omnem potestatem tyranni satanæ, deuincentem uniuersam huius mundi potentiam, triumphantem de omnibus potestatibus, quæ sese erigunt aduersus Euãgelicam ueritatem, quam non oportet aliter uincere, aliter triumphare, quàm sub uexillis sui principis: cõtemplemur pontificem nostrum, efficaci sacrificio expiantem peccata totius mundi, nationum & omniũ seculorum pœnam dependentem pro omnibus, modo nos syncera fide cõplectamur, quod ille gratis offert, nostram agnoscentes iniusticiam, & illius ineffabilẽ erga nos bonitatem exosculantes. Quò temet auertis peccator infelix? Dominus clamat: Pater ignosce illis: & tu desperans tui, uel laqueum paras ut Iudas, uel crimina criminibus exaggeras? Non est quod posthac metuas Satanæ potẽtiam. Vicit, et tibi uicit Christus. Inuitat è sublimi ligno, nationibus omnibus cõspicuus: ipsa tria crucis cornua procul inuitant & Asiam & Europam

Europam & Africam ad æternæ salutis consortium. Pendebat autẽ nudus in cruce Iesus, ne quid haberet huius mũdi qui cœleste peragebat sacrificium, ipsa re docens, quàm oporteat episcopos Euangelicos affectus habere puros ab omnium rerũ terrenarum cupiditate. Interea milites, qui crucifixerunt eũ, quasi reuicturus non esset, missis sortibus partiti sunt inter sese uestes domini. Nam hoc erat ueluti præmiũ scelerati ministerij. Hoc sui spolium Iesus uoluit esse apud milites. Apud nos qui nomẽ illius profitemur, nihil esse uoluit sui carnale, ut iam eũ spiritu diligamus. Sic & hodie uestes illius apud nos sunt, quemadmodũ nobis quotidie pendet in cruce. Siquidẽ omnia illius nostra sunt, sed iuxta spiritum. Ad hunc igitur modum pendentem Iesum ueluti uictũ & omni spe destitutũ, scommatis incessunt sacerdotes, scribæ, pharisæi, & populi primores, unà cum militibus, qui crucifixerãt: exprobrantes ei, quod quũ miraculis suis dictus esset subuenisse multis, nunc sibi non posset esse præsidio. Alios, inquiũt, seruauit, sit nũc sibi seruator, si modo hic est ille Christus, quẽ se iactauit esse: si modo hic est ille deo charus, et electus filius, quẽ se esse prædicauit. Hæc iactabant in eum primores audiente populo, qui solebat admirari Christi miracula, quo animos illius alienarent ab eo. Quin & in totum autoritatem illi abrogant, uelut ex ipsa re conuincentes, eum nec esse Messiam, nec filium dei quem esse se professus fuerat.

rat, si non descenderet è cruce. At nõ in descensu, sed in perseuerantia sita erat mundi salus. Ea plus ualuit apud Iesum, quàm principum conuicia. Milites uero crassum hominum genus, & Iudaicæ religionis uel ignari, uel contemptores, illudebant Iesu, quod dictus esset sibi uindicasse regnum in Iudæos, prouocati nimirum exemplo principum Iudaicæ gentis. Et admouentes illi acetum, per ludibrium dicebant: Si tu es ille rex Iudæorum, expedi potentiam tuam, & eripe te ab isto periculo. Iesus autem inter hæc omnia præbuit absolutissimum mansuetudinis exemplum, obticescẽs ad omnia cõuicia. Erat autem & titulus additus summæ cruci, super uerticem eius, literis Græcis, Latinis, & Hebraicis, quo magis ab omnibus nationibus legi posset: Hic est rex Iudæorum. Id quoq; ludibrij causa factum esse credebatur. Ne hæc quidem satis erant. Alter è maleficis, qui pendebat ad latus Iesu, è cruce conuicia iaciebat in eum, dicens: Si tu es ille Christus mundi seruator, serua teipsum simul & nos. Cæterũ alter latronum, considerata tam admirabili Iesu mansuetudine, increpabat sceleris & supplicij socium, dicens: Tu si moriturus non uereris homines, certe deum metuere debes, qui morituro insultas, præsertim cum sis illi supplicij socius, uel hoc solum debebat te à conuicijs cohibere, etiamsi socius esset criminis. Nunc alia est illius, alia nostra conditio. Nos pro malefactis pœnas damus, ille innoxius moritur. Bis autẽ

inhumanũ

inhumanum est, & morituro maledicere, & innocenti. Hoc testimonium Iesu reddidit in cruce latro, ut undequaque testata esset illius innocentia. Moxq; cõuersus ad Iesum, dixit: Domine memẽto mei, dum ueneris in regnum tuum. Mira fides latronis, qui quum uideret pendentem ac morientem in cruce, moriturus & ipse, salutem uelut à rege petit. Iesus autẽ qui mutus erat ac surdus ad omnia conuicia, non est surdus ac mutus cum fiducia postulanti. Illud, inquit, confirmo tibi, hodie mecum futurus es in paradiso: nimirũ requiem ac refocillationem pollicens mox à peracto supplicio. Quàm felix est semper adiungi Iesu, qui nusquàm non seruat, si modo adsit Euangelica fiducia. Iã erat hora dici fermè sexta circiter meridiem. Ab hac hora qua maxime solet feruere sol, tenebræ subito obortæ sunt per totam illam regionem Hierosolymitanam, usq; ad horam nonam. Sol enim detestans tantam hominum impietatem, obduxit faciem suam eo morituro, qui lux erat totius mundi: terra cõcussa est, saxa dissilierunt, nulla naturæ parte non inhorrescente ad tam immane facinus. Quin & uelum templi, quod separabat sanctum sanctorum à reliqua templi parte, nullo mouente, dissectum est in duas partes, palàm declarans iam cessaturas Iudæorum umbras ac ceremonias, posteaquàm peractum esset hoc sacrificium, quod unum sufficiebat ad mundationem omnium seculorum. Iesus autem ubi cum ingenti cla

more

more dixisset: pater in manus tuas cõmendo spiritum meũ, efflauit animã, ut omnibus palàm esset illum nõ defeciſſe, quemadmodũ alij solent paulatim exhausto corporis uigore, sed mox à ualido clamore, ac uerbis articulate pronũciatis, ueluti sponte deposuisse uitã. Animaduertit hoc Cẽturio, qui in hoc adstabat cruci, ne quis uiuos tolleret è ligno. Ab hoc quoq; tulit innocentiæ testimonium Iesus. Glorificauit enim deũ, qui tãtam uirtutem in eo declarasset, & ait: Vere iustus erat hic homo: uidelicet Iudæorũ iniusticiam palàm condemnans. Quisquis enim innocentẽ pronũciat qui condemnatus est, is nocentem facit qui damnauit. Reliqua multitudo tota eorum, qui ex more uenerant ad supplicij spectaculum (plures autem attraxerat Iesu uel studium, uel odium) uisis his, quæ contigerant, reuertebantur, percutientes pectora sua: partim præ dolore, quod homo tam innocẽs ac beneficus tam indigna passus esset, partim metu uindictæ diuinæ, quam sibi male conscij, ex ostentis conspectis suspicabantur imminere. Quem enim in uita uiderant humilem & aspernabilem, cũ in morte uiderunt potẽtem, adeo ut omnia rerum elementa sese cõcuterent. Hic illud rursus animaduerte Theophile, semper in gentibus plus inueniri bonæ mentis, quàm in Iudæis, qui sibi præ cæteris pietatis ac sanctimoniæ laudem uindicabant. Centurio glorificat deum: Iudæi tantum metuunt uindictam prodigijs territi, qui tot beneficijs uinci non poterant.

terant. Porrò qui cognatione contingebant Iesum, aut qui familiares illi fuerant in uita, consistebant eminus, spectatores eorum quæ gerebantur, præ metu non audentes propius accedere. Inter hos erant & mulieres, quæ studio ministrandi illi ac discipulis illius, sequutæ fuerant illũ à Galilæa, testes ac spectatrices corũ quæ gerebantur, quæ iam omni spe destitutæ, nihil aliud quàm mœrebant. Multis igitur argumẽtis cognita certa domini morte, ne quis causari posset, aut hominẽ uerum non fuisse, aut nõ fuisse uere mortuum: ecce offertur per quem officium sepulturæ dominicæ peragatur, quam Iesus uoluit esse mundam et honorificam. Vita fuerat mitis & humilis, mors efficax, sepultura magnifica, resurrectio gloriosa. Commodum igitur id temporis offert sese quidam nomine Ioseph, oriundus è ciuitate Iudææ Arimathia, uir bonus ac iustus, ex eorum numero qui expectabant regnũ dei. Hic tametsi esset ex primoribus populi (erat enim nobilis Decurio) tamẽ nunquàm cõsenserat cõsilijs ac factis sacerdotum, scribarum ac primatũ populi, licet ob potentiam eorum, qui Iesum oderant, nõ auderet profiteri studiũ animi sui. Nondũ enim datũ erat robur illud per spiritũ sanctũ, ut cõtemptis omnibus, Iesu nomen profiteri possent. Cæteris itaq; discipulis metu territis, solus Ioseph unà cũ Nicodemo audet officiũ sepulturæ sibi sumere: siue qa à morte cre-

scit in

scit in bonos uiros studium, siue quia iudicabat inuidiam Iudæorum iam esse morte saturatam. Proinde adit Pilatum, cui ob nobilitatem notus erat, & ab eo petijt corpus Iesu. Pilatus nõ prius donauit, quàm ex Centurione compertum haberet, iam esse mortuum. Accepit corpus & de cruce depositum, deinde unguentis oblitum, inuoluit sindone, nihil interim sperans de resurrectione, de qua Iesus paucis modo discipulis suis significarat: sed ita ut tum meminissent magis ẽp crederent. Quoniam autẽ Iesum existimabant uirum bonum fuisse, præterq; meritum occisum, memoriã illius uolebant magnifica sepultura honorare. Itaq; reposuerunt cadauer in monumento, quod in horto uicino erat, excisum è solido lapide, nouum, in quo nullus adhuc sepultus fuerat. Hæc quum id temporis casu geri uiderentur, tamen diuino consilio gesta sunt omnia, ne Iudæi causari possent, sepulchro perfosso, sublatum aut permutatum corpus. Dum hæc aguntur, erat dies Parasceues, quod eo die præpararent, quæ ad celebrandum sabbatum erant necessaria, ne quæ re uiolare cogerentur ocium sabbati. Mulieres autem quæ procul spectarant Iesum in cruce, sequũtur eundem ad sepulturam, ne nescirent ubi esset reconditum corpus Iesu, & quo loco, quóue apparatu positum, ut agnoscerent reuersæ. His rebus diligenter inspectis, domum redeunt, & apparant aromata et unguẽta, quo cõdiant corpus domini, tametsi iam

iam utcunq; per Nicodemum fuerat oblitum myrrha. Sed mulierum pietas aliquid preciosius uolebat adiungere defuncto. Dominus autem ideo passus fuerat sibi infundi alabastrum unguenti pretiosi, quod harum unguenta non esset expectaturus, quarum pia sedulitas tamen profuit ad confirmandam resurrectionis fidem. Dum enim quærunt unguendum mortuum, comperiunt uiuum. Post solis autem occasum usq; ad ueſperam diei sequentis conquieuerant iuxta legis præscriptum, quod sabbato nefas erat operari. Rursus à solis occasu perficiunt quod cœperant in apparandis unguentis & aromatibus. Eodem tempore dominus suum sabbatũ peragit cõquiescens in sepulchro, peracto iam opere salutis in die parasceues, ut intelligeremus per eundem esse restitutum genus humanum, per quem fuerat conditum. Mundi fabricam absoluit die sexto, septimo requieuit ab opere. Idem mundi redemptionem peragit die sexto, qui est parasceues, & in monumẽto requieuit ab opere, iuxta corpus humanũ, donec illuceſceret dies octauus, quem Iudæi nesciunt, Christiani adorant. Is est dies immortalitatis, quum iam non sese uicissim excipient requies & lassitudo, opus & ocium, sed erit lætitia sempiterna: neque nox diem, dies noctem uicissim excipiet: sed perpetua lux lucebit piorum oculis.

CAP. XXIIII.

QVod ab opere cessarunt mulierculæ, datum est sabbati religioni. Cæterum simulatque licebat

ad opus redire, statim ab occasu solis in opere pio, sed superuacaneo uigilabat mulierum sedulitas. Nam eo die qui primus est à sabbato, hoc est, octauo à toto peracto sabbato, admodum diluculo properant ad monumentum, deferentes secum quæ parauerant aromata, nimirum ut hunc supremum honorem impenderent ei quem uiuum dilexerant, quum tamen non sperarent resurrecturum. Os autem monumenti occlusum erat ingenti saxo, quod uix à multis uiris amoueri poterat. Additum erat signaculum: id curatum est à pharisæis & scribis, ne quis clam suffurari posset corpus exanime, & uanum spargere rumorem eum reuixisse, qui nusquàm inueniretur. Additi sunt & custodes ex cohorte præsidis. Mulieres autem dum anxie circunspiciunt, quomodo posset amoueri saxum: subito uident sublatum, & aditum monumenti patere. Ausæ sunt ingredi, pietas addiderat audaciam sexui. Ingressæ non inueniunt corpus domini Iesu. Ea res quum uehementer consternasset illarum animos, quod repente amoto lapide spem bonam conceperant: rursus demirabantur, quomodo sepulchrum potuit esse uacuũ, quod modo uiderant clausum & obsignatum: derepente astant eis duo angeli specie iuuenili, facie læta blandaq;, ueste fulguris in modum relucente. Hæc ipsa species angelorum resurrectionis triumphum præseferebat. Porrò quum mulieres nouo spectaculo expauefactæ, uultum & oculos deflecterent in terram, non audentes cõtrà

tueri

tueri maiestatẽ uisionis humana natura sublimioris, illi placido blandoq; alloquio subleuant attonitarũ animos: Quid, inquiunt, ò mulieres quæritis eum qui uiuit, in sepulchris mortuorum? Hic quidem conditus erat, quum esset mortuus. Nunc quoniam reuixit, non est in sepulchro, ubi quiescunt mortui, sed resurrexit & uiuus inter uiuos ambulat. Prædixerat se moritu rum, prædixerat & tempus & genus mortis, sed idem prædixerat se tertio die reuicturum. Mortuum esse creditis quia uidistis, credite & reuixisse. Non enim hic fefellerit uos, qui in altero uera prædixit. An mœror & animi perturbatio uobis omnium, quæ prædixit ille, induxit obliuionem? Redeat uobis in memoriam, quàm nihil horum quæ gesta sunt non prædixerit uobis, quum adhuc esset in Galilæa. Prædixit enim sic esse definitum consilio patris, ut ad salutem humani generis, filius hominis traderetur in manus peccatorum, ut accusaretur, cæderetur, ac ludibrijs omnibus exponeretur, deniq; in crucem sublatus occideretur, sed idem reuiuisceret tertio die à morte. Agnoscite tempus. Sub uesperam parasceues depositus est de cruce, & in monumento hoc conditus. Is primus à morte dies supputatur. Sabbatum totum conquieuit in sepulchro. Nunc tertij diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis toti mundo lætum ac faustum esse uoluit. His dictis euanuerunt ab oculis angeli. Mulieres autem ex admonitu angelico re-

 ducunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducunt in memoriam uerba domini Iesu, quibus & mortem & resurrectionem disapulis suis prædixerat: itaq; relicto monumento, properant ad undecim apostolos, cæterosq; discipulos, qui ob metum Iudæorum sparsim collecti latitabant, obliti & ipsi ferè omnium quæ dixerat Iesus, ac propemodum desperantes, eisq; nunciant quæ uidissent, quæq; audissent ab angelis. Prima mulier à serpente decepta, uirũ pellexit ad culpam. Piæ mulieres edoctæ ab angelis, uiros inuitant ad credulitatem. Itaq; ne sexus ob transfusam in uiros mortem perpetuo male audiret, unde mortis occasio primum prodierat, inde proficiscitur & uitæ redditæ lætissimus nuncius. Porrò mulieres quæ hæc annũciabant apostolis, erant Maria Magdalene, soror Lazari, Ioanna uxor Chuse, procuratoris Herodis: Maria Iacobi minoris mater, quæ & soror dicta est Mariæ matris domini, aliæq; nonnullæ, quæ cũ his solitæ sunt comitari Iesum. Cæterum ob rem incredibilem quam nunciabant, sexus infirmior non inuenit fidem apud apostolos, quos ideo dominus passus est esse tardiores ad credendum, ut pluribus argumentis confirmaretur resurrectionis dominicæ fides. Itaque quod illæ narrabant de subito conspectis angelis, de repente sublato saxo ab ore sepulchri, uisum est apostolis ac discipulis muliebre deliramentum, quod is sexus ob mentis imbecillitatem imaginatione uitiata credat se nonnunquam uidere, quod non uidet, & audire quod non audit.

dit. Quanquam autem nõ crederent esse uerum, quod narrabant mulieres, tamen eò profecit illarum asseueratio, ut Petrus surgens procurreret ad monumẽtum: & immisso capite prospiciens, non reperit corpus, sed uidet linteamina, quibus obuolutum fuerat corpus Iesu, seposita. Ac ne sic quidem credidit reuixisse dominum, tam profunda cœperat illum obliuio eorum, quæ dixerat Iesus: sed abijt à monumento secum admirans quid accidisset, dubitans num quis corpus sustulisset è monumento, uariaq; cogitans, à quibus quóue consilio id factum fuisset, quod corpore sublato, uideret relicta linteamina, ueluti per ocium detracta corpori, quæ sine negocio non poterant auelli, eaq; non temere disiecta, sed commode in suum reposita locum, semoto ab his sudario, quo tectum fuerat caput Iesu. Accidit autem eodem die, ut duo ex discipulis, quibus per mulieres nunciatũ erat, de sepulchro uacuo, quã quàm illarum orationi nõ est habita fides, relicta Hierosolyma proficiscerentur in ciuitatem, cui nomen Emaus. Abest autem ab Hierosolymis spatio stadiorum sexaginta. Atq; inter eundum uarios miscent sermones, ita ut fit, præsertim ubi qd mœroris est in animo. Erant enim morte domini uehementer perturbati, iamq; propemodum animum desponderant, ac spem abiecerant. Tota autem cõfabulatio erat de Iesu, deq; rebus omnibus quæ uiderant, quæq; audierant superioribus diebus. Amauerant enim illum, ut uirum in- Et ecce duo.

signem ac beneficum: & quanquàm magnifica illa spes de restituendo regno Israëlitico propemodum excciderat animo, tamen iuuabat etiamnum defuncti memoriam mutua confabulatione refricare. Confusis enim illorum animis, ueluti somnus quidam obrepserat, ut tanquam per somnum amarent, cuius obliuisci non poterant. Tandem illis multa inter ipsos de Iesu commentantibus, & ultro citroq; differentibus, ecce lupus, quod dici solet, in fabula. Iesus enim qui promiserat sese futurum in medio, ubicunque duos comperisset de se colloquentes, etiam iuxta corporis præsentiam tum exhibuit, quod iuxta spiritum nunquàm facere desinit. Tanquàm uiator adiunxit se illis, & itineris socium præbuit, sed ignota specie, non quod non haberet idem corpus, quod habuerat ante mortem, sed quod ita uolente Iesu, impeditus sit illorum obtutus, ne quem cernebant, agnoscerẽt. Felix sodalitium, quoties duo nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quàm de Iesu. Felices, quibus se socium Iesus dignatur adiungere. Quemadmodum autem adesse gaudet de se confabulantibus dominus Iesus, ita satanas adesse gaudet his, qui miscent confabulationes bonorum morum corruptrices, de libidine, de fraude, de uindicta, de superbia, de quæstu, de infamia proximi. Quoniam autem sic flagrabant amore Iesu, ut de promissis illius per humanam infirmitatem dubitarent, dominus illudens ad tempus illorum oculis, expiscatur quid sentirent de

rent de ipso, non quod illum quicq̃ lateret, sed ut ad nostræ fidei confirmationem mederetur illorum incredulitati. Ait itaq;: Qui nam sunt isti sermones, quos inter cundũ inter uos confertis, uultu interim tristiciam ac mœrorem animi significante? Solet enim & hoc lenire mœrorem, si cõtingat in cuius sinum quod dolet effundamus. Habet autem illud humanus affectus, ut quod cuiq; ualde cordi est, putet nemini ignotum esse, & nemini nõ esse curæ. Ex hoc affectu respondet unus è discipulis cui nomen Cleopas: Res omnibus est notissima, quicunque uersantur Hierosolymis, ex ea ciuitate quum tu quoque ueniás quemadmodũ & nos, q̃ fieri potest, ut tu solus ueluti nouus hospes hæc ignores hisce diebus illic acta, quæ nullus hominũ ignorat? Tum Iesus, quasi discere cupiens, quum doctus ueniisset, respondit: Quæ nam sunt ista? Illi simpliciter uelut hospiti, & rerum gestarum ignaro summam negocij exponunt: ingenue profitentes, quàm nihil adhuc sentirent de Iesu dignum ipsius dignitate, quámque de resurrectione spem penè omnem abiecissent: De Iesu, inquiunt, Nazareno commentabamur, qui fuit uir eximius, ac propheta potens & dictis & factis: non solum apud deum, cui erat charissimus, uerumetiam apud uniuersum populum, apud quem sibi miraculis doctrinaq;, ac beneficijs suis summam comparauerat autoritatem. Hunc primarij sacerdotes, populiq; nostri primores apud præsidem

reum capitis peregerunt, & in crucem deniq; adegerunt. Nos autem mirificam quandam spem de illo concepramus, quod is esset redempturus populum Israëliticum, persuasi hunc esse Messiam, à prophetis olim promissum. Sed mors certa & ignominiosa nobis hãc spem ademit. Quin erat & spes nonnulla iniecta, futurum ut reuiuiscceret post triduum, sed posteaquàm damnatus est, crucifixus & sepultus, hic hodie dies illuxit tertius, ex quo hæc contigerunt, neq; quicquam affulget certioris spei, nisi quod mulieres quædam è sodalitio discipulorũ illius, nos nouo & inaudito nuncio magis etiam attonitos reddiderunt, quæ ante solis exortum profectæ ad monumentũ, negant se inuenisse corpus, addentes sibi apparuisse angelos, qui dicerent illum uiuere. Harum narrationi quũ nemo fidem haberet, quidam è nostris abierunt ad monumentum, periculũ facturi, num quid haberet ueri mulierculariũ narratio. Et de monumento cõpererunt ita rem habere, quemadmodum mulieres narrarant. Repererunt enim apertum ac uacuum, linteamina reliquasq; cadaueris exuuias in monumento repositas. Cæterũ ipsum nusquam inuenerunt. Quum hac narratione discipuli simpliciter declarassent quàm uacillarent animo, & exigua spe essent de promissis domini: tum Iesus nondum quidem patitur agnosci sese, sed ueluti doctior quispiam Iesu discipulus obiurgat illorum tarditatem, & castigat incredulitatem: O parũ, inquit, dociles ad intel-

ligendas scripturas, & corde difficili tardoq; ad credendum tot prophetarũ oraculis, quæ de Iesu prodiderunt. Quur ista uobis nunc noua uidentur, posteaquàm gesta sunt, quum hæc omnia tot retro seculis gerenda prædixerint prophetarum uaticinia? Quur non illorum prædicta, cum his quæ gesta sunt, confertis? Nónne docent hoc afflatu cælesti proditæ scripturæ, sic fuisse uisum cõsilio diuino, ut Christus hæc omnia pateretur, quæ passus est, & sic noua ratione per mortem repararet uitam, per crucem assereret regnum, per ignominiam intraret in suam gloriam? Habet hic mundus suam gloriam, nec uerã, nec perpetuam. Eam qui parant, parant inanibus stemmatis, titulis, opibus, munificentia, fastu, strepitu uitæ, nõnunquam & extorquent ab inuitis. Christus aũt gloriam suam, quam habuit ante mundum conditum, longe diuersis rationibus asseret sibi apud homines, quo cunctis mortalibus ostendat, qua uia sit grassandũ ad ueram, nec unquam intermorituram gloriam. Hac de re quum tam multa docuerit Moses, quum tam multa prædixerint prophetæ, uos adhuc adeo crassæ mẽtis estis, ut Messiã duæm expectetis curribus, equis, elephantis, ferratis copijs, balistis, catapultis, testudinibus, onagris, incẽdijs, cæde, sanguine sibi regnum mundanum occupantem? An nondum sentitis scripturam esse spiritualem, ac Messiæ potentiam non constare præsidijs, quibus huius mundi principes sibi regnum uel asserunt uel di-

In gloriam suam.

latant, sed uirtute cœlesti? Quin potius excutitis scripturas, quæ iam de Christo multa prædixerunt, easq; confertis cũ his, quæ Christus ipse de se prædixit discipulis suis, quæq; ut prædixerat euenerunt? Ita fiet ut nec in his quæ acciderunt quicquam uideatur nouum, & de his quæ promisit in posterum, non sit quod diffidatis. Quũ hac obiurgatiuncula dominus reddidisset eos attentiores, enarrauit illis scripturas omnes, quæ palàm prædixerunt hoc futurum in Christo, quod iam euenerat: ostendens tantum esse uaticiniorum, figurarum & euentorum concentum, ut eximiæ cuiusdam tarditatis sit, ea non animaduertere, aut insignis diffidentiæ non credere. Exorsus est autem sermonem suum à Mose & prophetis: post hæc ex omnibus diuinæ scripturæ uoluminibus aliquid decerpens, quod fidem astrueret ijs quæ acciderãt, ac fidem præstrueret ijs, quæ post essent euentura. Atq; hæc omnia inter se sic contulit, ut res esset dilucida. Felices illi, qui meruerunt cœlestem doctorẽ audire enarrantem ea, quæ prius per prophetas ipsius afflatos spiritu prodiderat. Nos quoniam omnia nõ possumus, quædam ex illa felici confabulatione decerpta referemus. Quæ utinam uel nunc audiant Iudæi, desinantq; Messiam aliũ expectare, sed hũc qui seruator ac redemptor unicus datus est mũdo, pijs studijs amplectantur, & salui fiant: fiant liberi, si non à Cæsaris imperio, certe quod est felicius, à diaboli tyrannide: regnumq; consequantur cũ suo

suo duce, non huius mũdi, quod caducum est, sed cœleste, quod finem nescit. Mosen, inquit, Iudæi tantũ non ut deum quendam uenerantur, quod is populũ Israëliticum eduxerit ex Aegypto, & in deserto legem prodiderit, cuius obseruatione salutem assequerentur, & peruenirent in terram melle & lacte manantem. Atqui iste Moses, quid aliud fuit quàm umbra quædam uenturi Christi? Nec enim ille fuit filius dei, sed seruus: nec ille uere liberauit populum, quum post seruierint regi Babylonis. Nec ipse prorsus omni peccato caruit. Ac ne terram quidem ad quam dux erat populo ingressus est. Et si ingressus fuisset, nihil erat magni, quum in eadem terra etiam hodie habitent idololatræ. Hæc omnia iuxta carnem intellecta, nihil habent magni. Sed Christus est uerus ille Moses, qui propria uirtute non Hebræos modo, uerumetiam uniuersas nationes sibi fidentes liberat à uindicta dei, liberat à tyrannide diaboli, liberat à tenebris errorum, liberat à turpi seruitute peccatorum, & sanguine suo purgatos educit in libertatem spiritus, perpetuus & dux & comes, donec per omnia huius uitæ discrimina perducat in terram illam cœlestem, omni genere felicitatis exuberantem, qui legem tulit spiritualem & Euangelicam, quæ non ceremonijs ac pecudum uictimis corporalem iusticiam traderet, sed per fidem & charitatem, ueram ac perfectam conferret iusticiam. Atque hunc exoriturum Moses ipse prædixit. Sic enim ille loquitur in

A Mose.

tur in Deuteronomio: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, susitabit tibi dominus deus tuus, ipsum audies. Ac mox dominus Mosi promissum confirmat, dicens: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loquetur q; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Habetis uaticinium Mosi, nunc conferte rem. Nullus exortus est post Mosen, qui ullo pacto æquauerit illum autoritate, præter solum Iesum Christum, qui Mosen sic retulit, ut modis omnibus superarit. Fuit autor noui testamenti, sed æterni. Id consecrauit non sanguine uituli, sed sanguine proprio. Fuit autor nouæ legis: sed quæ perfectam salutem adferat. Moses minister fuit, hic filius è cœlo descendit, caq; docuit, quæ uidit apud patrem, perpetuam habens in se potestatem faciendi, quicquid uelit. Moses in monte cum deo colloquutus est in nube, Christus recessit à luce patris. Moses umbras rerum tradidit, Christus ueritatem. Moses sic intercessit pro peccatis populi, ut ipse pro suis quoque commissis egeret intercessore: Christus immunis ab omni peccato, seculorum omnium peccata expiauit. Moses ieiunauit quadraginta diebus, fecit idem Christus, ut uel hoc indicio agnosceretis alterũ Mosen. Moses è monte tulit legem, Christus in monte docuit legis absolutionem, nouas illas & inauditas beatitudines pronuncians. Docuit frequenter & in templo, quod situm est in monte Sion, uidelicet iuxta prophetiam

tiam Esaiæ, quæ dicit: De Sion exibit lex, & sermo domini de Hierusalem. Sed quum ferretur Mosaica lex, omnia terroribus complebantur, ob retundendam populi duritiem: Christus uenit placidus, & amabilis potius q̃ terribilis, ratione coarguens, beneficijs prouocans, mansuetudine alliãens, nulli non obuius atq; expositus ad salutem conferendam, tolerantia uincens. Et talem promiserant prophetarum oracula. Legistis enim quid scripserit Esaias: Dedi spiritũ meum super eum, iudiciũ in gentibus proferet. Non clamabit neq; accipiet personam, nec audietur uox eius foris. Calamum quassatũ non conteret, & linũ fumigans nõ extinguet. In ueritate educet iudiciũ: non erit tristis, neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius insulæ expectabunt. Rursus idem alio quodam loco sic facit loquentem Messiam: Spiritus domini super me, eo quod unxit me, ad annunciandũ mansuetis misit me, ut mederer cõtritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem domino, & diem ultionis deo nostro, & cõsolarer omnes lugentes, & ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, palliũ laudis pro spiritu mœroris. Audistis qualem promiserit cũ prophetia: nunc reputate cũ animis uestris, an non talis aduenerit. Quem sexũ, quam ætatem, quam conditionem ille submouit à sua beneficentia? nõ pueros, nõ mulieres, non pu- Esaiæ 2. Esaiæ 42.

non publicanos, non peccatores, nõ meretrices. Quod morbi genus abominatus est? non leprosos, non dæmoniacos, non obnoxios profluuio sanguinis, nõ paraliticos. Quid mansuetius ea uoce, quam ex ipso audistis? Venite ad me omnes q laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: iugum enim meũ suauc, & onus meum leue? Discite à me quod mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris? Quæ mater unquam sic amauit, sic tulit, sic fouit filios suos, ut ille discipulos? Ad hæc Mosi lex, nec erat data
Lex noua. populis omnibus, nec seculis omnibus. Christi lex, ut est omnibus gentibus prodita, ita nullis seculis mutabitur usq; ad finem mundi. Considerate & hic q̃ sibi consentiant omnia. Primum q̃p diluãde præanuerit uo
Hieremiæ bis Hieremias, cessaturam circunciſionem corporis
quarto. unà cũ uictimis, sabbatismis, obseruationibus dierum, discriminibus escarũ, ieiunijs, uotis, cæterisq; ceremonijs, ad tempus in hoc datis, ut crassis Iudæis essent figuræ rerum spiritualium: Nouate, inquit, uobis nouale, & nolite serere super spinas, circuncidimini domino, & auferte præputia cordiũ uestrorum uiri Iuda & habitatores Hierusalẽ. Rursus alio quodam in loco dicit idem propheta: Ecce dies uenient, dicit dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundũ pactum, quod pepigi cum patribus uestris. Mox adijcit manifestum discrimen inter legem illam asperam & importabilẽ, quæ merito fuit inscri

pta sa-

pta saxis, sua duritie duritiem cordis Iudaici repræsentantibus: & inter legem Euangelicam, qua per fidem gratis offertur innocẽtia. Hoc, inquit, erit pactũ, quod feriam cũ domo Israël. Post dies illos dicit dominus: Dabo legem meam in uisceribus eorũ, & in corde eorum scribam eam. Mox docet & legis umbras cessaturas prodita ueritatis luce: Et non docebit ultra uir proximum suũ, & uir fratrem suũ, dicens: Cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usq; ad maximum, ait dominus, quia propitiabor iniquitati eorũ, & peccati eorũ non recordabor amplius. An non meministis Christum his consentanea loquentem ac facientem, quũ adhuc uiueret? Nónne palàm uetustæ legis finem denunciauit, quũ diceret: Lex & prophetæ usq; ad Ioannẽ? Iudæi Hierosolymis adorabant. Sed quid dicebat mulieri Samaritanæ? Venict tempus, & nunc adest, quũ nec Hierosolymis, nec in hoc monte adorabunt patrem, sed in spiritu adorabunt eum. Nónne tacite legem abrogare cœpit, quũ sabbatis sanaret, frustra reclamantibus phariseis, quũ discipulos sabbato uellentes spicas tueretur aduersus illorũ calumniam: quum ijsdem aduersus phariseorum calumniam, quod nõ ieiunarent, patrocinaretur? Sed multo magis quũ absq; ceremonijs leprosum sanaret, & quod lex uetat, de lepra damnatum à sacerdotibus contingeret: quum paralytico, quũ peccatrici, quæ irrupit in conuiuium, cæterisq; nonnullis, absq; legis remedio

peccata

peccata cõdonauit? Lex enim iusserat holocaustomata offerri pro peccatis, certisq; uictimis ac muneribus expiari culpam admissam. At Christus nouator uetustæ legis pro holocausto supposuit charitatem. Dimissa sunt, inquit, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Supposuit pro uictima fiduciam: Confide, inquiens, fili, remittuntur tibi peccata tua. Quin & manifestius etiam quodam tempore discreuit uobis utriusq; legis discrimen: interdicens diuortium, quod Mosi lex concesserat: prohibens iurare, quod non prohibuerat lex prior: iubens etiam inimicos diligere, quum uetus lex permitteret & odisse & ulcisci inimicum. Nónne semel totam autoritatẽ abrogauit sacerdotibus, scribis & pharisæis, qui crassam legem adhuc mordicus tenerent? Sinite, inquit, illos, cæcæ sunt duces cæcorũ. An non & hoc prædixerant prophetæ, carnalia cessura spiritualibus? Nõ recordamini quid scripserit prophetа Daniel? Vt cõsummetur, inquit, præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iusticia sempiterna, & impleatur uisio & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Quum auditis consummari prophetias, nimirum intelligitis iam non oportere expectari quæ peracta sunt: quũ auditis iusticiam sempiternam, intelligitis iusticiam legis temporariam abrogatam. Quũ auditis ungendum Messiam, qui sanctus est sanctorũ, solus sanctificans uniuersa, uidelicet intelligitis cessaturam corporalẽ unctionem

ac legale

ac legale sacerdotium cum suis uictimis antiquandũ. Iesus enim nunquam unctus fuit sacro illo unguento, quod lex religiose docuit conficere, mortem minitans his, qui eam confectionem fuissent imitati, aut in profanos usus accommodassent. Nec enim quicquam ad rem sacerdotũ facit unctio corporis, nisi quod signũ erat unctionis spiritualis, qua unctus est Christus. Quẽ admodum modo retuli ex prophetia: Spiritus domini super me, eo quod unxerit me. Cui cõcinit psalmographus, de Messia loquens: Propterea unxit te deus, deus tuus oleo læticiæ, præ consortibus tuis. Quod prophetа promisit, uidistis peractum, quum Iesus baptizaretur in Iordane. Spiritus enim uisibili specie descendit in illius uerticem, & uox patris audita est, qui filium unxerat oleo læticiæ, supra prophetas ac patriarchas, imò supra mortales omnes, qui uel fuerunt unquam, uel sunt, uel futuri sunt. Hæc unctio cœlestis ac spiritualis finem imposuit sacerdotio Mosaico, quod mox Daniel dilucide subijcit: Et in dimidio, inquit, hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Nec aliud sibi uoluit deus loquens per Esaiam, ueluti fastidiens illorum corporales uictimas: Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum, dicit dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinẽ uitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Iam Daniel nónne palàm prædixit subuersionem urbis Hierosolymæ cum suo templo? Nónne idem suis discipu-

lis uaticinatus est Christus, lachrymis obortis deplorans ciuitatis ac gentis calamitatem? Iam enim pigebat deum, qui spiritus est, inhabitare templum manibus hominum extructum: nõ delectabatur uictimis pecudum. Aliam ciuitatem desiderabat, cui uere competeret illud nomen Hierusalem: aliud templum ipso dignum, ab ipso conditum, ipsius spiritu consecratum: alias uictimas, aliam gentem animo circuncisam, in quam uere congrueret nomen Israëlis. Nihil autem perpetuũ, quod est uisibile corporeis oculis. Quæ non uidẽtur æterna sunt, & ob hoc digna deo, qui est ipsa æternitas. Sed tamen hæ rerum uisibilium umbræ datæ sunt ad tempus rudi crassoq; populo, ut aliquando per hæc rudimenta proficerent ad ea quæ sunt animi. Cæterum qui uetustæ legis fastidiebat & ciuitatem & tẽplum & gentem & uictimas, qualia post optaret, satis euidenter declarat apud prophetas: An non legistis quod scripsit Esaias de spirituali Hierosolyma? Post hæc, inquit, uocaberis ciuitas iusti, urbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iusticia. Auditis nouam structuram ciuitatis, quæ est ecclesia, è uiuis lapidibus constructa: cuius angularis lapis, & cuius fundamentum est ipse Christus. Lapidem hunc designauit prophetia psalmi mystici: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & audistis ipsum Christum, huius scripturæ testimonium obijcientem phariseis, qui conabantur reijcere la

re lapidem quem deus elegerat. Huius meminit & alius propheta: Ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum, in fundamento fundatum. Et huic prophetiæ nónne concinebat oratio Christi, quum uiueret, quum proponeret parabolam de domo superstructa solidæ petræ, quam nullus uentorum aut fluctuum impetus potuit loco conuellere, nimirum se fundamẽtum designans ecclesiæ: aduersus quẽ nec portæ inferi prævalent, quemadmodũ aliquado Petro discipulo suo pollicebatur. Solomon ædificauit templum Hierosolymis iuxta præscriptum Mosi. Sed quemadmodum ille rex pacificus gerebat imaginem Messiæ, qui perpetuam pacem sarsit inter deum & homines, ita templum illud opera constructum humana, figuram habebat templi, cuius opifex fuit ipse Christus: quemadmodum olim dominus loquutus est per Nathan ad Dauid, sicuti legitis in secundo Regum libro: Tu non ædificabis mihi domum ad habitandum, sed suscitabo semen tuum post te, qđ egredietur de utero tuo, ipse ædificabit domũ nomini meo: & stabiliam thronum eius usque in sempiternum. Porrò hæc quæ dicta sunt à propheta, non cõuenire in Solomonem: uel illud palàm arguit, quod in throno Solomonis, iam nunc sedent alienigenæ, ac breui tota gens Iudæorum in omnes nationes spargenda est. Domus illa, quam Hierosolymis extruxit Solomon erat operosa lanienis, fumis, lotionibus, ac suffitibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tumultuosa. Cæterum hæc domus quã ædificauit Christus, inuisibili fide cõmendatur, quæ finem nescit. Sic enim eodem in loco loquitur propheta: Et fidelis erit domus tua & regnum tuum usque in æternum, ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Hæc promissa uanissima sunt, si de Solomone, seu Dauid iuxta literam accipiantur. Dauid enim regnum suum fœdauit adulterio iuncto homicidio, & Solomon usq; ad idolorum cultum, fœminarum amoribus pertractus est. Considerate iam quomodo uerba Nathan consentiant cum uerbis Esaiæ. Vocaberis, inquit, ciuitas iusti, urbs fidelis. Nullus autem extitit hominum præter Christum, qui pure iustus dici potuerit: non solũ immunis ab omni contagio peccati, uerumetiam talis, ut per hunc omnes iustificẽtur. Quid autem exigit Christus à suis, nisi fidem? Et ideo suam ecclesiam, quæ nescit opera legis, urbem fidelem dixit, totam ipsi uni innitẽtem. Hanc cum auditis redimendam in iudicio, uidetis sublatam legalium ceremoniarum fiduciam. Deus enim non iudicat ex operibus, sed ex fide: non ex cibo aut potu, non ex ueste aut ocio, sed ex animi pietate. Hoc est autem iudiciũ, quod qui crediderint Christo, per illius mortem, qui pœnam dependit pro omnibus, redimentur à peccatis suis: & per illius iusticiam iustificabuntur, principis sui uestigijs ingredientes. Habetis ciuitatem ac templũ spirituale, quod digitis ostẽdi non potest, sicuti nec rex & opifex ipse, quẽadmodum

dum ipse docuit, quum uiueret. Cũ dixerint: Eæ Christus hic, eæ illic, nolite credere. Iudæi gloriãtur in mõte Sion, qui templum sustinet: post hæc erit spiritualis Sion, substollens animos credentium à cupiditate rerũ terrenarum, ad studium rerum cœlestium, de quo uaticinatus est uobis Esaias, dicens: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium, & eleuabitur super omnes colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem domini & ad domũ dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & uerbum domini de Hierusalem. De hoc monte spirituali frequenter meminit & Dauid: Qui confidunt in domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. De hoc templo, quo nunc superbiunt Iudæi, mox demoliendo, prædixit & Christus: Relinquetur, inquit, domus uestra deserta. Atq; id futurum cõminatus fuerat ante deus Solomoni: quemadmodum legitis libro Regum tertio: Et templum quod significaui nomini meo, proijciam à conspectu meo, eritq; Israël in prouerbium, & in fabulam cunctis populis: & domus hæc erit in exemplum. Omnis qui trãsierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: Quare fecit dominus sic terræ huic & domui huic? Et respondebunt: Quia dereliquerũt dominum deum suũ. Hæc est enim illa domus exasperatrix, cum qua toties apud

Universidad de Deusto Biblioteca

prophetas rixatur deus, quæ usqueadeo defecit à deo suo, ut unicum filium eius in crucem suffixerit. Quin etiam pro populo carnali duræq; ceruicis, propheta pollicetur populum pacificum & obedientem usq; ad mortem. Sic enim loquitur Esaias: Et conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Nõ leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad præliũ. Domus Iacob, uenite & ambulemus in lumine dei nostri. Nónne concinnunt his quæ promisit Christus, se de lapidibus suscituturũ filios Abrahæ, quumq; se uocaret lumen mundi, quem qui sequeretur, non ambularet in tenebris: quum in eos torqueret illud Esaiæ: Populus hic labijs me honorat, cor autem longe est à me. Nouum autem populum sibi promittit per Osee, populum nõ iactantem opera sua, sed agnoscentem dei misericordiam. Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus uos, dicetur eis filij dei uiuentis. Ac rursum: Et miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia, gentium populum significans, qui cum antehac seruierit idolis, mox accepturus est doctrinã Euangelicam, à Iudæis repudiatam: de quo prædixit & psalmographus: Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Nónne Christi oratio cõsentiebat cum hac prophetia, quum diceret? Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere? Nimirum nouatum sacerdotium, & regnum nouat omnia. Nouum autem sacerdotem

Synagoga repudiata.

dotem promiserant prophetarum oracula. Sic enim habet psalmus mysticus: Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Melchisedec sacerdos & rex, sacerdos dei altissimi, non enim ex lege institutus: rex salem, hoc est, rex pacis, Christum denotabat, qui nec initium habet, nec finem est habiturus. Is non per sanguinem uitulorum aut hircorum, sed per proprium sanguinem ingreditur sancta sanctorum, intercessurus pro peccatis totius mundi. Hoc sacrificium peregit in ara crucis, purissimam uictimam offerẽs semetipsum deo patri. Nimirum hunc sacerdotem deus olim promiserat Heli morituro. Suscitabo, inquit, mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meum faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christis meis cunctis diebus. Nimirum hoc est qd̃ uobis promisit ipse Christus: Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Iam pro laniena sacerdotum legalium, quod genus sacrificij successurum sit nõ tacuit propheta. Dicit enim afflatus psalmista: Sacrifica deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua: inuoca me in die tribulationis, & eruam, & glorificabis me. Rursus ibidem: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, ut ostendam illi salutare dei. Et alibi: Sacrificate sacrificium iusticiæ, & sperate in domino. Triplex audistis sacrificium, precationum, siue uotorum, de quo docuit uos Christus: Quic-

quid petieritis patrem meum in nomine meo, dabit uo bis: Laudis, quod satis constat illum solenniter peregis se, frequenter gratias agentem patri. Iusticiæ, quæ præ stat innocenti uim uitæ, & erga egentem charitatis ob sequia. Huius ipse uobis perfectum exemplar præbu it, animam suam impendens seruandis ouibus, solus re pertus inter homines, in quo dolus non esset. Docuit et hoc ex propheta: Ite, inquiens, & discite quid sit: mise ricordiam uolo, & non sacrificium. In templo igitur spirituali, sub sacerdote summo Christo, non iam exhi bebitur uisceratio è carnibus uitulorum, hircorum, aut ouiũ, sed ex precioso corpore & sanguine Iesu Chri sti, quod semel immolauit, ut à Christis ipsius, subinde sumi possit spiritualiter, grata cõmemoratione sibi quo dammodo renouantibus mortem sui pontificis. Nimirũ hæc est uictima, quæ mox toto in orbe offeretur à no uis sacerdotibus, quos unxit deus, de qua prædixit Ma lachias: Non est mihi uoluntas in uobis dicit dominus exercituum: & munus non accipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est no men meũ in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda. Hoc est quod præ dictum est & Heli sacerdoti, futurum ut quisquis ue niret in templum nouum, diceret: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam bucellã. Hoc est sacrificium, quod Christus in cœna paschali tradidit discipulis suis, porrecto illis pane, quem dice

bat

bat esse corpus suum: & poculo, quod dicebat esse san guinis sui, per quem consecrabat illis nouum testamen tum, hoc est, fœdus amicitiæ nunquam intermorituræ. Hæc si non uidistis ipsi, certe à duodecim illius audi re potuistis, per quos uoluit hoc quod gestum est ad omnes peruenire. Quemadmodum Christus è cœlo p fectus omnia carnalia uertit in spiritualia, ciuitatem, templum, sacerdotium, uictimas, ita regnum quoq; no uum esse uoluit: & ob id uocare solitus est regnũ cœ lorum, ne quid expectaretis tale, qualia uidetis in re gno mundi. Quanquam enim ille dominus erat omni um, etiam antequàm descenderet in terras, tamen erat spirituale regnum, quod ut assereret patri factus est il li obediens usq; ad mortem crucis. Sic enim ille deui cit aduersarium, sic liberauit populum suum, sic uin dicauit, propagauit, & constabiliuit regnũ patri suo. Ac sanè regis ducisq; titulo propheta promisit Mes siam, sed huius duplicem designant aduentum. Priorẽ, quem ipsi uidistis, humilem ac placidum. Venit enim sanaturus, non ulturus. Veniet autem in fine mundi cũ maiestate, cinctus multis angelorum milibus, iudicatu rus uiuos & mortuos. Nũc autem quoniam uenit hu milis ac placidus, multi sunt offensi, adeo ut duode cim etiam illi, quos ex omnibus uelut fidissimos dele gerat, territi metu diffugerint, quidam etiam ipsum ab negarit. Atqui si scripta prophetarum cum his quæ ge sta uidistis, diligenter conferretis, non esset cur offende

remini, sed esset cur agnosceretis, eum qui talis uenit, qualis promissus est: cõsiderate quid dicat Zacharias: Ecce rex tuus ueniet tibi iustus, et saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filiũ asinæ. Qui sic uenit, non uenit bellaturus, sed dissipaturus bella mundi, quæ gerũtur sub uexillis satanæ. Subijcit enim propheta: Et dispergã quadrigã ex Effraim & equũ de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usq; ad marc. Vidistis illum hac pompa ingredientem Hierosolymã, ut regna mũdi derideret, ut uos prophetiæ cõmonefaceret. Iam illud animaduertite, an aliũ illum promiserit Esaias: Quia, inquit, omnis uiolenta prædatio cum tumultu, & uestimentum mixtum sanguine erit in combustionẽ, & cibus ignis. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomẽ eius admirabilis. Consiliarius, deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperiũ, & pacis nõ erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, ut conseruet illud & corroboret in iudicio & iusticia. Quum auditis regnum & principatũ humero impositum, nónne palàm auditis regnum crucis, quam Christus baiulauit, debellaturus potestates aëris? Quum auditis principẽ pacis, nimirũ intelligitis regem beneficijs allicientẽ, non ui metuq; cogentem: quum auditis patrem futuri seculi, perspicitis dissimilem

lem huius seculi principibus. Nec alium describit illũ alio quodam loco: Et percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iusticia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, pardus cum hedo accubabit, cæteráque quæ sequuntur, multum ab armis ac bellis principum dissonantia. Nunc audite, quid ipse de se prædicat in psalmo mystico: Ego autem cõstitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Nónne palàm expressit regnum Euangelici sermonis? Nimirum hic est gladius, de quo meminit alter psalmus: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede et regna, propter ueritatem & mansuetudinem & iusticiam. Quis autem audiuit regem forma corporis feliciter rem gessisse, aut mansuetudine sibi parasse regnum? Sed hæc erat gratia diuini sermonis, qua uidistis Iesum hominum multitudinem ad se pellicere, hæc erat ueritas, cui pharisæi toties frustra conati sunt reluctari. Talis erat gladius, quem moriturus ut apostoli sibi pararent, admonuit, de quo prius dixerat, negans se uenisse in terras, ut mitteret pacem, sed gladium. Tales sunt & sagittæ potentes acutæ, quibus configit prauas hominum cupiditates, quibus occidit auarum, & excitat beneficum: quibus interficit idololatram, & excitat professorem Euange

lice

licæ pietatis, quibus interimit ferocem ac uindicem, & suscitat mansuetum ac mitem: quibus prosternit superbum, & erigit modestum. Vultis intelligere regni genus? Videte quales delegerit suæ ditionis ministros, ac propagatores. Tenues, humiles, idiotas, nec opib⁹, nec armis, nec commeatu, nec ullis huius mundi præsidijs instructos aduersus pharisæorum insidiosam maliciã, aduersus principum potentiam, aduersus philosophorum superbiam. Et per hos duces debellaturus est uniuersa mundi regna: non alia panoplia, quàm galea salutis, quæ est recta intelligentia sacræ scripturæ: scuto fidei, quo protegente deo, tuti erũt aduersus omnes impiorum assultus: lorica iusticiæ, ex omnibus uirtutibus Euangelicis contexta: baltheo castitatis, calceatu Euangelico, qui est animus purus ab omnibus terrenis affectibus. Sed super omnia gladio spiritus, qui est sermo diuinus. Sic uisum erat deo, ut per imbecillitatem filij ostenderet suam uirtutem, per stulticiam prædicationis declararet suam sapientiam, per ignominiam crucis illustraret suam gloriam. In his interim situm est regnũ Euangelicum, donec in fine mundi proferet sese maiestas Christi, deposita humilitate, ac piorũ felicitas, nullis afflictionibus inquinata. Et tamen hæc humilitas habet spirituale robur, efficax & idoneum ad deijciẽdas omnes substructiones, erigentes sese aduersus dei gloriam. An quicquam uidistis Christo lenius, humilius, pauperius, mansuetius, popularius, & longius semotũ

ab omni regni specie? Et tamen quid regalius, quàm uerbo eijcere spiritus impios: dicto sedare uẽtos ac fluctus: contactu sanare leprosos: simplici iussu pellere morborum omne genus? Quoties euasit per mediũ Iudæorum, machinantium illi mortem? Capi se passus est, sed ad huius uocem conciderunt in terram armati satellites. Mortuus est in cruce, sed quid hac morte potentius? quæ concussit elementa mundi, quæ solem obscurauit, saxa discidit, monumenta aperuit, mortuos excitauit? Nihil illius natiuitate humilius, sed tamẽ hic quoq; statim emicabant argumenta dissimulatæ sublimitatis. Nascitur ex uirguncula, sed opificio spiritus diuini. Reclinatur in præsepi, sed angeli canunt: Gloria in excelsis deo. Puer uagit in cunis, sed trepidat Herodes rex: adorant Magi. Hæc adhuc nõ ita multis nota, olim per uniuersum orbem prædicabuntur. Huiusmodi præsidijs instruet & apostolos suos. Quod si scripturas attentè legeritis, & cum his quæ uidistis & audistis cõtuleritis, nõ potestis dubitare quin ille sit Christus, qui promissus est, sacerdos, rex, & seruator totius orbis, post quem non sit expectandus alius. Reputate quæso cum animis uestris totam illius ætatem, quã partim spectastis oculis, partim ex cognatis ac familiaribus cognoscere potuistis. Nihil reperietis quod nõ fuerit & figuris ueteris testamenti designatum, & à prophetis prædictum. Promissus erat ex stirpe Dauid, é q; tribu Iuda, ex oppido Bethlehem. De loco natali uide-

te an obscure uaticinatus sit Micheas: Et tu Bethlehem Effrata, paruulus es in millibus Iuda: Ex te egredietur qui mihi sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Hoc futurum antequam fieret intelligebant scribæ, qui sciscitanti Herodi inconstanter responderunt: Messiam in ciuitate Bethlehem nasciturum. Atq; hic constat Iesum per occasionē Cæsareæ descriptionis esse natum. Rem nobilitauit Herodis sæuitia. Scitis autem illum uulgo non Bethlehemitam, sed Nazarenum habitum, & Galilæum, quod in Nazareth educatus sit, usq; ad adultā ætatem, illicq; unà cum parentibus diu uersatus, adeo ut & crucis titulus inscriptionem habuerit Iesu Nazareni. Nec istud quidem indictum est prophetis, qui subinde notant eū nomine sancti, & sancti sanctorum quod esset unice consecratus domino, non tantum iuxta legem communem primogenitis masculinis, secundum quā & ipse delatus est in templum à parentibus, ac domino consecratus, uerumetiam peculiari quadam prærogatiua supra mortales omneis. Videbat hunc Nazaræum Iacob oculis corporis cæcutiens, sed oculis fidei perspicax, quum benediceret Ioseph, qui Christi typum gerebat. Fiant, inquit, in capite Ioseph, & in uertice Nazaræi inter fratres suos. Quicquid enim lex Mosaica iuxta carnem præscribit de Nazaræis consecrandis, hoc iuxta spiritualē intelligentiā in Christo cōpletum est. Quid aūt deus sic loquitur in psalmis: De fructu uentris tui

tui ponam super sedem tuam. Rursus ante hunc Esaias: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini. Constat autem Mariam fuisse de tribu Iuda ac familia Dauid: nec hoc latuit pharisæos, qui rogati à Iesu, prius quàm paterentur, cuius filius esset futurus Messias, incontanter responderunt: Dauid. Propheta prædixit eum nasciturum è uirgine. Sic enim uaticinatus est Esaias: Propter hoc dabit dominus ipse uobis signum: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Prædixit idem tectius Daniel, enarrans quid sibi uellet lapis abscisus de monte sine manibus, qui comminuit prodigiosam illam statuam, ex auro, argento, ære, ferro, luto q; conflatā: mox q; creuit in montem ingentem, qui spacio suo occupauit omnia regna mundi. Siquidem Christus citra uirilem operam natus de uirgine conteret omnia regna mundi, suaq; doctrina totum terrarum orbē occupabit. Nimirum hoc præsentiebat afflatus Ezechiel, quū describeret templi portam orientalem, per quam ingressa est maiestas domini, de qua sic loquitur: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & uir non transibit per eam: quoniā dominus deus Israël ingressus est per eā, critq; clausa principi. Quum auditis templum dei, agnoscitis uterum Mariæ spiritu sancto consecratum. Quum auditis portā orientalem, nónne agnoscitis claustrum uirginei pudoris, quod nec uir ingrediens, nec filius

dei

dei ingrediens aut egrediens uiolauit? Hæc est autem porta orientalis, de qua processit lux illuminatura mundum uniuersum. Hoc mysterium tametsi nondũ uulgatum est apud Iudæos, tamen ignotum non est his, qui cum Maria matre Iesu, cumq; huius sponso Ioseph familiariter uixerunt. Is enim adhibitus est testis certissimus huius arcani, quod suo tempore per orbem uniuersum celebrabitur, uirginem absque ullo exemplo, ex afflatu diuini spiritus peperisse puerum, utriusque naturæ, diuinæ & humanæ participem. Quod si uobis incredibile uidetur deum ex homine nasci, considerate quid prædixerit propheta Baruch de filio, quem deus, misertus humani generis, in hoc misit in terras, ut errantibus ac cœcutientibus ostenderet uiam salutis. Hic est, inquit, deus noster, & nõ æstimabitur alius absq; eo. Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus uersatus est. Daniel autem etiam natiuitatis tempus supputatũ hebdomadibus indicat, si quis curiosius excutiat. Sed multo ante hunc patriarcha Iacob, iam morti uicinus, & afflatus fatidico spiritu, uaticinatus est hunc in modum: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Iam Iudæorum omnis regio Romanis Cæsaribus seruiebat. Iudæa regem habebat Herodem alienigenam. Ea res satis arguebat iam uenturũ

Baruch 3

Daniel. 9

Messiam,

Messiam, si quis scrutatus fuisset prophetias. Quod autem adiecit: & ipse erit expectatio gentium, quanq; olim erit dilucidius, tamen iam tum in ipsa natiuitate patuit. Mox enim à partu uirginis, accurrunt ductu stellæ tres magi cum muneribus, nouum regem adoraturi. Nec hoc futurum tacuerat uox prophetarum, sic enim ait Esaias: Anteq; sciat puer reprobare malum & eligere bonum, accepiet spolia Samariæ et Damasci aduersus regẽ Assyriorũ. Dum enim puer adhuc tres magos ad se pertrahit stellæ ductu, & ex idololatris facit adoratores regis regum, nónne accepit spolia Samariæ, quæ cultura simulacrorum infamis erat? Damascus enim olim Arabiæ deputabatur, anteq; ex distinctiõe Syriarũ transscriberetur in Syrophœniticen. Abundat autem Oriens odoribus, unde ex suis opibus magi deprompserunt thus & myrrham: deprompserunt & aurum, de quo nec prophetia tacuit. Sic enim loquitur Esaias. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem domino annunciantes. Meminit & psalmi prophetia: & dabitur illi de auro Arabiæ. Rursus alibi: Reges Arabum, & Sabæ dona adducent. Nam in illis regionibus plerunq; rerum summa penes magos, hoc est, sapiẽtes esse solet. Porrò nomine regis Assyriorum denotatus est rex impius Herodes, qui ad nunciatum Messiæ exortum perturbatus est, & à Magis elusus. Sequuta est cædes infantiũ in finibus Bethlehemiticis, nec hoc tacuerunt prophe-

Esaiæ 7.

Esaiæ 60.

Hier. 31. tiæ, sic enim cecinit Hieremias: Vox in excælso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis cõsolari super eis, quia nõ sunt. Sic enim expressit lamenta matrum deplorantium lanienam infantium suorum. Porrò locum obscure denotauit nomine Rachel, cuius sepulchrum haud procul abest à Bethlehem. Angeli admonitu subductus est in Aegyptum, rursus illinc reductus est eiusdem angeli admonitu, nónne prædixerat & hoc Oseæ prophetia? Ex Aegypto uocaui filium meum. Iam antequàm auspicaretur prædicandi munus à patre delegatum, nónne præcursor Ioannes testificatus est illum mox aduenturum, & iam uenientem digito commõstrauit populo Iudæorum? An non id quoque futurum dilucide prædixerat Esaias? Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite in solitudine semitas dei nostri. Certe uidistis Ioannem in deserto prædicantem, audistis hoc uaticinium de se prædictum agnoscentem. Ac ne de baptismo quidem tacuit prophetia. Iam quod prædicationem suam auspicatus est, non Hierosolymis, sed in Galilæa, nónne satis diluãde præ
Esaiæ 9. dixit Esaias? Terra Zabulon, & terra Neptalim, iuxta uiam maris trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Cõstat autem Capernaum, ubi primum habitabat Iesus quum prædicaret, esse in confinio Zabulon & Neptalim, ciuita-

lim, ciuitatem littoralem. Nec dissimulatum est doctrinæ genus, quo frequenter apud populum utebatur, parabolarum ænigmatis inuolucris sententiam. Sic enim habet psalmus Azaph: Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Porrò fore, qui doctrinæ ipsius reclamarent, omnia tum dicta tum facta illius calumniantes, prædixit Esaias: Audite audi- Esaiæ 6.
entes, & nolite intelligere: & uidete uisionem & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eũ. De his queritur & alibi. Domine quis credidit auditui nostro? Quin etiam de miraculis quæ uidistis eum ædentem, nónne palàm prædixerant oracula prophetarum? Nónne sic loquitur Esaias? Vere languores nostros ipse tulit, Esaiæ 53.
& dolores nostros ipse portauit. Quod enim malignus ille non profligauit à miseris? Rursus idem apertius etiam ita prædicat: Dicite pusillanimes, & nolite Ibidem 35.
timere. Ecce deus uester ultionem adducet retributionis, deus ipse ueniet, & saluabit uos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. An non uidistis oculis uestris hæc, & his etiam maiora patrantem IESVM? Audistis ipsum agnoscentem hanc prophetiam de se proditam, quum ab Ioanne missi discipuli percontarentur eũ, utrum ipse

esset expectatus ille Messias, an alius esset expectandus, respondit: Euntes, inquit, renũciate Ioanni, quæ audistis & uidistis: Cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur. Quod autem his tantis beneficijs magis essent exacerbandi synagogæ principes, nónne pulchre depinxit Esaias sub parabola uineæ, quæ plurimis officijs prouocata, non respõdit cultori suo.

Esaiæ 5. Expectaui, inquit, ut faceret uuas, & fecit labruscas. Expectaui ut faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iusticiam, & ecce clamor. An non respondet oraculo prophetico parabola, quam audistis ex ipso Iesu, de uinea septa turri, ac torculari lacuq; instructa, quæ uitio colonorum non reddidit fructum domino suo? Idem notabat ficus illa, quæ nec stercoratione admota cœpit esse frugifera. Nec aliud sibi uolebat parabola de semine proiecto in terram malã. Cõquestus est idẽ

Esaiæ 65. & aliâs in prophetis: Expandi tota die manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Virtuti inuidebant potentes, calumniantes ea miracula geri præsidio Beelzebub. Cæterum corporis imbecillitas, humilitas conditionis, & afflictiones, quas perpessus est, offenderunt infirmos, tametsi non malos. Quum enim caperetur à Iudæis, diffugerunt etiam illi duodecim electi. Videte an & istud siluerit propheta Za-

Zach. 9. charias: Percutiam, inquit, pastorem, & dispergentur oues gregis. Accinit huic psalmus 87. Longe feciſti notos

notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. Nónne Petrus cum detestatione abiurauit dominum suum: cæteris idem facturis, si ingruisset simile periculum? Atque id fore prædixerat Christus priusquàm fieret. Proditus est à Iuda, q fuit unus è numero duodecim. Considerate, an non & illud prædixit psalmus fatidicus: Quoniam, inquit, si inimicus meus maledi- Psal. 114.
xisset mihi, sustinuissem utiq;: & si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscõdissem me forsitan ab eo. Tu uero homo unanimis, dux meus, & notus meus. Iam si didicistis, quod Christus Iudam ad se ucnientem, ut osculo fallaci proderet dominum militibus, sic affatus sit: Amice ad quid ueneisti? Osculo filium hominis prodis? nónne palàm exprobrauit illi prophetæ uaticinium? Ducem eum uocat, quod hic uideretur apostolis quodammodo præfectus, quum huic esset mandata cura rerum gerendarum. Rursus alius psalmus dicit etiã dilucidius: Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ. Huic uero prophetiæ uidete q̃ congruant uerba Christi, quæ de proditore loquutus est discipulis in extrema cœna: Qui comedit, inquit, mecum panem, leuabit contra me calcancũ suum. Rur- Psal. 37.
sus dicit alius psalmus: Amici & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Item alius: Psalmo 54.
Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. An non est sermo oleo mollior: Aue rabbi: dictus

ctus cum osculo? An non iaculum erat toxico lœtali infectum: Ipse est, tenete eum? Ex ipsius apostolis audire potuistis, & si nondum audistis, licebit discere. Iudas stipulatus est à pontificibus & primoribus triginta argenteos, qua funesta pecunia mox emptus est ager ad sepulturam pauperum. Vtrunq; prædixit propheta. De precio sic uaticinatus est è uatibus quidam: Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerũt ex filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli. His ita peractis, Iudas sero pœnitens suspendit sese, minuens numerum duodecim electorum, ac locum faciens in album apostolorum surrogando. Nec hoc tacitum est à prophetis. Sic enim habet psalmus mysticus: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiet alter. Impium autem illud concilium de occidendo Iesu celebratum in domo Caiaphæ summi pontificis per scribas, pharisæos, primores, & his iuratos populares, uidete an non hoc etiam uaticinio psalmi proditum sit, qui dicit: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Auditis gentes & scitis per cohortem Pilati crucifixum: auditis populos, & agnoscitis Iudæorum promiscuam multitudinem clamasse: Crucifige, crucifige. Auditis reges, & agnoscitis Pilatum Cæsaris nomine præfectum

Zach. 11.

Psal. 108.

ctum Iudææ, cuius sententia damnatus est Iesus. Auditis principes terræ, & intelligitis primores Iudaici populi, qui nõ intelligentes legem spiritualem, terrena quærebant: & dum ab his auelli nolunt, cœlorum regem occiderunt. Comminatur his & Esaias: Væ, inquit, animæ ipsorum, quia cogitauerunt cogitationem pessimam aduersus scipsos, dicentes: Alligemus iustum quia inutilis est nobis. Ductus est ueluti reus in iudicium. Dixit & hoc Esaias: Stat ad iudicandum dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus in iudicium ueniet cum senioribus populi sui & principibus eius. Iudicatus est Iesus in domo Caiaphæ à primarijs sacerdotibus, scribis, pharisæis, & populi primoribus. Rursus apud prætorium præsidis, populi clamore condemnatus est: Tolle, tolle, crucifige. Sed dum iudicatur dominus, ipsi iudicati sunt, prodita modis omnibus illorum detestabili iniquitate. In ipsos pronunciauit sententiam Pilatus: Ego immunis sum à sanguine iusti huius, uos uideritis. Ipsi aduersum se pronunciarunt, clamantes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Deplorat has impias aduersus Christum machinationes & Hieremias: Vidisti, inquit, domine iniquitatem illorum aduersum me, iudica iudicium meum. Vidisti omnem furorem eorum, uniuersas cogitationes eorum aduersum me, audisti opprobrium eorum domine, omnes cogitationes aduersum

sum me, labia insurgentiũ mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die, sessionem & resurrectionem eorum uidi. Nónne hic planè depingit consultantes sacerdotes & primores, quomodo Iesum dolo occiderent, uenantes falsa testimonia, quibus innocentem opprimerent, obijcientes blasphemiam præiudicio condemnantes eum, considentes ueluti iudices, rursus surgentes, ut eum accusarent apud præsidem. Scelerata sessio, sceleratior resurrectio. Quod autem illorum odio non suffecerit quæuis mors, sed delecta sit omnium probrosissima simul & durissima, testatur Hieremias Christi personam gerens: Tu autẽ domine demonstrasti mihi & cognoui, tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam, & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Siquidem hoc erat pharisæorum consilium, ut Iesu nomen accusati, damnati, inter notorios maleficos suspensi, aut prorsus aboleretur, aut inter execrabilia detestabiliaq; deputaretur. Iam illud in mentem ueniat, Christum hæc ante mortem prædixisse uobis, quod esset tradendus in manus gentium, quod reprobandus, quod illudendus, quod flagellandus, quod crucifigendus, & agnoscitis nihil horum temere, fortuitóue gestum. Apud Annam & Caipham Iudæi per falsos testes intenderũt illi crimen

Hierem. 11.

men blasphemiæ, quo non aliud est atrocius. Designatum est hoc in Ioseph, quem fratres inuidia coniurati detulerunt de crimine pessimo. Apud iudices aut nihil, aut perpauca respondit, quum nihil esset in eo criminis, quia mori decreuerat pro salute mundi. Putate hoc fortuito gestum, nisi palàm id prædixit Esaias: Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Huic ꝑ cõgruit psalmi uaticinium: Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones, quoniam in te domine speraui. Iam enim uenerat tempus ut semet ad omnem ignominiam exponeret, absolutum exemplum tolerantiæ suis æditurus: uinctus est, cæsus est alapis & colaphis, flagellatus est, consputus est. Ludibrij causa chlamydem purpuream indutus est, spinea corona coronatus, ab Herode spretus ignominiæ gratia remissus est in alba ueste, miserabili specie productus est ad populum, Barabbas illi prælatus est. Hæc quoniam uolens passus est pro salute mũdi iuxta prophetarum uaticinia, nõ debuit uobis gignere desperationem, sed potius addere spem. An non hæc deplorat Hieremias, dicens: Spiritus oris nostri, Christus dominus. Captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua uiuemus in gentibus. Audite rursus eundem la

Psalmo 37.

Tren. 4.

mentantem: Dabit, inquit, percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs. In concilio Iudæorũ alapa cæsus est à seruo pontificis. A cohorte Pilati & alapis & colaphis & arundine percussus est, nec repugnauit. Nunc audite psalmi uaticiniũ: Supra dorsum, inquit, meum fabricauerũt peccatores, prolõgauerũt iniquitatem suam. Concinit huic sacer Esaias: Dominus, inquit, deus aperuit mihi. Ego aũt non cõtradico, retrorsum non abij. Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas uellentibus, faciem meam nõ auerti ab increpantibus, & cõspuentibus in me. Iam quũ legitis eiusdem prophetæ uaticiniũ in alio loco, nónne uidemini uidere Christũ ipsum, flagellatũ, conspútum, coronatũ spinis, chlamyde amictũ, exhibitum populo Iudæorum ludibrij gratia? Sic enim scribit: Nõ est ei species, neq; decor. Et uidimus eũ, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectũ, & nouissimum uirorũ, uirum dolorum & scientem infirmitatem. Et quasi abscõditus uultus eius & despectus, unde nec reputauimus eũ: uere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eũ quasi leprosum & percussum à deo, & humiliatũ, ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus, proinde de se loquitur in psalmo mystico: Ego aũt sum uermis & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis. Nec de spinea corona silucerunt

Esaiæ 50.

Ibidem 53.

Psalmo 21.

luerunt scripturæ mysticæ. Siquidẽ primo Adæ dictum est: Maledicta terra in opere tuo. Quũ exercueris eam, spinas & tribulos germinabit tibi. Quod terra erat Adæ priori, hoc Iudaicus populus fuit Adæ secundo, tot modis culta, tot beneficijs lacessita, ut produceret fructũ bonũ, spinas produxit cultori suo. Christus aũt erat sponsus ecclesiæ, quemadmodũ audistis & Ioannem testificantem, filius aũt synagogæ parricidæ. Itaq; in mystico Epithalamio, pater euocat omnes ad hoc crudele spectaculum spõsi spinis coronati: Egredimini, inquit, filiæ Sion, & uidete regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit illũ mater sua, in die desponsationis illius, in die læticiæ cordis eius. Nimirũ ille sponsus erat uehemẽs amator, qui suo sanguine lauit sponsam suam, sibiq; uinculo indissolubili iunxit. Atq; hic erat ille desponsationis dies, quem desiderio desiderauerat, sic ut amanti omnis mora lõga uideretur. Quũ præses nihil non faceret, ut Iesum absolueret, principes Iudæorum unà cum populo parricidalibus & effratis uocibus succlamabant: Tolle, tolle: crucifige, crucifige. Vide q̃ hoc non tacuerit Hieremias, sub persona Christi loquens: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit contra me uocem. Quicquid autem in illum factum est per ignominiam, hoc ille uertet in suam gloriam. Herodes remisit illum ad Pi-

Cant. 3.

Hier. 12.

ad Pilatum, amictum alba ueste, & gentium populus amplectetur olim sacerdotem. Cohors militum induit eum chlamyde purpurea, addiderunt arundinem sceptri uice. Imposuerunt coronam è spinis contextam. Pij agnoscent & adorabunt regem suũ, etiam sic uincentem ac triumphantem. Colludunt Herodes ac Pilatus, Iesum inter sese ueluti sphæram mittẽtes. Sed interim fiunt amici, qui prius odio mutuo dissidebant, sic quoq; cõmendantes conciliatorem & pacificatorem omnium, quæ in cœlis, quæq; in terris, de quo uaticinatus est Iob: Dominus reconciliat corda principum terræ. Iam mihi rursum spectaculum illud cogitatione uobis renouate, quod nuper uidistis oculis, Iesum exeuntem ad supplicij locũ, & humeris suis baiulantem crucem. Nónne significarat hoc futurum, quum frequenter apud discipulos ac multitudinem diceret: Qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Videlicet hoc erat sceptrũ regis Iudæorum, hoc est, omnium confitentium: quod Esaias uidit olim in humeris eius, quum diceret: Et principatus eius super humerum eius. Huius typum exhibebat ante tot secula Isaac, fascem lignorum baiulans sibi mactando in holocaustum. Saluus est nobis Isaac, tantum aries mactatus est, hoc est, corpus Iesu, quod solum mori poterat, sed mox reuicturum. Occisus est autem extra ciuitatem. Significarat hoc futurum ipse Christus parabola de colonis, qui filium eiectum è uinea, occiderunt.

runt. Sed multo ante significauit hoc Moses, qui ut in Leuitico legitis, uitulum, qui immolabatur pro peccatis populi, iussit efferri extra castra, atque ibi comburi. An nõ extra Hierusalem, iuxta allegoriam exustus est Iesus, qui totus accensus inæstimabili charitatis igne erga genus humanum, semet totum impendit? Quum uideretis Iesum pendentem in sublimi ligno, nónne uobis ueniebat in mentem serpens ille mysticus, quem olim Moses suspendit in stipite, saluti futurum omnibus morsis à serpentibus, si modo in eum intenderent oculos? Oculus hominis est fides. Hunc quisquis intenderit in Iesum crucifixum, ilico saluus erit. Prædixit autem Moses & illud futurum, ut Iudæi conspicantes Iesum pendentem in cruce, qui sua morte uitam dabat omnibus, non crederent tamen illi. Sic enim loquitur in Deuteronomio: Et erit uita tua pendens coràm oculis tuis. Timebis nocte & die, & non credis uitæ tuæ. Vidistis pendentem inter duos latrones medium, & nõ agnoscitis prophetiam quæ dixit: Et cum iniquis deputatus est? Vidistis medio die noctem subito obortam ab hora sexta usque ad horam nonam. Christus ipse se prædicauit esse lucem mundi, & significauit instare noctem, quum tollendus esset è mundo. An non hoc dilucide prædixit Amos? Et erit in die illa, dicit dominus: Occidet sol meridie & tenebrescere faciam terram in die luminis. Nec tacuit hac de re Zacharias, quũ ait: Et erit in die illa, nõ erit lux

Deuter. 28.

sed

sed frigus & gelu, & erit dies una quæ nota est domino. Non dies, neq; nox, in tempore uesperi erit lux. Erat dies notus domino, quem Iudæi non agnouerunt. Dies non erat, quia sub meridiem nox oborta est: non erat nox, quoniam ab hora nona redijt lux. Frigus autem & gelu erat in animis discipulorum diffugientiũ ac desperantium, inter quos erat Petrus qui dominum etiam abiurauit, dum frigore correptus ad impiorum prunas calescit. Cõferte iam quæ facta sunt Christo in cruce pendente, sitienti porrectum est uinum myrrhatum & acetum, quemadmodum & in crucem tollendo obtulerant uinũ myrrhatum. An nõ istud perspicue prædixit psalmi uaticinium: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerũt me aceto. Audistis pharisæos ac primores uelut uictores insultantes pendẽti, & inter cætera conuicia hoc quoq; objicientes: Dixit se filium dei, confisus est in domino, liberet eum nunc si uult eum. Videte quàm uaticinium psalmi non solum rem ipsam prædixerit, uerumetiam ipsa impiorum uerba retulerit: Ego autem, inquit, sum uermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes uidentes me deriserunt me, loquuti sunt labijs & mouerunt caput. Sperauit in domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum. Vidistis agnũ ab Esaiæ prædictum, obmutescentem ad omnia probra, atq; etiam deprecantem pro mortis autoribus, dum clamaret: Pater ignosce illis, nesciũt quid faciunt. Iam uidete an non

non & hoc prædixerit: Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederũt me, & expugnauerũt me gratis. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Vidistis eum clauis affixum cruci, nudũ pendere distento corpore. Audite nunc uaticinium dilucidum: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Vidistis milites inter se partientes uestimenta crucifixi Iesu. Sequitur & istud in uaticinio psalmi: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Reliquas uestes inter se partiti sunt, pro tunica inconsutili, quoniam dissui non potuit, sortibus est certatũ. Audistis illum iam expiraturũ ingenti uoce dixisse: Pater in manus tuas cõmendo spiritum meum, declarans psalmi uaticiniũ de morte sua fuisse loquutũ. Vidistis duobus latronibus frangi crura, Iesu crura non fuisse fracta, ut hoc quoq; signo declararet sese esse agnum paschalem uerum, cuius sanguis liberauit omnes qui credũt ab æterna morte, de quo præceptum est in Exodo: Os illius non cõfringetis. Potuistis & illud animaduertere, quod diuersis ratiõibus uicit præsidia mũdi & satanæ. Simplicitate uicit astutiã, mansuetudine superauit ferociã, humilitate uicit gloriam, comitate uicit superbiã, ita infirmitate uicit potentiã satanæ. Quid enim imbecillius moriẽte? Et tamẽ hæc imbecillitas quantũ habuit robur uidistis. Cõspexistis obscurari solẽ, cõcuti terrã, dissilire saxa, dehiscere

monu-

monumenta, scindi uelum templi. Hæc nimirum declarabant præcipuum illius robur, quo deuicit diabolum, ac mundum, in morte fuisse expeditum: prædixerat & hoc psalmus mysticus, dicens: Dicite in nationibus, regnauit à ligno deus. Nec id tacuit Abacuc prophe/ta: Splendor eius ut lux erit. Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius. Auditis cornua crucis, cuius infirmitas fefellit huius mundi principem. Absconderat enim illic dominus Iesus uirtutem cœlestem, ut diabolum opprimeret. Triumphabat mortem, ac satanam traduxit & ostentui fecit. Prædixerat hoc futurum & ipse priusquàm moreretur: Quum exaltatus fuero à terra, omnia pertrahã ad me. Signauit idem obscuriore quidẽ ænigmate Moses morti uicinus. Quum enim benediceret tribubus singulis, ac uentum esset ad Ioseph, qui typum gerebat Christi, ait: Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipsis uentilabit gentes usq; ad terminos terræ. Sic uisum est diuinæ sapientiæ, ut Christus per cornua crucis subigat mund uũiuersum. Nec de sepultura tacuere prophetæ. Sic enim scribit Hieremias Christi personam repræsentans: Lapsa est in lacum uita mea, & posuerunt lapidem super me. Scitis enim illum sepultum in lapideo sepulcro, & ostium monumenti ingenti saxo fuisse occlusum, ne quis tolleret corpus defũcti. Die parasceues sub uesperam con/

Thren. 3.

ditus est in sepulchro, sabbato illic requieuit: nimirum iam perfecto opere salutis humanæ. Considerate an non & hoc prædixerit prophetia: A conspectu, inquit, iniquitatis ablatus est iustus, & erit in pace locus eius. Vsq; ad mortem passus est se contrectari ab impijs. A morte à nullo cõtrectari uoluit, nisi ab amicis: nec ulli se posthac præbebat conspiciendum nisi amicis, obscuram huius rei significationem dederat uetus prophetia patriarchæ Iacob, qui de Iuda, imò de Christo sic uaticinatur moriturus: Accubuisti ut leo, qs suscitabit eum? Porrò quemadmodum mori uoluit ac sepeliri, ita non fore ut in sepulchro computresceret, sed breuissimo empore illic commoratus reuiuiscceret, nónne palàm à prophetis prædictum est? Nónne sic loquitur spiritus sanctus in psalmo decimoquinto: Nõ derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem? Nulla aromata, nulla unguenta hoc præstant, ut nunquam putrescat corpus exanime, quum etiam aromata ipsa absumat ætas, quæ consumit & sepulchra, quamuis marmorea. Sed hoc præstat resurrectio, quæ confert immortalitatem. Cæterum totam huius rei figuram, nónne repræsentauit olim Ionas propheta? Illi imputata est tempestas, et ne perirẽt omnes, ille præceps datus est in mare, quo iactura unius placaretur tempestas omnibus exitium minitans. Christus pro salute omnium mortuus est, ut

 expiaret

expiaret omnium peccata. Ionas absorptus est à cœto. E cuius uentre redditus est die tertio præter omnium expectationem. Christus conditus est in monumento, unde promisit sese proditurũ tertio die. Promisit enim Iudæis petentibus signum è cœlo, signũ Ionæ prophetæ, seq; ad illius exemplum emicaturum tertio die è latebris terræ. Quotics autem inculcauit hoc suis discipulis se moriturũ, ac tertio die reuicturũ? Prædixerat hoc Osee propheta: Viuificabit, inquit, nos post duos dies, in tertio die suscitabit nos. Quũ igitur uideritis hactenus omnia congruere, figuras legis, uaticinia prophetarum, prædictiones ipsius Christi, deniq; rerũ cuẽtus, quo pacto nunc ucluti dormitantes ac somniantes diffiditis, ac non potius ex præteritis colligitis futura? Prædixit se tradendum gentibus, alligandum, flagellãdum, illudendum, crucifigendum. Nihil horũ non euenit. Vidistis & creditis, sed idem prædixit se tertio die reuicturum, & aliquot dies sese ostensurum non mundo, sed discipulis. Quur igitur diffiditis his, quæ dicũt se ex angelis cognouisse quod resurrexisset? Adeó ne uos offendit mortui corporis infirmitas, ut nunc despõdeatis animum, quasi interierint omnia illa magnifica promissa, de regno, de potestate cœli ac terræ tradenda filio, de ascensu in cœlum, ac reditu ad patrem, de consessu ad dextram patris, de propagatiõe Euangelij per omnes orbis nationes, de glorioso aduentu sub finem mũdi

mundi, de immortalitate sanctorum, de supplicijs impiorum? Imò ad harum rerum maiestatem mors aperuit aditum. Sic ut uidistis illum morientem ac sepultũ, ita uidebitis rediuiuum, uidebitis ascendentem in cœlum. Accipietis spiritum cœlestem, uidebitis uirtutem cœlestem sese proferre in hominibus humilibus & idiotis: uidebitis per eosdem lucem Euangelicam, exiguo tempore radijs suis occupare totum orbem. Ac totus mundus adorabit Iesum illum hic spretum, conspútum & irrisum, ut deo patri æqualem, regniq; consortem. Postremo genus hominum uniuersum uidebit illũ in maiestate patris cinctum agminibus angelorum, iudicantẽ uiuos & mortuos. Is dies uoluit ut esset incertus omnibus. Interea nihil uoluit suis esse curæ, nisi regnũ Euãgelicũ. Hæc omnia prædicta sunt à prophetis, designata figuris Mosaicæ legis, magna ex parte præstita: nec oportet addubitare quin omnia suis temporibus sint exhibenda. Hic sermo domini Iesu nõ tantũ feriẽs aures discipulorũ, uerũetiã in animos penetrãs, sic illos occupauit, ut nec uiæ sentirent laborẽ, nec faciẽ loquẽtis agnoscerẽt: nec ueniret ipsis in mentẽ, ut apud sese cogitarent: quis est iste, cui sic in promptu sũt scripturæ sacræ, doctrina tota ac uita Iesu, quiq; nos tã efficaci sermone suspẽdit & affiãt? Hũc inter discipulos nũq; uidimus, & tamẽ nihil illũ fugit. Amabãt tantũ tanq; per somniũ, & Iesum ex ipso Iesu discere gaudebant.

Nunquam enim discitur feliùs, quàm quũ ille nos dignatur docere seipsum. His alijsq; fabulis itinere peracto, iã appropinquabant oppidulo cui nomẽ Emaus. Iesus autem quo magis accenderet illorum desideriũ, præseferebat quasi nollet in Emaunte cõmorari, sed lõgius adhuc proficiscinam illi ueluti desperãtes reliquerant Hierosolymam, seq; in patriam recipiebant, quum hi qui semel uere crediderunt Christo, non habeant hic manentem ciuitatem, sed perpetuo itinere properent ad illam cœlestem. Discipuli uero quoniã uelli non poterant à tam facũdo comite, rogant, obsecrãt, obtestantur: deniq; precibus improbis, & iniecta pallio manu, recusantem compellunt, ut eã noctem apud ipsos diuersaretur, iam dominũ appellantes, non quod cognoscerent esse Iesum, sed quod ex admirabili confabulatione satis conijcerent illum non esse uulgarem uiatorẽ. Dicebant autem: Domune præbuisti nobis hactenus iucundum & amicum uiæ comitem, præbe nobis & hospitem. Quur te committis itineri longiori? Iam appetit uespera, & sol uergit ad occasum. Merito noctem oderunt, qui diligunt Iesum: nec tamen huius mundi noctem timere debent, qui comitem habent Iesum. Amat aũt rogari ut id faciat, quod facit libẽter: partim ut det promerentibus & dignis, partim ut nos doceat beneficiũ etiã ingerendũ et obtrudẽdũ egenti proximo. Quidã enim sic offerũt beneficiũ, quasi metuant

ne non recusetur cui defertur: & eo uultu dant, ut uideantur inuiti dare. Ingressus est itaq; oppidum, nec grauatus est illorum uti hospitio. Illi læti tanto hospite, quum exhibuissent quicquid gratis hospitibus solet exhiberi, apparauerunt & mensam, proq; sua tenuitate quod habebant, apposuerunt. Frugalis erat apparatus, sed ante omnia uultus adesse boni, animo syncerissimo respondentes. Postea quàm autem Iesus accubuisset cum illis, accepit panem, benedixit, fregitq;, deinde porrigebat illis. Hunc morem quoniam sciebant esse Christo peculiarẽ, ut ante cibum ageret gratias patri, deinde suis manibus fractum partiretur in discipulos, duo discipuli uelut expergefacti cœperunt cogitare de Iesu. Mox sublato impedimento quod hactenus obstiterat, quo minus agnoscerent eum, agnouerunt illum esse Iesum. Dumq; subitus quidam stupor corripit illorum animos, Iesus euanuit ex illorum conspectu. Paulatim enim ac parce faciebat sui corporis copiã à morte, uel quod imbecillitas humana non ferret rediui corporis maiestatem, uel ut sensim assuescerent carere corporis cõspectu, quod mox esset abducendum, quo iam amarent illum iuxta spiritũ. Porrò nõ agnoscunt Iesum nisi in domo, quæ est ecclesia: non agnoscunt nisi ipso porrigente panem sermonis Euangelici. Is enim aperit oculos, quibus agnoscitur Iesus. Iuxta fregerat, ac porrexerat illum panem mystice, quũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis aperiret scripturas. Et quod illic fecerat iuxta spiritum, post corporali signo renouauit. Sublato corpore Iesu, iam melius illum uidebant, quàm tum, quum esset corpore præsens. Tenebantur oculi, quia non credebant. Nunc absentem uident oculis fidei. Post abitum Iesu, ipsi inter sese non desinunt de Iesu confabulari, dicētes: Qui factum est, ut tam sero agnosceremus dominum? Somnus quidam habebat animos nostros: benedictio, fractus ac porrectus panis primum excussere somnū: sed nisi dormitassemus, poteramus, uel ex illius pariter colloquio conijcere ipsum esse Iesum, qui nobis de Iesu tam multa, tā mirabiliter disserebat. Nónne quum nobis familiari colloquio per uiam exponeret è scripturis, figurarum & prophetiarum ænigmata, sensimus admirabilem quendam ardorē animi, qualem nō solet gignere in auditorum animis scribarū & pharisæorum oratio? Sed talis esse solet oratio domini Iesu, his qui simpliciter audiebāt. Pungebat, afficiebat, rapiebat, urebat, inflāmabat, relinquebat scītillas et aculeos quosdam in animis auditorū. Quūq; uterq; alteri fassus esset se pariter affectum fuisse: nec iam dubitarent, quin ille esset Iesus à morte rediuiuus, continuo reliquerunt Emauntem, tametsi iam uergente die, magnaq; celeritate redierunt Hierosolymam, ut tanti gaudij reliquos quoq; discipulos redderēt participes, mutuáq; collatiōe fides omniū cōfirmarctur. Sic enim dominus

dominus cupit sua munera propagari inter homines, ut mutuis officijs & gliscat inter ipsos charitas, & crescant merita, quæ remuneretur deus. Lenti erant, quum relinquerent Hierosolymam: quoniam Iesus cō fabulator & fallebat uiæ tedium, & eximebat hospitij desiderium. Sed auiditas, & renunciandi quæ contigerant, & cognoscendi uicißim quid alijs acidisset, redeuntium pedibus addidit alas. Vbi uentum est eò, offenderunt undecim apostolos (iam enim Iudas decesserat numero duodecim) Aderant autem cū his & alij complures discipuli, qui non expectata narratione duorum, ultrò gaudio gestientes indicabant illis, qđ post incertam spem, quam mulieres omniū primæ fecerant de domini resurrectione, compertū esset eū uere resurrexisse. Nā apparuerat & Simoni Petro. Huius oratio, quoniā inter apostolos primas tenebat, plus habebat fidei apud discipulos quàm sermo muliebris. Hunc enim primū dominus Iesus consolari uoluit, & confirmare sua præsentia, quem sciebat præter communne diffidentiæ malum, etiam abiurati domini conscientia grauari. Hoc nuncio læti duo discipuli, uicissim & ipsi narrant, quemadmodmu proficiscētibus Emauntē adiunxerit sese ipsis quidā ignotus specie uiatoris, qui per occasionē multa cōmemorasset de Iesu, repetēs ex Mosi literis ac prophetarū, quicqd de Iesu prædictū esset: simulq; cōmemorās, qd euenisset, et

euenturũ esset in posterum: nec prius agnouissent illũ, quàm ex peculiari consuetudine benedicendi, frangẽdi, & porrigendi panem. Dum huiusmodi sanctis colloquijs se uicissim consolantur, & exhilarant, quibusdam credentibus, quibusdam etiamnum dubitantibus, ingressus est subito dominus Iesus foribus clausis, nec uisus est aduenire, sed repente cõstitit in medio illorũ. Sic enim apparent angeli subito, cum uolunt conspicui: rursum subito, quum libet euanescentes. Quemadmodum autem boni spiritus quum apparent, ne quid conturbetur imbecillitas humanæ naturæ, cõsueuerũt blando alloquio terrorem eximere: ita dominus quoniam & subitus, & profunda iam uespera sese conspicuum reddidit, blanda salutatione compellat illos, dicens: Pax uobis, ego sum, nolite timere. Hæc oratio quanquam merito debebat omnem propulsare formidinem, tamen erat tanta quorundam discipulorum imbecillitas, uti metu exanimati atq; expauefacti, non crederent esse Iesum, sed existimarent sese uidere spiritũ. Viderant paulo ante mortuum ac sepultum: uidebant illum non ingressum per ostium, sed subito apparuisse. Itaq; non potuerunt sibi persuadere corpus esse Iesu, quod uidebant, sed spiritum. Vulgus enim narrat huiusmodi fabulas spiritus defunctorum nonnũquam apparere quibus uolunt, ac speciem quidem quandam corporum exhibere mortalium oculis, cæterum nõ habere

bere solidũ ac uerum corpus. Inter hos erat Thomas, qui negarat se fidem habiturum disãpulis narrantibus quod uidissent dominum, nisi digitis immissis in latus explorasset omnia uestigia clauorum & lanceæ. Iesus igitur ut certam fidem faceret omnibus se & uiuũ esse, & uerum gestare corpus: nec aliud corpus, quàm quod ante gestauerat, ait illis: Quid adhuc uelut spectrum expauescitis, quum me conspiciatis oculis & formam agnoscatis, quum audiatis uocem uobis notã ac familiarem? Et tamen adhuc diffidentiæ cogitatiões oboriuntur animis uestris, quales solent uulgo uenire in mentem. Satisfacite omnibus sensibus uestris, cõtemplemini manus & pedes, habẽt manifesta uestigia clauorum: contrectate latus, habet lanceæ uulnus. Palpate corpus, admouete oculos, & desinite suspicari spiritum. Spiritus enim nec carnem habet, nec ossa, quem admodum cõspicitis habere me. Quod ingressus sum foribus clausis, quod quum uolo conspicior, quum uolo sum inconspicuus: non est præstigium, sed dos corporis iam immortalis facti. Talia erunt & uestra corpora post resurrectionem. His uerbis quum Iesus exemisset illis pauorem, & animos addidisset, exhibuit eis inspiciendas manus ac pedes, aperuit latus ut contrectarent manifesta uulnerum uestigia. Nam ea dominus seruare uoluit, ut his argumentis apud suos assereret corporis humani ueritatem: simulq; & olim in

extremo die exprobraret Iudæis suam incredulitatem, iuxta prophetiam quæ dicit: Videbunt in quem compunxerunt. Porrò quum etiam tum essent, qui nõdum planè crederent esse corpus idem quod uiderant mortuum: sed ebrietas quædam lætitiæ teneret illorum animos, ut nec suis oculis, nec auribus, nec manibus fatis fiderent (timemus enim nõnunquam credere, quod misere optamus esse uerum: metuẽtes, ne nos ipsos in falsum conijciamus gaudium, quo mox simus spoliãdi) Iesus non dedignatus omnibus argumentis illorum incredulitati mederi, ne quid in nobis resideret diffidentiæ, ait: Habetis ne hic quippiãm quod possit edi? Nullum enim certius argumentum hominis uiui, quàm cibum capere. Et ideo dominus Iesus puellæ reuocatæ in uitã iussit dari cibum, similiter & Lazaro. Non quod esurituri simus resuscitati ad immortalitatem, sed ut discipulis suis pro tempore probaret corporis humanæ ueritatem. Complures illic aderant discipuli, & tamen admodum exiguus erat cõmeatus. Itaq; quod habuerunt, ferunt, partem piscis assi, & fauum mellis. Iesus autem in conspectu omniũ comedit ex his quæ apposita sunt. Quumq; iam omnibus illorum sensibus fidem fecisset, se non esse phantasma, sed uerum ac uiuũ hominẽ, eundẽ quẽ ante uiderant & uiuentem & morientẽ: redit ad scripturas sacras, quibus erat habẽda fides, etiam si sensus hominis reclamarent. Mirari, inquit

inquit, non oportet quæ uidetis esse facta. Nescit mentiri scriptura, cœlestis afflatu spiritus prodita. Quicquid hactenus factum est, id prædictum ac præfiguratum erat in libris Mosi, in prophetis, in psalmis. Nam ego sũ ille, quẽ Mosaicæ legis figuræ denotabam. Ego de quo tã multa promisere sancti prophetæ, ego cuius exortum progressum & consummationem describunt psalmi mystici. Neq; minore fide præstabuntur & reliqua omnia, quæ in iisdem scripturis prædicta sunt, de reditu in cœlũ, de mittendo spiritu cœlesti, qui uos hoc corpusculo sublato reddet firmiores, de Euangelio per uniuersum orbem spargendo, de supremo fine mundi huius. Hæc sunt quæ uobis totes inculcaui, quum adhuc mortalis agerem inter mortales. Tum ea non inderant animis uestris, nunc nõ potestis addubitare, postea quàm uidetis mea dicta consentire cũ arcanis scripturis, & rerum euentus cum utrisq; Hactenus pro tempore indulsi imbecillitati carnis uestræ, & crassis argumentis ingessi uobis rei ueritatem. Posthac proficite ad spiritualem intelligentiam scripturarum. Ibi me posthac uidebitis, ibi me audietis: Quoniam autem mysticæ literæ non intelliguntur, nisi deus aperiat nobis mentem, Iesus aperuit illis oculos cordis, ut quod scriptum esset legerent, crederent & intelligerent. Non enim intelligit, nisi qui credit. Hoc, inquit, ordine uisum est patri restituere genus

humanũ

humanum, & quod ille decreuerat, ipsius afflatu pro-
ditum est diuinis libris. Idem à me prædictum est ante-
quàm fieret, neq; aliter potuit euenire: quia decreta dei
sunt immutabilia, & sacræ scripturæ tam nesciunt mē
tiri, quàm ipse spiritus, cuius afflatu proditæ sunt. Per
mortem & ignominiam crucis iter erat ad gloriam,
resurgendum erat tertio die, ut sciretis uos habere do-
minum ac patronum uiuum posthac non moriturum.
Is relatus in cœlum, inde mittet uobis spiritum cœlestē.
Tum oportebit in nomine Iesu Christi prædicare pœ-
nitentiam antactæ uitæ, & sine Mosaicæ legis obser
uatione remissionem omnium peccatorum. Ea donabi-
tur omnibus per solam fidem Euangelicam. Ego depē
di pœnam omnium nomine, tantum credant & gratis
assequentur innocentiam. Hæc autem oportebit prædi
cari, non solum Iudæis, uerumetiam uniuersis mundi
nationibus, sed ita ut ab Hierosolymis sumatis initiū.
In Iudæa natus sum, illic ædidi miracula, Hieroſoly-
mis docui, ac mortem obij. Apud hos inuenietis ani-
mos iam multis modis ad fidem præparatos. His redi-
getis in memoriam, quæ uidistis & audistis. Meam do
ctrinam quam acceptam à patre uobis tradidi, trans-
fūdetis in illos. Reclamabit mūdus uestro testimonio,
quemadmodum mihi perpetuo reclamabat. Sed ego, ut
dixi, mittam uobis à patre spiritum, quem olim per
phetas missurum esse promisit, loquēs per os Iohelis:

Promissum patris mei.

Et

Et erit, posthac effundam spiritum meum super omnē
carnem, & prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ.
Quem optauit & sanctus Dauid, dicens: Emitte spiri-
tum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.
Is reddet uos fortes, & inuictos aduersus omnia mun
di terriculamenta. Idem addet eloquentiam, cui nemo
poterit contradicere. Addet uirtutem ad ædenda mira-
cula, ut sit efficax uestrum de me testimonium. Vos in
terim conquiescite, simulq; congregati, sedete in hac
ciuitate Hierosolyma, ecclesiæ nascituræ concordiam
auspicantes: uosq; inuicem sanctis colloquijs exhor-
temini, deprecantes, & gratias agentes deo, donec è
sublimi ueniat ille spiritus, qui uos instruet uirtute ro-
boreq; cœlesti. Itaq; posteaquàm Iesus uarijs argumen
tis confirmasset ueritatem resurrectionis suæ, adduxit
discipulos suos in Bethaniam, iamq; abiturus in cœlū
sublatis manibus benedixit illis: & in hoc patriarcha-
rum ac Mosi referens exemplum. Atq; interea dū be-
ne precatur suis discipulis, sublatus est à terra, & in
omnium conspectu ferebatur in cœlum. Discipuli uero
procumbentes adorauerunt dominum, oculis illū, quo
ad licuit prosequentes. Magis autem animis prosequu
ti sunt, posteaquàm corpus oculis ademptum est. His
ita gestis, reuersi sunt Hierosolymam, quemadmodū
præceperat dominus. Reuersi sunt autem cum ingenti
gaudio. Iam enim fides excusserat omnem mœrorem,

& certa

& certa spes promissorum addebat alacritatem. Interea frequentes erant in templo, iam tunc Euangelicas uictimas immolãtes, laudibus ferentes diuinã benignitatẽ erga genus humanũ, & gratias agentes ei, qui tanta beneficia decreuisset per filium suum gratis largiri mortalibus.

BASILEAE APVD IO. FROB.
AN. M. D. XXIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto